

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
SERIES NOVA
REDIGIT ANTONIUS PIRNÁT

CHRISTIANUS SCHESAEUS
OPERA QUAE
SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT
FRANCISCUS CSONKA

AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST

CHRISTIANUS SCHESAEUS

OPERA
QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

FRANCISCUS CSONKA

(Bibliotheca Scriptorum Medii
Recentisque Aevorum. Series Nova.
Tomus IV.)

Christianus Schesaeus (1535?–1585) in Hungaria ceteros poetas epicos litterarum Latinarum saeculi sedecimi superavisse merito iudicatur. Opus maximum eius, quod inscribitur Ruinae Pannonicae libri XII, seriem rerum in Transsylvania et in Hungaria ab anno 1541 usque ad annum 1571 gestarum in formam carminis epici redactam tractat. Singulae tantum partes operis adhuc typis impressae sunt, quarum editio princeps anno 1571 Witebergae, auctore vivo, prelum reliquit; eadem postea Cibinii anno 1797 iterum editae sunt. Hodie utriusque editionis perpauca exemplaria supersunt; ceterae autem carminis epici partes tantum in exemplaribus manu scriptis adhuc legi potuerunt.

Schesaeus ab anno 1569 usque ad supremum vitae diem pastor Mediensis erat, multumque in rebus civilibus atque ad cultum humanitatemque pertinentibus patriae suae, Transsylvaniae, nec non ecclesiae confessionis Augustanae versabatur. Pro operibus litterariis suis a principe Transsylvaniae, Stephano Báthory, titulo poetae laureati ornatus est. Qua ipsa de causa etiam opera eius minora fontes magni momenti rerum gestarum historiaeque litterarum sunt. Nostra editione primum effici potest, ut haec opera uno volumine collecta atque apparatu philologico instructa lectori in manibus sint.



AKADÉMIAI KIADÓ
BUDAPEST

CHRISTIANUS SCHESAEUS

OPERA
QUAE SUPERSUNT OMNIA

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

CONDITA A LADISLAO JUHÁSZ

SERIES NOVA

TOMUS IV.

CONSILIUM EDITORUM

ST. BORZSÁK, I. HORVÁTH, T. KLANICZAY, L. MEZEY, G. SZÉKELY

REDIGIT

ANTONIUS PIRNÁT

**INSTITUTUM LITTERARUM
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE
SECTIO LITTERARUM RENASCENTIUM**

CHRISTIANUS SCHESAEUS

OPERA
QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

FRANCISCUS CSONKA



AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST 1979

Iq. kut

114.865



ISBN 963 05 1740 X

© Akadémiai Kiadó, Budapest 1979 • Franciscus Csonka

HU ISSN 0133-6711

Printed in Hungary

CONSPECTUS MATERIAE

Introductio	9
De vita operibusque Christiani Schesaei	11
Opera (editiones, MSS) in ordinem chronologicum redacta	18
Scriptura	33
Abbreviaturae et signa	35
Opera Christiani Schesaei quae supersunt omnia	43
I. Ἐπιγραμματα (Ep)	45
II. Elegia de falsis prophetis	46
1. Venerando viro Francisco Davidis (FD)	46
2. Elegia de falsis prophetis (Fp)	47
3. Reverendo viro Vincentio Aurifabri (VA)	51
4. Epicedium de morte Laurentii Aurifabri, alias Leschini (LA)	52
5. Epithaphium eiusdem Laurentii Leschini (LL)	57
6. De fragilitate humanae vitae (Fv)	57
III. Elegiae de resurrectione mortuorum (Rm)	60
1. Elegia I.	60
2. Elegia II.	69
3. Elegia III.	75
4. Elegia IV.	80
IV. Oratio describens vitam Leonharti Stöckelii	84
1. Clarissimis viris Matthiae Glatzio nec non Francisco Salicaeo (Do)	84
2. Oratio (LS)	85
3. Epitaphium (Ea)	92
4. De morte eiusdem Leonarti Stokelii (Eb)	93
5. Aliud epitaphium (Ec)	93
V. Epithalamium in honorem nuptialem Casparis Bökes	94
1. Ad magnificum dominum Alexandrum Kendinum (AK)	94
2. Egregio viro domino Wolfgango de Harinna (WH)	94
3. Epithalamium (EB)	96
4. De providentia Dei (Pd)	104

VI. Ruina Pannonica	107
1. Ad magnificum Franciscum Forgatsch (FF)	107
2. Illustrissimo Stephano Bathoreo (SB)	108
3. Liber Ruinae Pannonicae I. (RP I)	112
4. Status religionis (Sr)	131
5. Liber Ruinae Pannonicae II. (RP II)	135
6. Liber Ruinae Pannonicae III. (RP III)	151
7. Liber Ruinae Pannonicae IV. (RP IV)	170
8. Liber Ruinae Pannonicae V. (RP V)	186
9. Liber Ruinae Pannonicae VI. (RP VI)	209
10. Liber Ruinae Pannonicae VII. (RP VII)	228
11. Liber Ruinae Pannonicae VIII. (RP VIII)	256
12. Liber Ruinae Pannonicae IX. (RP IX)	272
13. Liber Ruinae Pannonicae X. (RP X)	290
14. Epitaphium Nicolai Serinii (NZ)	309
15. Liber Ruinae Pannonicae XI. (RP XI)	310
16. Liber Ruinae Pannonicae XII. (RP XII)	318
VII. Elegiae in obitum trium illustrium virorum	332
1. Praefatio (Po)	332
2. Elegiae in obitum trium illustrium virorum (Eo)	332
VIII. Imago seu typus	335
1. Imago seu typus (It)	335
2. Carmen de angelorum officio (Co)	335
IX. Epithalamion (in nuptias Martini Berzeviceii)	336
1. Magnifico domino Martino Berzeviceio (De)	336
2. Epithalamion (MB)	337
X. Oratio de origine et progressu inchoatae et propagatae coelestis doctrinae	344
1. Introductio (Io)	344
2. Oratio (Od)	344
XI. Enarratio psalmi XC	363
1. Epistola dedicatoria Christophoro Bathoreo (CB)	363
2. Explicatio psalmi XC (En)	368
3. Psalmus XC depingens humanae vitae miseriam (Pn)	422
4. Precatio ad Deum pro avertenda lue pestilentiali (Pr)	424
5. Ode consolatoria (Oc)	426
XII. Imago boni pastoris	433
1. Nicolao Selneccero epistola (NS)	433
2. Imago boni pastoris (Ip)	434
XIII. Opera incerti auctoris fragmentaque	440
1. Gratiarum actio pro beneficio incarnationis Dei (Ga)	440
2. Epithalamium V. M. (VM)	440
3. Carmen ad Isabellam et Ioannem Sigismundum salutatorium	442
3/1 Clarissimo viro domino Michaeli Chyakio (MC)	442
3/2 Divae Isabellae reginae et filio eius (DI)	442
3/3 Psalmus LXXIX (Pm)	447
4. Dedicatio Paulo Kertzio (PK)	447
5. Compendium historiae rerum Ungaricarum (Ch)	448
6. Epigramma Stancarum et Calmancheum illudens (St)	469

Appendix	471
1. Epigramma ad lectorem — Valentinus Crispus	473
2. Ad lectorem — Laurentius Parvus	473
3. Aliud — Franciscus Valentinianus	474
4. Aliud — Simon Hermannus	475
5. Ἐγκωμιαστικόν — Laurentius Kerzius	477
6. Carmen heroicum — Martinus Hentius	477
7. Reverendo Christiano Schesaeo — Nicolaus Selneccerus	481
8. Epitaphium in obitum filii Christiani Schesaei — Franciscus Valentinianus	482
9. Prognosticon Antonii Torquati Ferrariensis	484
10. Vaticinium Turcarum	485
11. Symbolum Theodori de Bry Leodiensis	486
12. Praefatio. Theodorus de Bry ad candidum lectorem	486
13. Historia Annae Kendiae (HK)	488
Annotationes	497
Indices	519
1. Index locorum et appellationum	521
2. Index metricus	523
3. Index nominum et rerum	523

INTRODUCTIO

DE VITA OPERIBUSQUE CHRISTIANI SCHESAEI

De rebus quidem ad originem Christiani Schesaei (Schesäus, Schaeseus, Schaesaeus, Scheseus) pertinentibus paene nihil certi, nisi quod ipse de synodo, anno 1559 „Medgjeschinum” coacta scribens se in civitate Mediensi natum esse affirmat. „Et hic secundus fuit pastorum conventus, indictus reginae iussu in ea urbe, quae primum me nascentem excepit.”¹ Quo anno? — incertum est. Apud Josephum Carolum Eder, recitantem Isacum Hendel Davidemque Hermann coevos Nostri, invenimus: „Natus est ... circiter annum quadragesimum saeculi sexti decimi.”² Sunt biographi nonnulli, qui Josepho C. Eder consentiant.³ Nos autem eum aliquanto ante annum quadragesimum iam natum esse arbitramur, puer enim decem annos natus vix potuisset — lingua Graeca! — epigramma, idque excudendo aptum, scribere.⁴ Ex variis rationibus (immatriculatio, matrimonium etc.) manat nostra opinio: Schesaeum lucem inter annos 1534—1536 adspexisse.

Pater Nostri, Stephanus Schesaeus (Schäser? Scheser?),⁵ ab ineunte aetate agriculturae studuerat, mox sedium duarum iudex factus est. Ob diligentiam amoremque iustitiae omnium dignus aestimatione fuit. Anno 1556 salutandi causa turmam duxit armatam obviam ex Polonia redeunti Isabellae, cepitque partem legationis ad Ferdinandum missae. Educavit filios duos, quorum natu minor (Joachimus) munus iudicis obibat, sicut in carmine Francisci Valentiniani, amici et compatris Nostri legere possumus.⁶

Filius natu maior, poeta Noster, prima bonarum artium elementa Coronae degustavit,⁷ in schola Honteriana, cui eo tempore iam Valentinus Wagner praefuit, qui mature ingenium ac virtutem discipuli sui in scribendo agnoscens epigramma eius ad calcem Catechismi typis mandare decrevit. Memoriam praeceptoris sui Noster et multis post annis cum pietate conservabat.⁸ Anno 1553, probabiliter pestem tota Transsilvania grassantem fugiens,⁹ Bartpham petiit. De annis Bartphae exactis nil certi notum est, nisi quod frequentasset scholam magistri Stöckel, simulque Alexandri Kendi condiscipulus fuisset, cuius rei argumenta ipse affert in epigrammate ad Alexandrum Kendi „olim condiscipulum et commensalem” scripto:

Si memor est veteris, Kendi generose, sodalis,
(Virtute, ingenio, nobilitate nitens)
Qui tecum studiis est innutritus iisdem,
Est ubi Sarmaticis Bartpha propinqua plagis.¹⁰

Item in Oratione de origine Coelestis doctrinae habita: „Omitto ... d. Leonardum Stockelium, Bartphensis scholae rectorem, praeceptorem meum clarissimum...”¹¹ Itidem in Oratione vitam Leonardi Stöckel amplectenti: „... saepius ex ipso Stöckel ... audivimus...”¹²

Bartpha relicta et celeberrimis Saxoniae electoralis academiis salutatis Witebergam advenit, ubi teste matricula¹³ iam anno 1555—1556 frequentabat scholas magnorum religionis correctorum emendatorumque, inter quos praeceptoris Germaniae, Philippi Melanchtonis, nec non Nicolai Selnecceri auditor fuit. Cui rei documento sint ipsius verba: „Libet hic commemorare ... historiam, quam saepius a clarissimo viro d. Philippo Melanchtone ... audivimus.”¹⁴ Item: „... memini saepius praedicere ... Philippum”,¹⁵ scilicet res ad haud feliciter in Hungaria eventuras praedicere. Dignam lectu habemus epistolam quoque a Selneccero scriptam: „Literae tuae mihi, Schesae, vir reverende, gratissimae fuerunt, ... quod memoriam te retinere cognoverim scholasticarum mearum operarum, quibus olim iuventuti studiosae Witebergae inservire conatus fui ...”¹⁶ (Eodem tempore commorabatur Witebergae Iacobus Heraclides Basilicus, postea et a Nostro deploratus despota Moldaviensis.)¹⁷

Anno 1558 lauream poëticae adeptus in Transsilvaniam reversus est, incertum quo mense, veri similiter uno e primis mensibus anni, nam amicus eius, Vincentius Aurifaber (Leschinus) e vita mense Aprili discessit, quem teste epicedio vivum salutare potuerat.

Vocatione inspiratus eodem anno suscepit Claudiopoli munus diaconi. Magna cum reverentia mirabatur praesidem suum, Franciscum Davidis, contra haereticos dimicantem, quod facile intelligi potest ex libro Elegiarum de falsis prophetis fine anni edito, qui encomium¹⁸ Francisci Davidis in fronte fert. Quot annos munere diaconi functus sit, ignoramus; in synodo Mediensi, die 6. Februarii a. 1561 coacta, iam pastor Confessionem subscripsit: „Christianus Schesaeus, pastor ecclesiae Dei ad S. Thobiam, m.p. subss.”¹⁹ Huic ecclesiae praefuit octo annos; haud dubie hic uxorem duxerat, ex quo matrimonio a. 1565 natum esse filium, nomine Stephanum, pro certo habemus. Mensibus enim autumnii hiemisque annorum 1565—1566, peste per totam Transsilvaniam grassante, imprimisque infantes perimente, filium iam vixisse ex verbis sequentibus sentire possumus:

☛

Sic ego, sic alii, pubentis fata iuventae
Tristia spectantes...²⁰

Interea et Musis navavit operam, quod in publicum emissae probant opera: De resurrectione mortuorum (1563); Epithalamium in honorem nuptialem Casparis Bökes (1567). Inter annos 1560—1563 habita est Oratio de vita Leonardi Stöckel, sed ubi et qua occasione, ignoratur. Opus autem praecipuum, quod Ruina Pannonica inscribitur, quodque post annum 1562²¹ in eodem pago scribere incepit, „ad maiora vocatus” interrumpere cogitur:

Utque opus immensum tenui pertexere avena
 Sedulus atque ardens cupio: me cura Tonantis
 Ad maiora vocat, Mediensi ut pastor in urbe
 Aetherei populo pandam mysteria verbi.
 His ergo intentus studiis abrumpere coeptum
 Cogor, et emeritum tigno suspendere nablum.²²

In urbe natali, quo a. 1569 migravit, plus quam decem annorum spatium degenti poëtae fortuna fovens gaudia, novercans dolores promiscue suppeditabat, ille autem pro vocationis dignitate sublimi animo se gerebat, nec superbire coepit, neque collabi voluit. Brevi tempore dignus obeundo officio decani iudicatus est. Impigre enim versabatur et in rebus publicis, et in ecclesiasticis, ut id de synodo, a. 1572 convocata, accepimus: „Die dominica igitur, quae dicitur Cantate et fuit 4. Maii, ... contionem habuit dom. Christianus Schesaeus, pastor Mediensis, ex evangelio: Nunc autem vado ad eum, qui me misit (Ioan 16,5), de officio spiritus sancti, quod est arguere mundum.” De eadem synodo, cum Lucas Unglerus superintendens electus est, exstat: „Data sunt itaque suffragia capitatim et viritim in schedulis scriptis de domino magistro Luca, domino M. Johanne (Aunero) et domino Jacobo Mellebrigerio, quae tandem omnia collecta sunt in unum pileum, et constitutus est dominus pastor Mediensis Chr. Schesaeus, qui clara voce singula suffragia pileo exempta coram tota synodo praelegit.”²³

Ad finem anni 1571 libros Ruinae Pannonicae septem excudendos curavit, pro quibus libris a Stephano Bathori, vaivoda Transsilvaniae, laurea redimitus erat.²⁴ Quo anno id factum, ignoramus, certum est autem in titulari folio operis a. 1573 excusi, quod Elegiae in obitum trium illustrium virorum inscribitur, nomini eius titulum poëtae laureati iam additum esse.

Ordine has Elegias sequebantur opera: Imago seu typus (1575), deinde Epithalamion in honorem nuptialem Martini Berzeviczii (1578). Post menses duos, exeunte anno, maximo Noster maerore afflictus est: filius unicus peste abripitur. Poëtae sacerdotique de simili tristitia alios consolanti nunc oboriuntur lacrimae, ut hoc legere possumus in carmine, quod inscribitur: Ode consolatoria ... scripta a Christiano Schesaeo Mediensi, cui non ita pridem filius unicus amplissimae spei adolescens, Stephanus Schesaeus e vivis excesserat 29. Decembris anno 1578, natus anno fere 13”:

Me licet multum lachrimosa nati
 Fata perturbent, penetrentque nudo
 Acris ferro prope dissoluta
 Pectora planctu:

Hac peremptivum tamen arte morbum
 Vinco, ne fatis temere repugnans,
 Gentium ritu, videar dolore
 Fractus acerbo.

His et exemplis aliis modisque
 Lenio moestos animi dolores,
 Speque constanti melioris aevi
 Omnia vinco.²⁵

Memoriam huius pestilentiae horrendae revocant et contiones collectae: Enarratio psalmi XC (1580). Eodem anno²⁶ habuit orationem celebratam, historiam doctrinae Coelestis in Transsilvania repurgatae amplectentem. Maximum ultimumque gaudium ei attulit amicus eius Selneccerus opus Imago boni pastoris inscriptum dignum iudicando, quod Confessioni Lipsiae excusae (1584) adiungeretur.

Anno sequenti Noster immatura morte occubuit, victima factus pestilentiae denuo horribiliter grassantis.²⁷ Ossa in templo parochiali Mediensi ad dexterum altaris latus quiescunt, lapis sepulchralis hodie quoque videri potest, insigne portans pulcherrimum.²⁸

Perigraphæ: Epitaphium in obitum reverendi et clarissimi viri domini Christanni Schesaei, pastoris Mediensis et P(oëtae) L(aureati), qui obiit A(nno) D(omini) 1585 die Iulii XXX.

Superne scutum insignitum: angelus tenet clipeum, in clipeo truncus stemmatis laurea corona redimitus, super truncum corvus (?) rostro annulum tenens. Sub scuto insignito sequitur carmen incisum:

Hoc sua Christannus tumulo tegit ossa Schesaeus,
Pastor in hac Christi qui fuit urbe gregis.
Mens divina viro natumque ad maxima pectus,
Nestoris eloquium, vena Maronis erat.
Ille homines pariter cantu Superosque movebat,
In sacro faceret cum pia verba loco.
Nec calamo segnis totum monumenta per orbem
Ingenii sparsit non moritura sui.
Heroum pulcro celebravit carmine Manes,
Et cecinit pugnas, Pannonis ora, tuas.
Hinc vatem viridi praecinxit tempora lauru
Rex²⁹ Stephanus bello consilioque potens.
Subque Licaonio quantumvis axe sederet,
Auxit³⁰ cum scriptis muneribusque suis.
Carmina nunc domino canit immortalia Christo,
Carminis et pretium, ne moriatur, init.³¹

Christianus Schesaeus, tristem testis temporum, fere quadringentos annos quiescit in busto Mediensi. Tacet et ipse, tacentque opera eius: poeta est ergo, qui iam iam de vita litteraria, immo vero de nostratum memoria exciderit. Saeculum septimum decimum, antireformatione in Hungaria florente, adseclam Lutheri reiecit, nostris autem temporibus propter linguam Latinam, ad scribenda opera adhibitam, praeteritur. Licet scripta Schesaeana, plena amoris erga patriam referataque fastidii contemptusque nobilium, hodie quoque lectu digna sint, tamen Noster non legitur.

Habent sua fata poetae.

¹ Od 80; Ladislaus Geréb Schesaeum Schesburgi (Segesvár) natum esse putat (Ethn. 1958 p. 291).

² E, Notitia literaria

³ St. Hegedüs: AnR p. 299; Geréb: Vig. 1941. IX.

⁴ Valentinus Wagner: Catechismus. Coronae 1550.

⁵ Sigl.: Chronol. p. 77, ubi vocabulum Schefer m. typ.

⁶ Cuius carminis excerptum, licet longinquum, typis mandari multum multisque prodesse credimus:

Sceptra dedit Stephanus binis, hoc consule, iudex
 Sedibus, antiqua genitus de stirpe Schesaea.
 Si quis in antiquos torquet sua lumina fasces,
 Cum casa pugnacem Curium contempta tegebat,
 Et crassa in calida torrentem rapa favilla;
 Aeacidæ vel Fabritius cum sperneret aurum,
 Vel quando ad fasces medio defixa relinquens
 Agro Serranus venit dictator aratra:
 Mirari cesset volvatque in mente Schesæum,
 Unus hic Ausonios proponet imagine patres.
 Ille breves cernens, quibus hic modo vivitur, annos
 Et varios hominum errores vanosque labores,
 Quod stolidi incauto faciunt sibi munere vitae:
 Innocuum studii genus est spectatus, et agros
 Dentato patrios incepit vertere rastros.
 Saepe suis Phoebum praevertit mane quadrigis,
 Cerneret ut partem ipsius vaga luna laboris:
 Saepe domum sera rediit sub nocte, iugales
 Purpureos postquam Phoebus multo ante recondit.
 Hinc usu expertus puro quid Pleiades ortu
 Sponderent, pelago aut surgens nimbosus Orion.
 Adde, quod ex Zephris, qui certis forte diebus
 Aeolio missi perflabant carcere terras:
 Aut etiam ex Phoebe circumradiante corona,
 Certius astrologo, coelum sine nube futurum,
 Dixerat; aut contra ruiturum nubibus imbrem.
 Sic quibus intentus curis, quae linquere facta
 Deberet, certo semper velut indice norat.
 Nec minus inferior, quibus haec natura, sciebat,
 Dotibus aucta fuit, primus cum conditor undas
 Atque globum terrae medio libravit in axe.
 Scilicet [in] haec, inquit: nascendis gleba favebit
 Frugibus: aprico hoc pubescet vinea colle:
 Nigra sed aërios montes vallesque profundas
 Silva decet, planum veluti quoque gramina campum.
 Insuper et quis sit pecori delectus equino,
 Noverat, insuetam morbis artemque medendi.
 Iste frequens usus, simul experimenta laborum
 Agricolae innocuam facilemque tulere senectam,
 Cui semper facilem victum, iustissima tellus
 Fudit humo, unde sibi et natis prospexit abunde;
 Nec bona cuiusquam multo sudore parata
 Invasit, proprio sed enim contentus aratro:
 Nec cultor saltem assiduus haerebat in arvis.
 Impositas etiam rerum sed flexit habenas.
 Iura dabat populis et servantissimus aequi
 Nullius inverso quaerebat iure favorem.
 Utque fidem sanctam populis in pace probabat,
 Illius intrepidum patitur sic robur in armis:

50 Pro patria nullum pertaesus adire laborem,
 Non hastas timuit, gladios vel triste micantes,
 Fulgur et horrissona displosa tonitrua bombo
 Aenea sulfureo, quae machina pulvere torquet.
 Dux erat armatae, cum coniux regia, turmae
 55 Sauromatum patrias revocata a finibus, oras
 Attigit, et regni cum gnato invasit habenas.
 Pro patria regis legatus ad alta Quirini
 Atria, per varios populos tractusque locorum
 Iverat, utiliter commissaque iussa peregit.
 60 At superant reliquas tamen haec praeconia laudes,
 Quod patria cedens superasque evectus ad oras
 Pignora clara, duos proprio de sanguine natos
 Liquit, et aeternum patriae testatus amorem est.
 65 Certatim in primum Charites sua dona tulerunt,
 Castalidum est sanctus cultor, Summique sacerdos,
 Dum studet alterno verum contexere nodo.
 Pannonias querula describit voce ruinas.
 Alter, iam patriis se se virtutibus augeat,
 Rectaque subiectis iudex dat iura colonis.

(In: Seivert: Nachr. pp. 360—362)

⁷ Po, frag.

⁸ Eo 1—56, frag.

⁹ „1553. Et ne quid malorum deesset, pestis quoque totam Transylvaniam afflixit, quae in Barcia in 4 aut 5 annum duravit” (Trausch: Chron. I. p. 59). „1554. Pestis (cuius semina Coronae primum, sub initium anni 1553, deinde Cibinii circa festum Martini eiusdem anni sparsa sunt) cum in omnes Transylvaniae partes sese effudisset, ibidem crudeliter grassata est” (Sigl.: Chronol. p. 74). „Zu Ende dieses Jahrs (1553) hat sich auss Chronstadt die grosse Pest (genant) in ganz Siebenbürgen ausgebreitet, welche zuvoim in 20 Jahren das Land nicht angefochten hatte” (Miles: Würg. p. 53); cf. RP V, 174—181.

¹⁰ AK 1—4

¹¹ Od 53

¹² LS 18

¹³ „1555/6. Christianus Schaeseus Transylvanus” (Frankl: Isk. p. 303); „1556 die 6. Februarii” (Stud. II. p. 115).

¹⁴ WH 10

¹⁵ RP V, 570—577

¹⁶ App. 7; Selneccerum Witebergae inter annos 1554—1558 praelegisse notum est.

¹⁷ RP VII, 773—1187

¹⁸ FD

¹⁹ Confessio Ecclesiarum Saxonicarum in Transilvania de Coena Domini. Lipsiae 1584. p. 33. Ed. Nicolaus Selneccerus.

²⁰ RP IX, 178—179

²¹ Siculos iam „perpetua sub servitute laborantes” memorat, v. RP I, 353—355.

²² RP XI, 317—324

²³ Urk. II. pp. 134; 136

²⁴ Errant ergo biographi, cum Schesaeum Witebergae coronam lauream adeptum esse scribunt; e. g. Hermann: Ann. Eccl. p. 135 marg.; Petrus Bod: Magyar Athenás (Athenae Hungaricae). p. 239; Seivert: Nachr. p. 359; Trausch III. p. 169; O. Wittstock: Johannes Honterus. Göttingen 1940. p. 141.

²⁵ Oc 17—24; 209—212

²⁶ De tempore discrepant sententiae; e. g. Josephus Pokoly synodum a. 1585 die 8. Maii fuisse affirmat (Korrespondenzblatt 1914).

²⁷ „1585. Pestis quoque in nostra regione grassabatur: in una civitate, Media, praeter magnum numerum plebis abstulit praecipuos viros” (Trausch: Chron. I. p. 75; inter praecipuos viros de Nostro nulla mentio!). De anno ac die emortuali multa incertaque vulgabantur et adhuc vulgantur: 1585. die 30. Iunii: „In diesem Jahre (1585) aber ward er nach dem Zeugnisse seines Grab-

mals (!) den 30 des Brachmonds (Junius) ein Opfer der Sterblichkeit" (Seivert: Nachr. p. 360); Magyar Irodalmi Lexikon (Lexicon Litterarium Hungaricum) III. p. 43; et alii. 1586: Haner: Advers. I. p. 195. 1587. die 29. Julii: Miles: Würg. p. 143; Zoványi: Com. sub titulo: Schesaeus. Initio saeculi septimi decimi: St. Hegedüs: AnR p. 299.

²⁸ Insigne solum et non effigiem, ut id Haner (Advers. I. p. 194—195) affirmat.

²⁹ Stephanus Báthori inter annos 1571—1573 nondum rex, tantum vaivoda Transsilvaniae exstitit. In Epitaphio: Auxis.

³¹ Versum Epitaphii ultimum mancum esse dicit St. Hegedüs, qua re pro *init verbo habet* utitur (Hegedüs: Sch. p. 8).



OPERA (EDITIONES, MSS) IN ORDINEM CHRONOLOGICUM REDACTA

I.

Ep — Epigramma ad lectorem. Excusum est in: Κατήχησις Ουάλεντίνου τοῦ Οὐαγγήρου. Κορωνέως 1550; ad calcem libri post corrigenda.

Catechismus Wagneri invenitur in Museo Cibiniensi (Szeben, Sibiu), nec non Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: FM2/1948; 1954; 1986.

Ep primum adhuc opusculum notum a Nostro scriptum. Primum adhuc — iteramus, quia et de priore epigrammate incidit mentio et quidem ex anno 1549 (Valentinus Wagner: Compendii grammatices Graecae libri tres. Coronae 1549.). Ex „ad lectorem” epigrammatibus unum subscripsit: Chri. Sch. Byr. Si hae abbreviaturae Christianum Schesaeum Byrthalbensem (?) significant, vere dolemus perditum Compendium supra memoratum, una enim cum Compendio et epigramma Nostri periit.

II.

B — Editio: Elegia de falsis prophetis, quos Christus confert lupis, spinis et tribulis, Matth. VII. cap. — Additum est epicedium de morte R(everendissimi) viri Domini Laurentii Leschini. — Autore Christiano Schesaeo Mediensi — Matth. 7. „A fructibus eorum cognoscetis eos.” — Claudiopoli — In officina Georgii Hoffgrevii — anno 1558.

Carmina singularia, quae libro continentur:

— Epigramma ad lectorem — Valentinus Crispus (v. app.1.)

FD — Venerando viro D(omino) Francisco Davidis pastori ecclesiae Claudiopolitanae et ecclesiarum Ungaricarum Superintendenti in Transylvania S(alutem) P(lurimam) D(icit) — Christianus Schesaeus Minister Ecclesiae Claudiopolitanae.

(Excudebatur hoc opusculum et in periodico: Ker. Magv. 1879. p. 104. In: Egyháztörténelmi adatok (Argumenta ad historiam ecclesiae), quae argumenta attulit Dr. Joannes Nagy; ibidemque in Hungaricum a Stephano Hegedüs translatum legi potest. Item: Korresp. 1915. p. 107).

Fp — Elegia de falsis prophetis...

VA — Reverendo viro D(omino) Vincentio Aurifabri, pastori ecclesiae Musnensis Mecoenati suo Christianus Schesaeus S(alutem) D(icit) P(lurimam).

LA — Epicedium de morte reverendi viri d(omini) Laurentii Aurifabri alias Leschini: filii clarissimi viri Vincentii Aurifabri, pastoris ecclesiae Muschnensis, qui obiit 16. Aprilis anno 1558.

LL — Epitaphium eiusdem Laurentii Leschini

Fv — De fragilitate humanae vitae. Sapphicum carmen eiusdem authoris.

B invenitur Debrecini in Bibl. Collegii CH sub signo: RMK 389 (Sz K. II 78), nec non Budapestini in Bibl. AcSH sub signo: Ak phot. A 126/III.

Apud Stephanum Hegedüs (Sch. p. 4) legimus Bibliothecam Universitatis CH Debrecinensis sub signo R 681.1 custodire Ms, Elegias de falsis prophetis continens, at quin Hegedüs erraverit, nobis haud dubium est. H. Schuller accepta de exemplari Debrecinensi descriptione a. 1927 scripsit: „Da dies jedoch Lücken besitzt, wurde eine zweite Kopie notwendig, welche Herr cand. theol. et phil. Heinrich Mautsch für die Bibliothek der Stephan-Ludwig-Roth-Schule unentgeltlich nach dem Exemplar des Siebenbürgischen Museumvereines in Klausenburg besorgte” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 3). Exemplar a Hermanno Schuller memoratum non vidimus. Exsistatne, ignoramus.

III.

C — Editio: De resurrectione mortuorum et iudicio extremo deque vita aeterna Elegiae quatuor, quibus corruptissimi huius saeculi mores ad poenitentiam invitantur — Addita est oratio Historiam vitae clarissimi viri domini Leonharti Stöckelii describens — Autore Christiano Schesaeo — „Iudicii extremi memores estote fideles, | Ne vos praecipites naufraga Syrtis agat.” — Witebergae — Excudebat Iacobus Lucius Transylvanus — anno 1563.

Carmen libro contentum:

Rm — De resurrectione mortuorum et iudicio extremo deque vita aeterna Elegiae quatuor, quibus corruptissimi huius saeculi mores ad poenitentiam invitantur.

LS — Historiam vitae Leonardi Stockelii v. seorsum in N!

C invenitur Claudiopoli in Bibliotheca Universitatis sub signo: BVM 372; 373, nec non Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: Mikrof. A 680/VI.

„Für die Resurrectio mortuorum habe ich das Original der Schässburger ... Gymnasialbibliothek benützt” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 4).

IV.

N — Editio: Oratio describens historiam vitae praecipuam clarissimi viri Leonharti Stöckelii, rectoris scholae Bartphensis, fidelissimi, qui obiit die VII. Iunii — Witebergae — Excudebat Iacobus Lucius Transylvanus — anno 1563.

Opera ac opuscula, quae libro continentur:

Do — Clarissimis atque integerrimis viris D(omino) Matthiae Glatzio, decano generali, nec non Francisco Salicaeo, ecclesiae Byrthalbensis pastori vigilantissimo, dominis et fratribus S(alutem) D(icit) — Christianus Schesaeus.

LS — Oratio describens historiam vitae praecipuam clarissimi viri Leonharti Stöckelii

Ea — Epitaphium
Eb — De morte eiusdem Leonarti Stokelii ad cives Bartphenses
Ec — Aliud epitaphium

N invenitur ibidem ac C.

V.

D — Editio: Epithalamium in honorem nuptialem magnifici domini Casparis Bökes de Korniat, S<erenissimae> R<egiae> M<aiestatis> supraemi Cubicularii, eiusque sponsae generosissimae, Annae, egregii domini Wolfgangi de Harinna filiae — Scriptum a Christiano Schesaeo Mediensi — Anno domini 1567 pridie Cal<endas> Decembr<es> — Albae Iuliae — ex regii typographi officina typographica — Raphaelis Hoffhalter

Opera, quae libro continentur:

AK — Ad magnificum dominum Alexandrum Kendinum olim condiscipulum et commensalem — C<hristianus> S<chesaeus> M<ediensis> tui amantissimus.

WH — Egregio viro, nobilitate generis, virtute et sapientia praestanti Do<mino> Wolfgango de Harinna, Musarum patrono dignissimo S<alutem> P<lurimam> D<icit> — Christianus Schesaeus Mediensis — V<estrae> E<xcellentissimae> D<ominationi> studiosissimus.

EB — Epithalamium continens antithesin aerumnarum et commodorum vitae coniugalis

Pd — De providentia Dei erga genus humanum et de curis huius vitae in Deum ponendis, eiusdem authoris

D invenitur Budapestini in Bibl. Nat. phot. sub signo: FM2/078.

„Exemplarul unic in Biblioteca Muzeului Ardelean, Cluj” (Veress: Bibliografia I. p. 28). „...im Besitz der reformierten Fakultät (Klausenburg) befindliche Exemplar des Epithalamiums auf Békés kopierte” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 3).

VI.

W — Editio pr.: Ruinae Pannonicae libri quatuor: continentes Statum reipub<licae> et religionis in Ungaria, Transylvania vicinisque regionibus imperante Ioanne Secundo electo rege Ungariae etc. — Addita est historia de bello Pannonico Solymanni imperatoris Turcorum ultimo, Iulae et Zygethi expugnationem continens. — Autore Christiano Schesaeo Mediensi Transsylvano — Ieremiae V. cap. „Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur, pharetra eius quasi sepulchrum patens, universi fortes. Et comedet segetes tuas et panem tuum, devorabit filios tuos et filias tuas; comedet gregem tuum et armenta tua; comedet vineam et ficum tuam, et conteret urbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio etc.” — Witebergae — Excudebant Clemens Schleich et Antonius Schöne — anno 1571.

Opera singularia, quae libro continentur:

FF — Ad magnificum virtute, eruditione et generis nobilitate praestantiss(imum) virum d(ominum) Franciscum Forgatsch, vaivodae Transsylvani et comitis Sicularum cancellarium et consiliarium supremum.

SB — Illustrissimo atque inclito heroi Stephano Bathoreo de Somlyo, vaivodae Transsylvano et comiti Sicularum etc. d(omino) beneficentissimo gratiam et aeternam felicitatem a Deo Opt(imo) Max(imo) precatur. — V(estrae) Cels(itudi-
dini) deditissimus — Christianus Schesaeus Mediensis.

RP — Ruinae Pannonicae libri quatuor

Sr — De statu religionis in Ungaria et Transylvania

RP — De bello Pannonico Solymanni imperatoris Turcorum ultimo, libri tres, continentes Iulae et Zygethi expugnationem, nec non sereniss(imi) atque incliti regis Ungariae, Ioannis II. ad imperatorem Turcorum profectionem eiusdem-
que de Tartaris gloriosam victoriam.

NZ — Epitaphium praestantissimi herois Nicolai comitis Serinii ac totius Croatiae capitanei generalis etc.

— Ad lectorem — Laurentius Parvus B[r]istricien(sis) Transilvanus (v. app. 2.)

— Aliud — Franciscus Valentini(anus) Mediensis Transsylvanus (v. app. 3.)

— Aliud — Simon Hermannus Mediens(is) Trans(silvanus) (v. app. 4.)

— Ἐγκωμιαστικόν — Laurentius Kerzius Coronen(sis) Transilvanus (v. app. 5.)

— Carmen heroicum, in commendationem poetices et quatuor librorum de ruina Pannoniae d(omini) Christiani Schesaei, theologi nec non poetae praestantissimi, scriptum a Martino Hentio Cibinien(si) — Witebergae mense Aprili 1571 (v. app. 6.)

W invenitur Budapestini in Bibl. AcSH sub signo: RM III. 196; in Bibl. Nat.: RMK III. 613; nec non „Liceul Honterus, Braşov” (Veress: Bibliografia I. p. 34).

Not. „Scripsit (Sch.) inter varia ... et Pannonicarum ruinarum libros duodecim: e quibus sex Witteberg(ensis) missos, ibidem typis publicavit non sine laude; reliquos sex occasione publicae legationis in Poloniam per magnificum Kendium Stephano regi obtulit anno (15)84” (Hermann: Ann. Eccl. p. 135v marg.).
Opinio haec incerto fundamento nititur.

E — Editio part.: Christiani Schesaei Saxonis Transsylvani — Ruinae Pannonicae libri quatuor — Statum rei publicae et religionis in Ungaria et Transsylvania temporibus Ioannis Sigismundi Zápolya complexi. — Ex editione Wittemberg(ensis) ann(o) 1581 recus. — Accesserunt nunc Notitia Literaria de Schesaeo, notae deinde et excursus ad historiam et ius publicum Transsil(vaniae) adtinentes cum indice critico duplici. — Opera Iosephi Caroli Eder — Scholae Normalis Cibiniensis directoris — Cibinii — Typis sumptibusque Martini Hochmeister — 1797.

Libro continentur:

RP — Ruinae Pannonicae libri quatuor

Sr — Status religionis

Not. Phrasis: „Ex editione — anno 1581...” — m. typ. Errant ergo, qui praeter W alteram editionem fuisse putant. Georgius Haner eos quoque refutat, qui

editionem ex a. 1573 affirmant: „Schoedelius Disquisitionis suae p. 16. edit. Behambianae et ex eo Czwittingerus Biblioth. p. 20, ex hoc vero Buderus Biblioth. Hist. Sel. p. 1491 eas <Ruinas Pannonicas> anno demum 1573 prodiisse, manifesto errore, adfuerunt” (Advers. I. p. 193).

Excudebantur etiam excerpta vel opuscula cum RP cohaerentia in sequentibus et alibi certe:

NZ — Aliud <Epitaphium Nicolai Serinii> — Christianus Scheseris (*sic!*) Transylvanus. — In: De Sigetho Hungariae propugnaculo, a Turca anno Christi 1566 obsesso et expugnato opusculum consecratum virtuti et immortalitati illustrissimi et nobilissimi d(omini) Nicolai comitis a Zerinio etc. generalis capitanei partium regni Hungariae cis Danubianarum, praefecti Sigethani etc. — Ab illustri, generoso et magnifico d(omino) Emerico Forgach barone a Gyimes, equ(ite) aur(ato) et comite Trinchiniensi etc. genero — collectum opera Petri Albinii Nivemontii. — Witebergae — Excudebat Mattheus Welack 1587; pp. G 4v — Hr.

Not. Obscure vel abusive scripsit St. Hegedüs de negotio Nostri ad hanc collectionem colligendam pertinenti (AnR p. 321).

RP — De capto Zygetho historia. — Excerpta: De bello Pannonico II, (= RP X) 318—850. — In: AnR pp. 306—320.

NZ — Aliud — Christianus Schaeseus Transylvanus. — In: AnR pp. 336—337.

HK — Historia Annae Kendiae (in Hungaricum translata). In: It 1916 pp. 7—15. Ms Latinum, Historiam Annae Kendiae tragicam continens, adhuc latet. „Im Burzenländer Kapitels-Archiv (in der Kronst. evang. Gymn.-Bibliothek) in einem Folio-Bande (XIV), der einst im Besitze des Kronstädter Stadtpfarrers Marcus Tarteler (†1757) und später des Neustädter und Zeidner Pfarrers Johannes Rauss (†1774) sich befand” — scribit Fr. Wilh. Seraphin (Korresp. 1907. Num.1).

Ante bellum mundanum primum vel initio eiusdem belli accepit St. Hegedüs ab Oscaro Netoliczka, direttore Bibliothecae Scholae Honterianae, descriptionem (It 1916 p. 2), quae descriptio tempore nostro itidem desideratur. Inde constituimus textu in Hungaricum translato instar codicis uti et Historiam sermone vernaculo typis mandare (v. app. 13.).

RP — De capto Zygetho historia. — Excerpta: De bello Pannonico II, (= RP X) 318—348; 578—606; 624—640; 708—794. In: Eperjessy — Juhász: Partes e fontibus historiae Hungaricae Latinis selectae. — Budapestini 1935. pp. 192—195.

Manuscripta

M — Ms: in: Adversaria Idiographa Historico Statistica Matthiae Militis, senatoris Cibiniensis. — His adversariis, sub titulo: Coherentia cum superioribus, continentur:

RP — Ruinae Pannonicae libri V—VIII; XII.

Matthias Miles descriptionem a. 1667 die 21. Decembris finivit. Historiam Annae Kendiae, qua historia M caret, copista vel omisit, vel hoc opus neque habuit.

M invenitur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: Fol. Lat. 1137. Item: „Buch V—VIII und XII sind nur in einer Handschrift im Budapester Nationalmuseum

erhalten, von der eine Abschrift bis zum Jahre 1944 in der Bibliothek der Kronstädter Honterusschule vorhanden war" (Capesius: Deutsche Hum. p. 238).

St. Hegedüs (M) ... omnium descriptionum fontem esse affirmat (Sch. p. 13).
Fusius v. Szekfü: Ms.

S — Ms: Matthias Bél (1684—1749) describens W praeparavit secundam sui Apparatus decadem, haud secus ac tertiam excudendam. In hac collectione, quae inscribitur: Rerum gestarum in Hungaria carminice Descriptio, leguntur opera Schesaeana sequentia:

NZ — Aliud — Christianus Schesaeus Transylvanus; pp. 55—56.

RP — Ruinae Pannonicae libri quatuor; pp. 230—322. (Post librum primum Sr desideratur.)

RP — De bello Pannonico Solymanni imperatoris Turcorum ultimo (= RP IX—XI), libri tres; pp. 323—382.

S invenitur Strigonii in BEMS sub signo: Cat. X. Tit. IV.a.

Z — Ms: Iosephi comitis Kemény: Collectio minor manuscriptorum historicorum tom. VI. — Tomus VI. inscribitur:

RP — Christiani Schesaei Saxonici Transsilvani Ruinae Pannonicae lib. V. VI. VII. VIII. atque XII. Statum reipublicae et religionis in Ungaria et Transsilvania temporibus Ioanni Sigismundi Zápolya complexi. — Sz(ász) Medgyes B(öldog)asszony havának 1-ső napján 1799. Hazafiui indulatból adja Sz(ász) Medgyesi Heydendorff Mihály. (Medies die 1. Ianuarii a. 1799. Donat amico erga patriam animo affectus Michael Heydendorff Mediensis.)

Z (HK item carens) invenitur: Academia R.S.R. — Filiala Cluj — Napoca Biblioteca Archiva Istorica. Ms fond I. Kemény: Coll. minor, tom. VI. pp. 1—219; nec non Budapestini in Bibl. AcSH sub signo: Ak phot 4649/I.

Opus Schesaei praecipuum — Ruina Pannonica — in editione nostra ordine sequenti componitur:

1. Ad magnificum Franciscum Forgatsch (FF)	}	Ex ed. W, E
2. Illustrissimo Stephano Báthoreo (SB)		
3. RP I.		
4. Sr		
5. RP II.		
6. RP III.	}	Ex Mss M, Z (HK ex It 1916)
7. RP IV.		
8. RP V.		
9. RP VI. (HK v. app. 13.)		
10. RP VII.		
11. RP VIII.	}	Ex ed. W, E
12. RP IX.		
13. RP X.		
14. Nz (in W ad calcem RP XI.)		
15. RP XI.		
16. RP XII.		Ex Mss M, Z

In appendice:

- | | |
|--------------------|----------------------------|
| 2. Ad lectorem | — Laurentius Parvus |
| 3. Aliud | — Franciscus Valentinianus |
| 4. Aliud | — Simon Hermannus |
| 5. Ἑγκωμιαστικόν | — Laurentius Kerzius |
| 6. Carmen heroicum | — Martinus Hentius |

Ad extremum: „Totum opus (RP) a Stephano Hegedüs manu exaratum et relictum aliquo loco latere, collectumque, ut excudatur convertaturque, expectare” — affirmat Ladislaus Geréb (Vig. 1941. 9). Utinam sciamus, ubi hae lateant reliquiae!

VII.

K — Editio: Elegiae in obitum trium illustrium virorum, eruditione, virtute et pietate praestantium M(agistri) Ioannis Honteri, M(agistri) Valentini Wagneri et D(omini) Iacobi Mellembergeri, gubernatorum ecclesiae et scholae Coronensis in Transylvania — Authore Christiano Schesaeo Medien(s), poeta laureato — Beati mortui etc. In Domino quisquis moritur tibi, maxime Christe, sese commendans, ille beatus erit. — Claudiopoli — in officina Caspar(is) Helti — A. 1573.

Scripta, quae libro continentur:

Po — (Praefatio)

Eo — Elegiae in obitum trium illustrium virorum...

Hodie ne unum quidem exemplar reperitur. „Sie ist nur in einem Exemplar erhalten, das besitzt Kronstädter Gymnasialbibliothek” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 44). „... für die Elegia (*sic!*) in obitum trium illustrium virorum habe ich das Original, das der Kronstädter Gymnasialbibliothek benützt” (Schuller: *ibid.* p. 4). Exemplar a Hermanno Schuller memoratum in belli mundani tempestatibus secundi deletum esse creditur.

In folio titulari dedicatio ipsius manu auctoris (!) exarata: „Doctissimo ac nobilissimo medicinae doctori D(omino) Paulo Kertzio olim condiscipulo amico veteri atque carissimo C(hristianus) S(chesaeus) M(ediensis) dono misit” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 44).

VIII.

P — Editio: Imago seu typus de lapsu et restitutione humani generis per Christum sine operibus legis et cultibus Leviticis: ex parabola evangelica de homine saucio et Samaritano. — Additum est: Carmen de sanctorum angelorum officio et custodia erga pios. — Cibinii in officina Martini Heusler et Mart(ini) Wintzler a. 1575.

Opuscula, quae libro contineri memorantur:

It — Imago seu typus de lapsu et restitutione humani generis per Christum sine operibus legis et cultibus Leviticis: ex parabola evangelica de homine saucio et Samaritano

Co — Carmen de sanctorum angelorum officio et custodia erga pios

Hodie ne unum quidem exemplar reperitur. „Diese Gedichte sind dem Leibarzte Nicolaus Bucella von Padua, bei dem Fürsten Stephan Báthori zugeeignet” (Tausch: tom. III. p. 173). „Vergeblich waren meine Forschungen nach Sche-

säus' Carmen de sanctorum officio. Dies Gedicht scheint gleichwie Imago seu typus de lapsu et restitutione humani generis, in dessen Anhang es nach Seiverts Angabe erschien (Nachr. p. 365), verloren zu sein" (Schuller: Sch. als Lyr. p. 4).

IX.

F — Editio pr.: Epithalamion (in nuptias Martini Berzevicei). In: Epithalamia nuptiis magnifici et generosi viri d(omini) Martini Berzevicei, equitis, se(renissimi) Poloniae regis Stephani per Transylvaniam cancellarii et Catharinae Dameraviae de Voianow, puellae nobilissimae lectissimaeque Voianovii die 12. Octobris celebratis — a clarissimis viris scripta. — Cracoviae 1578.

Carmina Schesaei, quae collectione continentur:

De — Magnifico domino Martino Berzeviceio, equiti etc. S(alutem) P(lurimam) D(icit) — V(estrae) M(aiestati) addictiss(imus) Christannus Schesaeus Mediensis P(oeta) L(aureatus)

MB — Eiusdem Epithalamion

G — Descr.: Exemplar editionis **F** unicum inveniebatur olim Dzikovii (Bibliotheca Tarnovski, Polonia; Estreicher: Bibliogr. Polska tom. XII. p. 513 sub nomine Mihaelis Sigleri), de quo habet descriptionem Bibl. Nat. Budapestiensis sub signo: Fol. Lat. 3839, unde nostra editio excusa est.

X.

U — Editio pr.: Oratio de origine et progressu inchoatae et propagatae coelestis doctrinae in hac miserrima patria nostra.

In: Urkundenbuch der evangelischen Landeskirche A. B. in Siebenbürgen. Hermannstadt 1883. tom. II. pp. 230—251.

Opera Schesaei, quae **U** continentur:

Io — (Introductio)

Od — Oratio de origine et progressu inchoatae et propagatae coelestis doctrinae in hac miserrima patria nostra

Editio **U** tribus codicibus usa est, qui sunt: Codex Pöldnerianus, Codex Adamianus et Codex Hermannianus, alias: Protocollum actorum publicorum status inprimis ecclesiastici Saxonum in Transsilvania. De Protocollo invenimus: „... ist insbesondere dadurch wertvoll, dass es die Rede Schesäus' von 1580 über die Einführung der Reformation in Siebenbürgen in einem vorzüglichen, aus dem Jahren 1615 bis 1620 stammenden Text enthält" (Urk. tom. II. p. XIV). Codex Hermannianus invenitur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: Quart. Lat. 1775. Codices ceteri (Pöldnerianus et Adamianus) hodie ubi lateant existantne, ignoramus.

L — Editio part.: Historia ecclesiae reformatae in Hungaria et Transylvania a Frid. Adolpho Lampe Traiecti ad Rhenum 1728. Sectio II. Ἀρχαιολογία seu: Recitatio rerum antiquarum historica de origine, modo et progressu reformationis ecclesiarum Saxo-Transylvanicarum potissimum, ut quidem in archivis capitulorum Mediensis, Cibiniensis et Coronensis reperire est vera et genuina; pp. 680—690; caput inscribitur: Extractum ex archivio capituli Mediensis.

Lampe multas orationis Schesaeanae transscripsit ac omisit partes. Extrema pars, res post mortem Nostri continens, non a Nostro scripta est.


O — Descr.: Oratio de origine repurgatae et propagatae coelestis doctrinae in Transilvania et vicina Hungaria, habita erat in synodo Birthalbina die 8. Maii a. 1580 a Christiano Schesaeo Mediensi A.C. pastore.

Descripsit exemplar Danielis Cornidis Franciscus Buday, litterarum sanctorum Turici studiosus, mox pastor Sovatiensis ad usum Nicolai Sinay a. 1787. Reperitur Ms **O** in Bibl. Nat. Budapestini: Orationes duae historicae (Quart. Lat. 1247).

R — Descr.: Schesaei Christiani Oratio de initiis reformationis in Transylvania. Ms. saec. XVIII (a. 1787). Descripsit **O** manu propria pastor Debrecinensis, Gabriel Nagy, a. 1826. Reperitur **R** in Bibl. Nat. Budapestini sub signo: Fol. Lat. 3164.

Ad calcem **R** lingua vernacula haec leguntur: Ezen munkáról mint kinyomtatott-ról emlékeznek: Horányi, Bod Péter¹ a Magyar Athenásban. A gróf Teleky Sámuel Bibliothekájában pedig kéziratban találhatik. A gr. Szécsényiében úgy sem. Buday Ésaías a magyarországi reformatio írói közt pedig nem említi. Debrecenben nov. 24-én (1)826. Nagy Gábor mp. Leírta ezt Buday Ferenc, akkor Tigurumba menő akademizáns, annakutána pedig szováthi predikátor a Cornides exemplárjából a Sinay Miklós számára, mint a 429-ik lapon való levele mutatja 1787-ik esztendőben. Ennek nagy részét, de kihagyásokkal kinyomtatta Lampe Hist. Eccl. pag. 680. NG mp. (Opus hoc tamquam excusum memorant: Horányi, Petrus Bodius in Athenis Hungaricis. In bibl. comitis Samuelis Teleky Ms reperitur, in bibl. comitis Szécsényi deest. Esaiás Buday inter reformationis scriptores Hungariae praetermittit. Debrecini die 24. Novembris a. 1826. Gabriel Nagy mp. Descripsit hoc opus Franciscus Buday, tum Tigurum profecturus litterarum sanctorum studiosus, mox concionator Sovatiensis, de exemplari Cornidis ad usum Nicolai Sinay, teste epistola in 429. pagina existente, a 1787. Huius operis maximam, sed praetermissionibus, partem excudebat Lampe: Hist. Eccl. pag. 680. G(abri)el N(agy) mp.)

Stemma fontium editionis nostrae:



¹ Horányi et Petrus Bodius haud dubio Historiam Lampe appellant. Simili modo erravit et Zoványi, cum scripsit: Orationem a. 1580 (!) excusam fuisse, sed quo loco, et ipse ignorare videtur (Zoványi: Com., sub titulo: Schesaeus).

XI.

T — Editio: Enarratio psalmi XC. vitae humanae miseriam et fragilitatem depingens: saevissima pestilenti lue grassante per totam Transylvaniam, aliquot piis et salutaribus concionibus explicata — a Christiano Schesaeo Mediensi Transylvano — Iob 14. cap. „Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.” — Witebergae — Clemens Schleich excudebat — 1580.

Opera, quae libro continentur:

CB — Epistola dedicatoria: Serenissimo atque inclito Principi D(omino) Christophoro Bathoreo vaivodae Transylvaniae et Siculorum comiti, nec non verae Ecclesiae Dei fautori, domino clementissimo — Salutem et omnium rerum felicem successum precatur. — Vestrae Cels(itudini) humillime subditus Christianus Schesaeus pastor ecclesiae Mediensis

— Reverendo et clariss(imo) viro D(omino) M(agistro) Christiano Schesaeo ecclesiae Mediensis in Transylvania pastori, domino, amico et fratri suo honorando Nicolaus Selneccerus, pastor Lipsensis (v. app. 7.)

En — Explicatio psalmi XC.

Pn — Psalmus XC. depingens humanae vitae miseriam et fragilitatem Sapphico carmine redditus

Pr — Precatio ad Deum pro avertenda lue pestilentiali

Oc — Ode consolatoria, quo pacto pii luctum ex obitu dulcissimorum liberorum aut aliorum, quos charos in hac vita habuerunt, conceptum aequiore animo ferre debeant. — Scripta — ad reverendum, pium et doctum virum D(ominum) Franciscum Valentinianum Mediensem, amicum et compatrem charissimum — a Christiano Schesaeo Mediensi, — cui non ita pridem filius unicus amplissimae spei adolescens, Stephanus Schesaeus e vivis excesserat 29. Decembris anno 1578. natus anno fere 13.

— Epitaphium in obitum immaturum filii R(everendissimi) et Clarissimi viri D(omini) Christiani Schesaei, pastoris ecclesiae Mediensis, Stephani Schesaei, qui decessit aetatis suae anno 13. a Christo vere nato anno 1578. die 29. Decembris. — Franciscus Valent(inianus) Medi(ensis) (v. app. 8.)

T — invenitur in Bibl. AcSH sub signo: RM III. 272.

Not. „Eine ausserordentlich wertvolle, weil photographisch hergestellte Kopie der Enarratio psalmi XC samt ihrem poetischen Anhang wurde mir in der Universitätsdruckerei von Oxford nach dem in der Bodleian Library aufbewahrten Exemplar angefertigt” (Schuller: Sch. als Lyr. pp. 3—4).

XII.

I — Editio: Imago boni pastoris ad Christum mundi salvatorem accommodata: Iohan. 10. — Carmine descripta a Christiano Schesaeo, pastore ecclesiae Mediensis in Transylvania — (Lipsiae) — anno 1584.

Opera, quae libro continentur:

NS — Clarissimo et pietate insigni, deque ecclesia filii Dei praeclarissime merito

viro, D(omino) Nicolao Selneccero, pastori ecclesiae Dei in urbe Lipsensi ac sacrae theologiae doctori, D(omino) et amico charissimo — V(estrae) Excel(lentiae) Christianus Schesaeus pastor ecclesiae Mediensis, deditissimus amicus.
Ip — Imago boni pastoris ad Christum salvatorem mundi accommodata: Iohan. 10.

I — invenitur in Bibl. AcSH sub signo: Theol (E) Qu.660; nec non in Bibl. Nat. Budapestini sub signo: RMK III. 733.

XIII.

Opera incerti auctoris fragmentaque,
quae Schesaeo adscribuntur

1.

Ga — Gratiarum actio pro beneficio incarnationis Dei

„...aus dem Jahre 1558” (Schuller: Sch. als Lyr. p. 15). Schuller de omnibus aliis rebus, ad opusculum attinentibus, tacet. Neque nos plura invenimus.

2.

VM — Epithalamium V.M.

„Epithalamium... welches, handschriftlich erhalten, dem Schäsburger Exemplar der Resurrectio mortuorum vorne angeheftet ist. Die Schrift gleicht völlig humanistischem Kursivdruck. Es umfasst auf vier Quartblättern 130 Verse, der Schluss fehlt.

Verfasser ist keiner genannt. Die Wahrscheinlichkeit, dass Schesäus er sei, wäre dadurch, dass es mit einem Werke desselben zusammengebunden worden ist, noch wenig erwiesen, denn auch Johann Sommers Reges Hungarici et clades Moldavica etc. befinden sich in demselben Bande. Doch stehen nach dem Titel „Epithalamium” die Buchstaben V.M., vermutlich — Vincentio Meo. In v.18 wird Vincentius, ausgeschrieben, als Bräutigam erwähnt. Man muss an den Meschner Pfarrer Vincentius Aurifabri denken, der eine späte, etwa zweite Ehe einging.

Das Carmen unterscheidet sich aber zunächst in der metrischen Form vom Epithalamium auf K.B. (Casparus Bekes), da es nicht im daktylischen Distichon, sondern in Epodenmass des mit dem jambischen Trimeter abwechselnden jambischen Dimeters abgefasst ist” (Schuller: Sch. als Lyr. pp. 56—57).

Opusculum hoc a nemine, nisi a Hermanno Schuller memoratur. Sitne auctor huius Epithalamii Noster, an non, sine ulla operis analysi sententiam dicere non possumus.

3.

A — Editio: (Carmen ad Isabellam et Ioannem Sigismundum salutatorium, in quo Nuncia coeli (mulier allegorica: Ecclesia) precatur ad regem, ut fidem veram contra haereticos tueatur, et accelerante die synodum statuatur) — Claudiopoli — In officina Georgii Hoffgrevii — a. 1558. Pagina titularis desideratur.

Opuscula, quae libro continentur:

MC — 3/1. Clarissimo viro domino Mihaeli Chyakio reginalis maiestatis cancellario salutem.

DI — 3/2. Divae Isabellae reginae et filio eius serenissimo, Iohanni Sigismundo electo regi Ungariae, Dalmatiae, Croatiae etc.

Pm — 3/3. Psalmus LXXIX. Deus, venerunt gentes etc. — continens precationem contra persecutores ecclesiae.

A — invenitur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: RMK II. 78/a. Exemplar unicum. Auctor ignotus, v. MKSz 1912 p. 263; 1913 p. 198; Veress: Bibliografia I. p. 18; nec non Iosephus Fazekas: OSzKÉvK (Annales Bibliothecae Nationalis) 1960 p. 179. Eugenius Zoványi a. 1921 (Hist. Ref. pp. 319—320; 361) minus certe, deinde a. 1940 iam sine ulla dubitatione operibus Schesaeanis inserit hunc libellum (Com. sub titulo: Schesaeus). Nos sententiam Zoványi potius accipimus, quam reiicimus, licet argumento, quod refelli non potest, careamus.

4.

PK — <Dedicatio Paulo Kertzio>

In folio titulari Elegiarum in obitum trium illustrium virorum ipsius manu auctoris exarata. (Schuller: Sch. als Lyr. p. 44)

5.

V — Editio pr.: Pannoniae Historia Chronologica: res per Ungariam, Transylvaniam iam inde a constitutione regnorum illorum usque ad invictiss(imum) Rom(anorum) Imp(eratorem) Rodolphum II. Ungariae regem Christianum 40. et sereniss(imum) Sigismundum Bathorium Trans(sylvaniae) etc. ducem, maxime vere hoc bello gestae. Vitae item acta et victoriae reliquorum eius belli procerum per T(eucrium) An(naeum) Privatum C(olcanthem). Icones genuinae regum, ducum et procerum eiusdem militiae. Tabula chorographica Ungariae totius nova; quaedam topographica et quaedam historicae effigiationes artificiosae. Index rerum memorabilium. Omnia in aes eleganter incisa et recens evulgata per Theodorum de Bry Leodien(sem)civem Francf(urti) ad Moenum. — Francof(urti)a(nn)o 1596. — (Colophon): Francofurti impressum per Iohannem Kolitium, impensis Ioh(annis) Theodori et Ioh(annis) Israelis de Bry fratrum. 1596.

Titulus apud bibliographos variatur, puta: Chronologica Historia Pannoniae; Chronologia Historica Pannoniae; Carmina Chronologica Historiae Pannoniae.

Opera, quae V continentur:

— Prognosticon Antonii Torquati Ferrariensis philosophi, medici et astrologi clarissimi, cuius Turcae adversus se scripti et ab Ungaris iactati in suis historiarum monumentis ipsimet mentionem fecisse dicuntur (v. app. 9.)

— Vaticinium Turcarum, quod ante annos complures Constantinopoli prope templum S(anctae) Sophiae turri quadam ruinosam super cortice arboris scriptum reppererunt. At nunc Christianis ea, qua sequitur, occasione communicatum (v. app. 10.)

- Symbolum Theodori de Bry Leodien(sis) (v. app. 11.)
- Theodorus de Bry ad candidum lectorem (v. app. 12.)
- Ch — Compendium Historiae rerum Ungaricarum interprete Teucro Annaco Privato C. ex Germanico in Latinum
 - Commentarius de bello Ungarico, in quo ea, quae ab anno 1591 in praesens usque tempus inter arma per Ungariam acciderunt, breviter quidem, sed fide bona et perspicue enarrantur
- V — invenitur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: App. H. 1925; certe et alibi. Editionem (editiones) in lingua Germanica praetermittimus.
- Y — Editio alt.: Historia Chronologica Pannoniae: res per Hungariam et Transylvaniam ... gestas; icones item vitasque et victorias regum ... tum Christianorum, quam Turcorum ... a Ioanne Iac(obo) Boissardo ... delineatas continens. (Translated by I(ohan) A(dam) Lonicer from an anonymous German original.) Ad annum usque 1607 continuata et deducta studio et opera M(agistri) Gothardi Artus(ii) Dantiscani. Addita est tabula chorographica totius Hungariae nova etc. (With plates) pp. 290. Per T(heodorum) de Bry relictam viduam et filios haeredes: Francofurti 1608.4°.

Invenitur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: App. H. 3145; certe et alibi. Folium titolare deest, desuntque in fine libri paginae multae. Folium titolare editionis Y sumpsimus ex: General Catalogue of Printed Books. London 1963. Photolithographic edition to 1955 volum. 179; sub titulo: Pannonia. Editionem (editiones) in lingua Germanica praetermittimus.

Not. Opus hoc non a Schesaeo scriptum esse arbitramur. Nitimur sequentibus:
 — Prodiit in lucem decem vel pluribus annis peractis post mortem Nostri; spatium perlongum.

— Multi auctorem quemquam ignotum Germanicum fuisse probant; at sunt, qui hoc opus a Iacobo Boissardo (Frölich: Prodr. cap. 18) aut a Gothardo Artusio Dantiscano (Bibl. Exotica p. 932) scriptum esse asserant.

— In Compendio talia possumus legere, quae Noster nullo modo potuisset scribere; e.g.: „Ungaria habuit ab anno Christi 969 vel secundum alios 990 ad annum usque praesentem (!) 1595, quo invictissimus imperator Rodolphus II. rerum potitur, reges Christianos quadraginta” (Ch 16); „Comitatus Zaladiensis, ultra lacum Balathonem. Est aut cis lacum, si nostram (!) plagam respicias; si quidem Bonfinius, qui horum auctor est, Budae historiam suam conscripsit, qua ratione multi geographorum falluntur in Thihan, locum illi ultra lacum assignantes, cum sit secundum Bonfinium in nostris partibus” (Ch 21).

— Auctor, qui totus partes Ferdinandi sequebatur, rerum historicarum Hungariae satis imperitus fuit, e.g.: rex Ioannes Budae moritur; arx Dregely delebatur a. 1550 (rec. 1552); eodem anno oppugnabatur et Agria (rec. 1552); expugnationem arcis Szigetvár silentio praeteriit et similia multa.

— Si Noster scripsisset hoc opus, num deessent: Isabella, Georgius Frater, Valentinus Török? Num tacuisset de religione reformata, de Saxonibus, de expugnatione arcis Szigetvár? Num scripsisset: „Ioannes Sigismundus ... obiit absque sobole, nec abfuit suspicio veneni”? Minime.

At quaerat quispiam, quomodo fieri potuerit, ut hoc opus tamen Nostro adscriptum sit? Responsum non insolitum est, bibliographi enim plerumque alii ex aliis mutantur indicia, re non explorata. Serviunt mori recepto — sicut id C. Eder (E Not. Lit.) confessus est.

Quod ad hanc rem attinet, omnium fons initiumque Georgius Draudius fuit, qui a. 1610 — qua ratione: nescitur — Nostro tribuerat Chronologicam Historiam Pannoniae. Is enim primus, nisi fallimur, scripsit in eodem capite sequentia: „Christiani Schesei Ruinae Pannonicae lib. IV. cum hist. de bello Pannonico Solymanni, Imp. Turcarum, ultimam Iulae et Cigethi expugnationem continent. Witteb. 73. 4. carminice. Chronologica historia Pannoniae ad Rodolph. II. Francof. ex offic. Bryaneia 96.4. cum fig.” (Bibl. Exotica p. 932). Anno 1625 iteravit hanc sententiam in Bibl. Class. p. 1302. Secuti sunt Draudium quasi ad verbum Martinus Schoedelius (Disq. p. B2) et Ioannes Ferdinandus Behambius (Notitia p. 16).

Post hos David Czwittinger a. 1711 in appendice Speciminis sui, i.e. in Bibliotheca iam sic tradidit hunc locum: „Schesei Christiani Ruinarum Pannonicarum Libri IV. cum Hist. Pannonica Solymanni Imp. Turc. ultimam expugnationem Gyulae et Szigethi continente. Vitebergae 1573. 4. Eiusdem (!) Chronologia Historica Pannoniae ad Rudolphum II. Imp. carminice conscripta. Francof. Moen. 1596. in 4. cum figuris aeneis” (p. 20).

Hinc ille error! Illud vocabulum: eiusdem! Notatu dignum: Czwittinger eundem librum posterius bis memorat ab ignoto scriptum esse: „Anonymus: Historia Chronologica Pannoniae. Das ist: Ungarische und Siebenbürgische Historia, was sich in diesen Ländern seyt der Sündflut bis auf jetzige Zeit begeben, mit schönen Conterfeyungen und Kupfer-Stücken gezieret, von neuem an Tag gebracht durch Dieterich Bry Wittib und deren 2 Söhnen. Francfurt am Mayn. A. 1596; 1607. 4” (p. 22). Item: „Anonymi: Carmina Chronologica Historiae Pannonicae ad Rudolphum II. Rom. Imp. et Regem Hung. cum figuris aeri incis. Francofurti M. 1596. 4” (p. 44). Identitas operum memoratorum liquet. Czwittingerum non brevis ordo bibliographorum sequitur, praecipue Hungaricorum, opus hoc Nostro tribuentium; utputa: Haner: Advers. tom. I. p. 194; Seivert: Nachr. p. 365; C. Eder: E Not. Lit. et alii.

Solus Trausch annotat: „Nach meinem Ermessen aber kann Schesäus, welcher an 30. Juni (rec. Juli) 1585 starb, unmöglich der Verfasser dieses Buches, wenigstens nicht des ganzen Buches sein” (tom. III. p. 174).

Simili modo et Szabó-Hellebrant nullum ab iis exemplar visum esse asterisco signant (RMK III/1. 877). Bibliographi posterioris recentiorisque aevi iam sine ulla dubitatione adscribunt Nostro hoc opus.

6.

Epigramma sermone Germanico scriptum, in quo Stancarum et Calmanchaeum illudit) Legitur in textu alieno:

St — ... „dass sie beide, Stancarus et Claudus mit ihrem Stank in Siebenbürgen ... müssen, ut doctissimus poeta Transylvanus de his scripsit” (Hermann: Ann. Eccl. p. 19v marg.). Item: ... „dass sie beide, Stancarus und Claudus mit ihrem ... stanck in Siebenbürgen sincken müssen” (Hermann: Ann. Eccl. p. 23r). Alibi: ... „quod <haeresin Calmanchaei> cum haud sine ingenti animi dolore perciperet Stoeckelius, eundem aggressus ea felicitate, qua Stanckarum confu-

derat, publice confundebat, et Claudum cum Stancaro in Transylvaniam etiam abigebat, dass sie beide mit ihrem Stanck in Siebenbürgen hüpfen müsten, ut Schaesaesus, acutissimus poeta in epigrammate quodam ludit” (Haner: Hist. Eccl. p. 226).

Annales Hermanniani Ecclesiastici inveniuntur Budapestini in Bibl. Nat. sub signo: Ms Quart. Lat. 1100 nec non 1101.

Plura de hoc epigrammate (?) ignoramus; cf. FD 19—20.

SCRIPTURA

In uncis scripsimus, quae lectiones semper vel nonnunquam in editionibus, nec non in manuscriptis proveniunt. Ubi ex ea radice derivata oriuntur, asteriscum (+) posuimus; e.g.: letum⁺ pro: letum, letalis; sidus⁺ pro sidus, sidereus etc.

Vocales:

a (o):	podagra, calumniator
ae (e):	praegnans, saeculum, saepe ⁺ , blaesus, saepire, Lenaeus, paene, praeclarus, clarae (s. gen.), praeco, Maecenas, Hyblaeus, faex, Bartholomaeus, crebrae (pl. nom.), praecox
ae (oe):	daemon, caelum ⁺ , laetus, maestus ⁺ , faemina ⁺ , caedes, caecus, saepe ⁺ , Paeones, caenosus, paeon, caerulus, taedium, caelatus, Maecenas, praecordia, maeror, praesul
æ (ae):	felix ⁺ , camena, obscenus ⁺ , museum, interpretor, supremus, frenum, latē, chorea, fetus, lyceum, Diomedeus, cometes, Lerna, incestare ⁺ , Lenaeus, heres ⁺ , festum ⁺ , prehenso, celo ⁺ , interceptus, praecipue, preces, Epicureus ⁺ , publicē, chelae, Hebraeus, Gryneus, Giganteus, letum ⁺ , Cecropius, Leda ⁺ , cedere, ceter, impiē, Phoebeus, questus, semen
ē (i):	deversorium
ē (oe):	felix ⁺ , fecundus ⁺ , fenus ⁺ , cena, incestare ⁺ , obscenus, pene, feta, cepit (capere)
ī (e):	vindicare, comissor, dilatum
ī (y):	nimbus, Gigantes, lacrima ⁺ , sidus ⁺ , Tiberinus, hiems, tiro, clipeus, inclitus, ocus, historia, tigris, cidaris, sincerus ⁺ , aditus, Sirius, chirographum, Aemilius, acinaces, hibernus, Podalirius, Philoctetes, Hieronymus, chrisma, Tiberius, silva, Transsilvania
œ (ae):	proelium, coetus, oestrum, coepit ⁺ , coenum, foedus, Oenotrius, Phoebeus, citharoedus, amoenitas
ȳ (i):	Assyria, Hieronymus, systema, pyxis, Iazyges

Consonantes:

c (cc):	acacia, pacare
c (ch):	carus ⁺ , lacrima ⁺
c (qu):	cum, assecutus, consecuturus
c (t):	mendacium, deliciae, commercium, convicium, nutricius, conducticius, officium
cc (c):	occupatus ⁺
ch (c):	Charybdis, pulcher, inchoo
ch (h):	Michael
cch (ch):	Bacchus ⁺ , Gracchus
ct (th):	auctor
d (c):	quidquid
d (t):	Leonardus
ds (—s):	adspicio, adsperso
ds (ss):	adsurgo, adsuetus
f (ph):	profanus ⁺ , sulfur, Favorinus, feretrum, Africa
ff (df):	afflictus, affluo
ff (f):	sufflati
g (gh):	aga
h (—):	hyacinthus
l (ll):	religio, asylum, palatum, palantes, reliquiae, belua, paulatim, paulo, ilia
ll (l):	psallo, sollertia ⁺ , sollicitus ⁺ , humillime, simillimum, sollemis
m (mm):	absumere ⁺ , comissor, consumo
m (n):	quemque, tamque, quemquam, tamquam, quemdam, cumque, imprimis, quamquam, plerumque, quamdam, aliquamdiu, quorumdam
mm (m):	commodum ⁺ , comminus, consummata ⁺
mm (nm):	immodicus
mp (m—):	contemptus ⁺ , desumptum ⁺ , peremptum, promptus, redemptor ⁺
mp (n):	temptatus ⁺
n (m):	incumbere
n (nh):	Leonardus
p (pp):	opiparus, supellectilis
pp (p):	opportunus, repperit
r (rr):	directa, diruta, Arius ⁺
rrh (rr):	catarrhus, arrha
s (ss):	sese, causa ⁺ , suspendo
sc (s):	Scepusium
sc (xc):	sescenti
ss (s):	assuefactio, effossum, dissectis, Transsilvania
t (c):	saevitia, otium ⁺ , pretium ⁺ , spatium ⁺ , negotium, pigritia, Mezentius, mundities ⁺ , propitius, canities, contio, laetitia, fetiales, iustitia, vitium ⁺ , avaritia, durities, crassities, planities
t (ct):	artum
t (d):	quatriduum
t (th):	Atlas, Nabataeus, martyrium, satanas, proletarius, Aetna, catarrhus, aratrum, letum ⁺ , balteus, Proteus, clatri, Antonius, torus, Bistonia, Mahomet, Lotus, tavernicus

t (tt):	quatuor, quotidie, litus, immitis, Cretensis, Britannus, legitimus,
t (tth):	Lotus
th (t):	Phlegethon, Phaethon, cathechesis, Thrax, amphitheatrum, Scythicus
th (tth):	Gothorum
tt (t):	littera
xs (x):	exsulere, exsupero, exsatiatus, exsto, exsero, exsanguis, exspecto, exsilium, exstirpo, exserto, exsisto, exsequendum, extinctus, exsecrandus, exstruit, exsultat

Abbreviaturae et signa

Abbreviaturas editionum operumque singulorum v. in cap. introductionis, quod inscribitur: Opera (editiones, Mss) in ordinem chronologicum redacta.

Abbreviaturas locorum Biblicorum v. in cap. Indicis locorum et appellationum, quod inscribitur: Loci Biblici.

Abbreviaturas bibliographicas v. post abbreviaturas obvias vel tritas.

Abbreviaturae obviae vel tritae

a.	anno; ante
A. B.	Augsburger Bekenntnis
abbr.	abbreviatura
abbr. bibl.	abbreviaturae bibliographicae
AcSH	Academia Scientiarum Hungarica
A. C.	Augustana Confessio
a. Chr.	ante Christum natum
ang.	angelus
ann.	annotatio; in annotatione
apost.	apostolus
app.	appendix; in appendice
app. cr.	apparatus criticus
archang.	archangelus
arg.	argumentum
Bibl. Nat.	Bibliotheca Nationalis Hungarica Széchényiana
BEMS	Bibliotheca Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis
cap.	caput
cf.	confer
CH	Confessio Helvetica
cit.	citatus, citatus
corr.	correctum, corrigit
d.	dies, die
ded.	dedicatio
descr.	descriptio
ed.	editio, edidit
ed. alt.	editio altera
ed. part.	editio particularis
ed. pr.	editio princeps
ex. g.	exempli gratia

episc.	episcopus
epist.	epistola
evang.	evangelista
fil.	filius, filia
fluv.	fluvius
fol. tit.	folium titolare
frag.	fragmentum
g.	gens
h.	hodie
Hung.	Hungaricus
ibid.	ibidem
i. e.	id est
imp.	imperator
in cap.	in capite
incert.	incertum lectu
in ras.	in rasura
intr.	introductio, in introductione
in unc.	in uncis
l. c.	locus citatus
lib.	liber
marg.	marginalia; in margine
Ms	manuscriptum
m. scr.	mendum scriptoris
m. typ.	mendum typographicum
Not.	nota; notandum est
om.	omittit
opp.	oppidum
p.	pagina
patr.	patriarcha
praef.	praefatio
proph.	propheta
prov.	proverbium
provinc.	provincia
psal.	psalmus
r	recto
ras.	rasum, rasura
rec.	recte, rectius
red.	redigit, redactor
s.	sive
saec.	saeculum
sc.	scilicet
Sch.	Schesaeus
scr.	scriptura
Sept.	Septuaginta
sq. sqq.	sequens, sequentia
SS	scriptura sacra
subs.	subscripsit, subscriptio
subtit.	subtitulus

suprascr.	suprascriptum
tit.	titulus; in titulo
tom.	tomus
trag.	tragoedia
v	verso
v.	vide
Vulg.	Vulgata

Signa

+	asteriscus
< >	litterae (verba) uncis acutis inclusae ab editore sunt additae
<...>	litterae vel verba desunt
[]	litterae (verba) uncis quadratis inclusae supervacaneae vel ad textum non pertinentes

Abbreviaturae bibliographicae

Adp	Matthias Bel: Adparatus ad historiam Hungariae, decas I. Posonii 1735.
AnR	Stephanus Hegedüs: Analecta recentiora ad historiam renaissance in Hungaria litterarum spectantia. Budapestini 1906.
Bakschay	Abrahamus Bakschay: Chronologia regum Ungariae. In: Samb. pp. 901—920.
Bartal: Gloss.	Antonius Bartal: Glossarium mediae et infimae Latinitatis regni Hungariae. Budapestini 1901.
Behamb: Notitia	Ioannes Ferdinandus Behambius: Notitia Hungariae antiquo-modernae. Argentorati 1676.
Bethlen: Hist.	Wolfgangus de Bethlen: Historiarum Pannonico — Dacicarum libri X. a clade Mohazensi 1526 usque ad finem seculi. In arce Kreüsch sine anno.
Bibl. Class.	Georgius Draudius: Bibliotheca librorum Germanicorum Classica. Francofurti apud Moen 1611.
Bibl. Exotica	Georgius Draudius: Bibliotheca Exotica sive Catalogus officialis librorum peregrinis linguis usualibus scriptorum. Francofurti 1610.
Bonf.	Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades. I—III. Lipsiae 1936; IV. Budapestini 1941; V. ibid. 1976. Ed. I—IV. I. Vögel et B. Iványi nec non L. Juhász; V. Margarita Kulcsár et Petrus Kulcsár.
Borzsák: Antiq.	Borzsák István: Az antiquitás XVI. századi képe. Bornemisztanulmányok (Memoria antiquitatis in saeculo XVI-o. Commentationes de Petro Bornemisza). Budapest 1960.
Budai: Polg. Lex.	Budai Ferenc: Polgári lexicon (Lexicon Civile). I—III. Pest 1866.

Capesius: Deutsche hum.	Bernhard Capesius: Sie förderten den Lauf der Dinge (Deutsche Humanisten auf dem Boden Siebenbürgens). Bukarest 1967.
Cod. Ad.	Codex Adamianus, Ms
Cod. Herm.	Codex Hermannianus (David Hermann: Protocollum actorum), Ms
Cod. Pöld.	Codex Pöldnerianus, Ms
Euseb. Hist.	Eusebii Pamphili ecclesiasticae historiae libri X. Moguntiae 1672.
Ethn.	Ethnographia. Periodicum.
Forg. Com.	Franciscus Forgach: Destatu reipublicae Hungaricae Commentarii. Pestini 1866.
Fraknói-Ábel: Ir. eml.	Fraknói Vilmos-Ábel Jenő: Irodalomtörténeti emlékek (Monumenta litteraria) I—II. Budapest 1886.
Frankl: Isk.	Frankl (Fraknói): A hazai és a külföldi iskolázás a XVI. században (Res scholasticae vernaculae ac externae in XVI-o saeculo). Budapest 1873.
Frölich: Prodr.	David Frölichius: Prodromus Chronici Hungariae. In: Adp pp. 381—418.
Guev. Hor. princ.	Antonius de Guevara: Horologium principum sive de vita M. Aurelii imp. libri III. Lipsiae 1611.
Goldwurm: Wunderz.	Casparus Goldwurm: Wunderzeichen. Franckfurt am Mayn 1567.
Gerézdi: Ian. Pan.	Gerézdi Rabán: Janus Pannoniustól Balassi Bálintig (A Iano Pannonio usque ad Valentinum Balassi). Budapest 1968.
Haner: Advers.	Georgius Ieremias Haner: De scriptoribus rerum Hungaricarum et Transilvanicarum Adversaria. I—II. Viennae 1774.
Haner: Hist. eccl.	Georgius Haner: Historia ecclesiarum Transilvanicarum. Francofurti et Lipsiae 1694.
Hedwig: Chron.	Chronicon Latinum ab anno 1556—1592 conscriptum per abnepotem Augustini Hedwig. Ms. In: Miles: Adversaria, pp. 142—149.
Hegedüs: Sch.	Hegedüs István: Schesaeus Ruinae Pannonicae című epikus költeménye (De Schesaei Ruina Pannonica). Budapest 1916.
Hermann: Ann.. Eccl.	David Hermann: Transylvanicarum rerum Annales Ecclesiastici. Ms. (Codex saec. XVIII.)
Herod. Hist.	Herodotus: Historiarum libri IX.
Hes. Op.	Hesiodus: Opera et dies.
Horváth: Ref.	Horváth János: A reformáció jegyében (In signo reformationis). Budapest 1957.
Istv. Hist.	Nicolaus Istvanfius: Regni Hungarici Historia. Coloniae Agrippinae 1724.
It	Irodalomtörténet (Historia litterarum). Periodicum.
ItK	Irodalomtörténeti Közlemények (Communicationes ad litterarum historiam pertinentes). Periodicum.

Ios. Flav. Bell.	Iosephus Flavius: De bello Iudaico.
Ios. Flav. Ant.	Iosephus Flavius: Antiquitates Iudaeorum.
Iust. Hist.	Iustinus: Historiae Philippicae.
Ker. Magv.	Keresztény Magvető (Sator Christianus). Periodicum.
Korresp.	Korrespondenzblatt. Periodicum.
Kozáky	Kozáky István: Danse Macabre. A haláltáncok története. I—III. Budapest 1936—1944.
Lampe	Frid. Adolphus Lampe: Historia ecclesiae reformatae in Hungaria et Transylvania. Traiecti ad Rhenum 1728.
Lazius	Wolfgangus Lazius: Des Khünigreichs Hungern sampt seinen eingeleibten Landen grundtliche unnd warhafftige Chorographica beschreibung. Viennae Austriacae 1556.
Lemn. De mir.	Levinus Lemnius, medicus Zirizaeus: De occultis naturae miraculis ac variis rerum documentis libri IV. Coloniae Agrippinae 1573.
Manl. Coll.	Ioannes Manlius: Locorum communium collectanea per multos annos tum ex lectionibus D. Philippi Melanchtonis, tum ex aliorum doctissimorum virorum relationibus excerpta. Francofurti ad Moenum 1566.
Marczali: Világt.	Marczali Henrik: Nagy Képes világtörténet (Historia mundi magna imaginibus ornata). I—XII. Budapest 1899—1905.
Marg.	Eduardus Margalits: Florilegium. Budapestini 1895.
Miles: Adversaria	Adversaria Idiographa Historico Statistica Matthiae Militis, senatoris Cibiniensis. Ms
Miles: Chron.	Chronologia rerum Hungarico-Transylvanarum a nato Salvatore Christo, notatu dignarum. In: Miles: Adversaria pp. 5—66.
Miles: Würg.	Matthias Miles: Siebenbürgischer Würg-Engel (Oder Chronikalischer Anhang des XV. seculi). Hermanstadt 1670.
MKsz	Magyar Könyvszemle (Conspectus librorum Hungaricus). Periodicum.
Monumenta com.H.	Magyar országgyűlési emlékek. Monumenta comitialia regni Hungariae. Red. Fraknói Vilmos (tom. I—VIII.); Fraknói Vilmos et Károlyi Árpád (tom. IX—X.). Budapest 1874—1917.
Monumenta com. Tr.	Erdélyi országgyűlési emlékek. Monumenta comitialia regni Transylvaniae. I—XXI. Red. Szilágyi Sándor. Budapest 1875—1898.
Mosh. Com.	Ioh. Laurentius Moshemius: De rebus Christianorum ante Constantinum Magnum Commentarii. Helmstadii 1753.
Olahus: Hung. Példák	Nicolaus Olahus: Hungaria. Példák Könyve 1510 (Liber exemplorum). Ed. Bognár András és Lévydy Ferenc. Budapest 1960.
Pethő: Chron.	Pethő Gergely: Rövid magyar cronica (Succincta chronica Hungarica). Bécs 1660.
Poll. Hist.	Ioannes Pollak: Historia revelationis Biblicae. I—II. Pestini 1859.

Quint. Inst. RMK	Quintilianus: Institutiones oratoriae, libri XII. Régi Magyar Könyvtár (Bibliotheca Antiqua Hungarica). Ed. Szabó Károly et Hellebrant Árpád. I—II. Budapest 1870—1885; III. 1896—98.
Ruin. Acta Samb.	P. Theodoricus Ruinart: Acta Martyrum. Veronae 1731. Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades. Ed. Ioannes Sambucus. Basileae 1568.
Schoedelius: Disq.	Martinus Schoedelius: Disquisitio historico-politica de regno Hungariae. Argentorati 1629.
Schuller: Sch. als Lyr.	Dr. Hermann Schuller: Christian Schesäus als Lyriker. Me- diasch 1927.
Seivert: Nachr.	Johann Seivert: Nachrichten von Siebenbürgischen Gelehrten. Pressburg 1785.
Sigl.: Chronol.	Michael Siglerus: Chronologiae rerum Hungaricarum, Tran- sylvanicarum et vicinarum provinciarum lib. II. In: Adp pp. 43—88.
Stud.	Studia et acta ecclesiastica. I—III. Budapest 1965—1973.
Székely: Chron.	Székely István: Cronica ez világnak jeles dolgairól (De illustri- bus huius mundi rebus Chronica sive Chronicon mundi). Cracoviae 1559.
Szekfü: Ms	Szekfü Gyula: Schesaeus-kézirat a Nemzeti Múzeumban (Manuscriptum Schesaeum in Museo Nationali existens). In: MKsz 1906 IV. pp. 221—334.
Szinnyei	Szinnyei József: Magyar írók élete és munkái (Vitae operaque auctorum Hungaricorum). I—XIV. Budapest 1881—1914.
Toldy: Hist.	Toldy Ferenc: Az újkori magyar irodalom története. I. (His- toria litterarum Hungaricarum recentioris aevi. I.) Pest 1853.
Trausch: Chron.	Chronicon Fu chio-Lupino-Oltardinum sive Annales Hunga- rici et Transsilvanici. I—II. Ed. Iosephus Trausch. Coronae 1847—1848.
Trausch	Ioseph Trausch: Schriftsteller-lexicon, oder biographisch- literarische Denk-Blätter der Siebenbürger Deutschen. I—III. Kronstadt 1868—1871; 1902.
Urk.	Urkundenbuch der evangelischen Landeskirche A. B. in Sie- benbürgen. I—II. Hermanstadt 1883.
Veress: Bibliografia	Dr. Andrei Veress: Bibliografia română-ungară. I—III. București 1931.
Veress: BM	Dr. Veress Endre: Berzeviczy Márton (Martinus Berzeviczy). Budapest 1911.
Veress: Izabella	Dr. Veress Endre: Izabella királyné (Regina Isabella). Buda- pest 1901.
Verger. De educ.	Paulus Vergerius Iustinopolitanus: De ingenuorum educatione liberorum 7 liberalibus artibus. Brixiae 1528.
Veszpr. Biogr.	Stephanus Veszpremius: Succincta medicorum Hungariae et Transsilvaniae Biographia. I—IV. Budapestini 1960—1970.
Vig.	Vigilia. Periodicum.
Wagner	Valentinus Wagner: Imagines mortis selectiores cum δεκα- στυχοις. Coronae 1557.

- Zeibert: Comp. Dr. Franciscus Zeibert: Compendium historiae ecclesiasticae. Brunae 1903.
- Zoványi: Com. Zoványi Jenő: Cikkei a „Theológiai Lexikon” részére a magyarországi protestantizmus történetéből. Kézirat gyanánt (Commentarii periodici pro „Lexicon Theologicum”. Instar codicis). Budapest 1940.
- Zoványi: Hist. ref. Zoványi Jenő: A reformáció Magyarországon 1565-ig (Historia reformationis in Hungaria usque ad a. 1565). Budapest 1921.

CHRISTIANUS SCHESAEUS OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA

Mi licet ingenii mediocre nec adsit acumen,
Deducamque humili salebrosum carmen avena :
Attamen ostendam gratae vestigia mentis,
Dum cano divina partos virtute triumphos,
Accendoque alios, quibus uberiora supersunt
Dona, Deum ut tanto pro munere laudibus ornent,
Efficiantque, opus hoc memori celebretur ut aevo,
Et toto maneat vivatque superstes in orbe.

(RP IV, 28–35)

Ι. ἘΠΙΓΡΑΜΜΑ

Ἐφθιτον ὅστις ἐπιθυμέων αὐτῷ ἀποδέσται
θησαυρόν, ψυχὴν ὧ τινι σῶσαι μέλει,
Τήνδ' Οὐαγνήρου ἐφοδεύσαι βίβλον ὅσιος
στήθεσι μὴ παύσης, ἥματα πάντα μαθών.
Καὶ γὰρ τ' εὐσεβείας ἐντεῦθεν δόγματα πάντα
καὶ ὀρθὴ σελαγεῖ εἰς ἀγιασμόν ὁδός.

Χρι. Σχέμ.

II. ELEGIA DE FALSIS PROPHETIS

1. Venerando viro D(omino) Francisco Davidis pastori
ecclesiae Claudiopolitanae et ecclesiarum Ungaricarum
Superintendenti in Transylvania S(alutem) P(lurimam)
D(icit)

Quis patriae casus et plurima vulnera nostrae
Spectans non largis fletibus ora riget?
Aut in nos rabidi fera torquent spicula Turcae,
Turcae, quos pietas flectere nulla potest;
5 Aut falsi Stygio nati de flumine vates
Corrupto violant dogmate corda piūm.
Et de coelesti doctrina quivis Arator
Iudicium pleno vendicat ore sibi.
Quem probat hic, alius culpāt spernitque docentem,
10 Pro domini verbo somnia mundus amat.
Certe haec venturae sunt ultima signa ruinae,
Pectore quam toto ut differat, oro, Deus.
Felices nimium, patriae qui vulnera sanant,
Et quorum in votis cura ea fixa manet.
15 Tu, quia Caucaseos nequis ense retundere Turcas,
Quod iubet officium, praemeditanter agis.
Obstruis haereticūm veris rationibus ora,
Vis salvari animas, corpora si pereant.
Cornua fregisti Claudis et Olentibus Hircis,
20 Pro grege divino praelia iusta gerens.
Hoc meritum propter tibi tota ecclesia grates,
Praecipue vero patria tristis, agit.
Huic ego coniunctus, quo possum munere, testor
Me non ingrati nomen amare viri.
25 Haec modo quo dantur mea carmina, suscipe vultu,
Non donum, mentem sed mage dantis ama.
Ipse Deus mentem spectat, non munera dantis,
Parvula sic possunt dona placere Deo.
Vive diu patriae decus immortale ruentis,
30 Vive, nec irati Daemonis arma time.

19 *marg. aliena manu*: Nonne in risum Calmancheum Sánta dictum? De quo Haner Hist. Eccl. Trans. p. 220 et 231 squ. Ita esse patet ex Haneri l. c. p. 226. — *Post nomen Nostri eadem manu scripta haec*: Subscripsit Conf. Hebleri, vid. Haner l. c. p. 264.

Dux magnus Mihael pugnat radiantibus armis,
Semper in excubiis pro grege statque suo.
Huic committe duci tua multa negocia fido,
Ille sibi curae te sinit esse: Vale.

Christianus Schesaeus
Minister Ecclesiae Claudiopolitanae

2. Elegia de falsis prophetis, quos Christus confert lupis, spinis et tribulis. Matth. VII. cap.

Qui mores novit, pugnat felicius, hostis,
Duraque prudenter vulnera saepe cavet.
Ergo quibus curae est falsos vitare prophetas,
Illorum mores discite, Christus ait:
Quae natura lupi grassantis ovilia circum,
Discite, quae tribulus spinaeque damna ferant.
In speciem quamvis non magna monere videntur,
Attamen a falsis noscere vera docent.

Foeda lupus belua est stabulis inimica bidentum,
Torva, rapax, ventri dedita, pestis agris.
Igne gerunt oculos tenebrosa nocte micantes,
Quod non in clara cernere luce potes.
Pro dapibus pingues condunt in viscera glebas,
Excepto origano pascua nulla vorant.
In capite et collo robur dicuntur habere,
Aetate ut maior quisque, ita peior erit.
Vocem adimunt homini, si quem vidēre priores,
Ut penitus rauco nil queat ore loqui.
Montibus in celsis aut curvis vallibus errans
Terretur viso protinus igne lupus.
Innocuas dispergit oves, rapit, enecat, urget,
Grege totus pessum donec inermis eat.
Rite sub hac falsi pinguntur imagine vates,
Qui Christi tentant bella parare gregi.
Quidquid agit falsus, sua quaerit commoda, vates,
Subtrahit, ut fucus, mel vigilantis apis.
In tenebris fulget, verbo veniente fugatur
Haeresis, estque palam, quae modo tecta fuit.
Applausum vulgi perituraeque gaudia quaerunt,
Hi, nisi quod perdant, nil didicere magis.
Sunt ipsis clipeus regum procerumque favores,
Haeresis ah res est inveterata nocens.
Quando hominis pravo laeserunt dogmate pectus,
Non Domino laudes reddere lingua potest.

ut quos Christus confert — Matth 7,15—20

35 Sint licet evecti, titulos teneantque superbos,
 Multum euangelii voce sonante pavent.
 Innocuos laedunt, quorum sine crimine vita est,
 Impune ursus abit, sustinet agna necem.
 40 Nec cessant, una si plebs vitietur in urbe,
 Nullum, qui dextrae sentiat, esse velint.

 Planior ut fiat rabies feritasque luporum,
 Quam sit ovis simplex, aspice quaeso pecus.
 Aгна cibos per agros concessaque rura requirit,
 Delitias nimias turpius angue cavet.
 45 Felle caret tristi, penitus caret unguibus uncis,
 Cornibus est nulli prorsus et ore minax.
 Pregnantes facile metuenda tonitrua terrent,
 Cum solae in pratis gramina laeta legunt.
 50 Circa hiemem quaedam rigidaeque in frigore brumae
 Languent, et parvum corpore robur habent.
 Norunt et querulas matrum discernere voces
 Tam varios inter multiplicesque sonos.
 Si procul a stabulis ovis imprudenter abivit,
 Non, nisi pastoris voce vocata, redit.
 55 Post ubi pastorem novit, comitatur euntem,
 Gaudens, quod socium rursus ad agmen eat.
 Plurima terrigenis grex balans commoda praestat,
 Dat carnem, lactis fragmina, datque pilos.

 Talis in hoc vasto Christi est ecclesia mundo,
 60 Nec re, nec verbis laedere quenque studet.
 Quas edit, immensis habet ex sudoribus escas,
 Inque escis servat, sicut ubique, modum.
 Absit, quod noceat, velut aethera sustinet Athlas,
 Et precibus prohibet, ne ruat orbis opus.
 65 Non gaudet sese latebrosis abdere septis,
 Communi vitae consuluisse cupit.
 Rebus in adversis quosdam crux aspera mollit,
 Haeret adhuc aliquis naevus inestque piis.
 Accipit a Domino patefactam ecclesia vocem:
 70 Nec secus ut chari verba parentis amat.
 Fidaque pastoris sequitur vestigia Christi,
 Quod iubet ille, facit, quod vetat ille, cavet.
 Tam sanctum caetumque pium vis haeticorum
 Obruit assiduis clamque palamque dolis.

75 Iam quoque vulnificas mens est ostendere spinas,
 Quid signent, nobis quae documenta ferant.
 Vere novo frutices inter frondescere primum
 Spina, licet fructum reddere tarda solet.

Floribus aequantur vix candida lilia spinae,
 Albius Indiacum non ebur esse potest.
 Tam suaves ex se mittunt, ut Tmolus, odores,
 Quos neque praecellit thure crematus odor,
 Rusticus ut dicat: fructus haec proferet arbos,
 Dulcia qui superent mella sapore suo.
 Flos novus at postquam cecidit, messisque propinqua est,
 Tunc spina ex fructu, quam sit amara, docet.
 Rodit amaricie stomachum, gravis esca palato est,
 Aut nihil, aut modicum commoditatis habet.
 Sive pruinosa maceretur frigore brumae,
 Haerens in vepribus fructus amarus adhuc,
 Seu lectus calida fuerit decoctus in olla,
 Semper in hoc eadem tristis acredo manet.
 Spina stat autumnus post tempora stipite calvo,
 Ad se, quaeque potest, insidiosa trahit.
 Vellere nudat oves per densa rubeta vagantes,
 Nec cessat, nisi sit cum cute laesa caro.

Sic falsi spargunt sua cum mendacia vates,
 Primum creduntur dogmata vera loqui.
 Nulla nisi coelum quae vox tonet, evolat estque,
 Ipsorum semper nomen in ore Dei.
 Turpia non duris reprehendunt crimina verbis,
 Ad placitum vulgi concio tota fluit.
 Plebs rudis ut dicat: caelo hic descendit ab alto
 Angelus, et summi verba tonantis habet.
 Omnibus in toto praestat doctoribus orbe,
 Cuncta scit hic, alii nil didicere viri.
 At cum contritae poscunt medicamina mentes,
 Fucatum et mendax dogma fuisse patet.
 Aut meritis suadent et sanctae fidere vitae,
 Opponi irato ceu queat ipsa DEO.
 Adde quod hortantur, mens ut sibi conscia falsi
 Spe posita metuat vindicis arma DEI.
 Nulla fit hic prorsus dominantis mentio Christi,
 A cuius pendet nostra salute salus.
 Hic ubi conspectu se nostro averterit, aegra
 Tristis ad interitum corda reatus agit.
 Sic miserum perimunt austera accatiae pectus,
 Et nihil ut falsum dogma nocere potest.
 Nunquam verberibus, monitis nec flectitur aequis,
 Induat ut mentem turba prophana piam.
 Nec minus absomit pingues cum vellere carnes,
 Ne desint studiis ampla didactra suis.

Sunt igitur spinae, quod si tractabis, acutae
Dogmata spermologūm, saucia corda geres.

- 125 Tertia de tribulis sumpta est doctrina molestis,
Haec quoque doctores pingit imago malos.
Cum rudis excultae commendat agricola terrae
Semina, non tribulos <sparg>it in arva truces.
Sponte sua surgunt, medio <nituntur> in agro
130 Ante alias fruges <exseruisse> caput.
Impedit, estque nocens <spicis cr>escentibus umbra,
Ne segetes flavis <luxurientque> comis.
Messores stimulis et a<cuta> cuspide fessos,
Ne faciant iustum, saepe morantur, opus.
135 Hospitium ranis praebent pictisque lacertis,
Atque venenatis congrua tecta feris.
Et quocunque modo fuerint de stirpe revulsi,
Extant cuspidibus, si petis, atque nocent.
- Ad messem statuit fidos extrudere servos,
140 Non vult pro libitu currere quenque, Deus.
Sed velut insano bos currit percitus aestro,
Tempore quo flavos Sirius urit agros:
Sic falsi veniunt nullo mittente prophetae,
Insanum quando pectus Erynnis agit.
145 Praecipue regum spatiosa palatia quaerunt,
Unde pios ferro, flumine et igne necant.
Impediunt, melior nequit ut doctrina doceri,
Solum de spurcis sermo fit haeresibus.
Suspectamque fidem faciunt et dogma docentum,
150 Cui sit fidendum, ut vix sciat ullus homo.
Hinc Epicurao tot fiunt de grege porci,
Est quorum venter maxima cura Deus.
Haeretici pectus Stygio est domus apta tyranno,
Ex qua nil aliud, quam maledicta vomit.
155 Impius extremos sit sive remotus ad Indos,
Laedendi studium semper habebit idem.
Ut Lernaea decem capita Hydra subinde resumsit,
Quando unum abscissum est Herculis ense caput:
Sic multi surgunt alii uno errone remoto,
160 Dogmata qui revocant falsa sepulta semel.

Christe, tuo tenebras a caetu pelle profundas,
Asuescant homines ut tua iussa sequi.

128–133 pagina lacerata: ...supplementa ab editore facta

152 Est quorum venter — Phil 3,19

155 extremos ad Indos — Hor. Epist. I, 1,45; 6,6

Aspicis, ut volitant permisti fulmine nimbi
 Nos circum, et quod nox instet et acris hiems.
 Iam tua, Christe, ratis maris imo in gurgite fertur,
 Hanc nisi tu regeres, obrueretur aquis.
 Eurus ab Aurora Nabathaeisque advolat oris,
 Occiduis Zephyrus flat violenter agris.
 Totaque ventorum vis rupto carcere regnat,
 Immemor aequorei sceptrum timere Dei.
 Mortua per vastos volvuntur corpora fluctus,
 Rictibus absorbent quae vaga monstra suis.
 Iam mare velivolum rubefactum sanguine spumat,
 Ipsaque caesorum terra cruore madet.
 Christe, putant homines altum te carpere somnum,
 Oblitum navis prorsus et esse tuae.
 Evigila tandem ventosque tridente furentes
 Rursus ad antiquas coge redire domos.
 Fluctibus emersi portum ut teneamus ovantes,
 Atque coronemus fronde virente comas.
 Denuo iam coelum tentant superare Gygantes,
 Saevaue tersummo bella parare Deo.
 Nunc opus est, tumida Deus accendaris ut ira,
 Prosternasque ausos fulmine tanta viros.
 Fallor an incipiet moto descendere Olympo,
 Puniet et mundi turpia facta Deus.

3. Reverendo viro d(omino) Vincentio Aurifabri pastori
 ecclesiae Musnensis Mecoenati suo Christianus Schesaeus
 S(alutem) D(icit) P(lurimam)

Rebus adversis habuisse amicos
 Parva non res est, solet in secundis
 Quilibet veri sibi vindicare
 Nomen amici.

Condolens vero ex animo dolenti,
 Tollere et sortem cupiens amaram,
 Hic potest constans pius et vocari
 Semper amicus.

169 ventorum carcere — Verg. Aen. I, 141

171 volvuntur corpora — cf. Verg. Aen. I, 101

173 mare velivolum — Verg. Aen. I, 224

174 terra cruore madet — cf. Verg. Aen. IX, 333—334; Mart. IX, 70,4

185 Fallor an — cf. Val. Fl. VIII, 351—352

iii. Mecoenati sic!

10 Ergo ne fictum tenuisse pectus
 Dicar, hic maestis volui querelis
 Indicare altum, mea qui fatigat
 Corda, dolorem.

 Ob tui mortem sobolis meique
 15 Fratris, exemplum et speculum piorum,
 Unico vere sua qui dederunt
 Nomina Christo.

 Sed Dei summi fuit haec voluntas,
 Fletibus cur nos macerare multis
 Pergimus? si nec lachrimas cadentes
 20 Funera curant.

 Perfer hanc sortem patienter aegram,
 Cogita, et nobis iter hoc eundum,
 Atque postremo caro quod resurget
 Tempore nostra.

 25 Filium praesens ibi tunc videbis
 Ante supremi solium tonantis
 Dulce vocali Domino canentem
 Guttare carmen.

 30 Restat, ut nos huic similes fiamus,
 Semper et summam meditemur horam,
 Obruat ne nos vitiis onustos
 Mors inopina.

4. Epicedium de morte reverendi viri d(omini) Laurentii
 Aurifabri alias Leschini: filii clarissimi viri Vincentii
 Aurifabri pastoris ecclesiae Muschnensis, qui obiit
 16. Aprilis a. 1558.

Sive tuos thalamos cecinissem, dulcis amice,
 Seu quibus in vita dotibus auctus eras:
 Liberiores mihi dictassent carmina Musae,
 Res magis optatumque ista fuisset opus.
 5 Sed quia divinus non est mutabilis ordo,
 Aequum est aeterno cedere quenque Deo.
 His licet invitis tua fata dolebo querelis,
 Ultima quae socii signa favoris erunt.

 Plangite Pierides divino semine natae,
 10 Sit velut ex vobis una sepulta soror.

Principe quaeque manes sub eodem, ecclesia, Christo,
 Indue, nunc quae sit luctibus apta, togam.
 Non quia pulchricomus Venerique adamatus Adonis,
 Sed quia Leschinus funere raptus obit.
 Si didicit cuiquam vis improba parcere lethi,
 Debuit huic uni parcere iure viro.
 Cur non coelesti sternuntur fulmine Turcae?
 Aut foedus Stygio missus ab amne Papa?
 Cur inimica Deo terraeque onerosa creatrix
 Errorum solet hic vivere turba diu?
 Quo raperis mea Musa? Affectibus utere parce,
 Mors cunctis aequo iure timenda venit.
 Quin magis aegroto linquas ut pectore curas,
 Defuncti in laudes digrediare parum.

Contigit huic genitor, quem stirps commendat honesta,
 Et cum doctrina crimine vita carens.
 Divini verbi cum praeco interpret et aequus
 Esset, ab officio non aliena facit.
 Primitias norat divina lege teneri
 Authori, tanque praemia digna, DEO.
 Ergo velut precibus Samuelem nacta prophetam
 Aeternum templis dedicat Anna sacris:
 Sic natam sobolem charas accepit in ulnas,
 Sidereo infigens lumina corque polo,
 Aeterno primum grates dedit ore parenti,
 Pro tam praestanti munere filiolo.
 Has cape primitias, tibi sit temploque dicatus,
 Traditus est a te, qui mihi natus, ait.
 Ad te ovium dubiam revocabit, Christe, catervam,
 Fulgida monstrando qua sit ad astra via.
 Hunc si fata sinant longaevam ducere vitam:
 Credo, talenta tibi quod geminata feret.

Ex cunis postquam pueriles crevit ad annos:
 Doctrinaeque capax mens melioris erat,
 Mittitur ad pluchram, quae alto est sub monte, Coronam,
 Excolat ut studiis corda tenella bonis.
 HONTERO est illic usus praestante magistro,
 Cuius famam aetas nulla abolere potest.
 Hausisset postquam linguarum elementa duarum,
 Ad priscos remeat patre vocante Lares.

25 commendat B commedat

46 Excolat B Eexcolat

32 dedicat Anna — I. Sam 24—28

Hinc sumptu instructus monitisque parentis honesti,
 Leucoreos avide visere caepit agros:
 Alta ubi Pegasides posuere cubilia Musae,
 Caepit et hoc seculo dogma virere Dei.
 55 Ordine dicendi iusto perceperat artes,
 Et queis metitur machina vasta poli.
 Noverat arte chelyn mira tractare, canendi
 Clarus et eximie doctus in arte fuit.
 Creverit in Latia quantum linguaque Pelasga,
 60 Hoc nequeo scripto commemorare brevi.
 Post quatuor patriam, Musis comitantibus, annos
 Attigit, et quam sint omnia versa, videt.
 Vix poterat patrios bene sanus adire penates,
 Fessaque de dura ponere membra via,
 65 Adsunt Schesburga praeclsa ex arce ministri,
 Huic commendantes sceptrum regenda scholae.
 Artibus ille animos iuvenum tribus imbuat annis,
 Non repetens quae sint lucra futura sibi.
 Tam pia res stolidos est erudiisse pueros,
 70 Gratior ut toto non sit in orbe DEO.
 Si confers recte pueros cum rege docentes,
 Praeceptor maior rege fidelis erit.
 Quaeso, quid armatas ducens ad praelia turmas
 Rex aliud, quam quod corpora perdit, agit?
 75 Ast animas Christi coniungens rector ovili
 Victurum supera colligit arce gregem.

Interea voti pater haud ignarus honesti,
 Solvere promissum cogitat ante DEO.
 Hortatur sobolem ut sacris se accommodet aris,
 80 Ac Christi tribuat pascua laeta gregi.
 Promptus adest, hilarique animo pia iussa parentis
 Accipit, exultans posse placere patri.
 Est urbs in mediis Dacorum finibus, uvis
 Fertilis et Grytti nobilitata nece.
 85 Hanc Medies dicunt: raphanis vix ulla ferendis
 Aut cepis tellus aptior esse potest.
 Non procul hac pagus, cui Muschnae nomen, ab urbe
 Haud adeo in curva valle videndus, abest.
 Undique vinetis excultus vinaque profert,
 90 Qualia Crettensis vix dare terra queat.
 Hic pater illius multo venerandus honore,
 Cogitur in templo ferre docentis onus.
 Filius eligitur, sit fidus ut ipse minister,
 Cumque suo subeat munera iusta patri.
 95 Aduit huic semper lenimen dulce senectae,
 In tristi et laeto tempore fortis erat.

Orpheus ut pecudes et saxa sequentia cantu:
 Sic populum movit recta docendo rudem.
 Christus, ait, nostrae fons est authorque salutis,
 100 Huic uni tota fidere mente decet.
 Agnus enim veluti crucis est mactatus ad aram,
 A turpi mundum labe cruore lavit.
 Ut pax sit nobis, pro nobis bella subivit,
 Ut pateat coeli porta, Acheronta scidit.
 105 Ergo post huius tristissima funera vitae,
 Qui petit, hoc solo nititur, astra, duce.
 Terruit econtra truculento fulmine legis,
 Quos scelerum nunquam poenituisse iuvat.
 Arguit audacter Tiberini somnia Papae,
 110 Nullius haereseos fautor et author erat.
 Proh Sathanae quantos ideo sensisse furores
 Credimus hunc? hominum iurgia vimque, minas.
 Stat tamen immotus veluti Marpesia cautes,
 Se famulum summi iudicis esse sciens.
 115
 Restat ut extremae recitem certamina vitae,
 Hic quam se fortem gesserit atque virum.
 Quae vidi, dicam: Veni sua tecta subintrans,
 Quaesitum quidnam dulcis amicus agat.
 120 Prae macie vidi vix languida membra trahentem,
 Quae tegetet costas, vix quoque pellis erat.
 Poscenti voluit mihi fidam iungere dextram,
 Conanti cecidit sed cito laxa manus.
 Ecce manus Domini tetigit mea brachia, dixit,
 125 Ut tecum nequeam conservisse manus.
 Te potius quaeso per nostri foedus amoris,
 Ut pro me Dominum supplice voce roges.
 Praesentem tollat vel saltem leniat iram,
 Utilis illius si potero esse gregi.
 130 Sin minus, id faciat quodcunque videbitur ipsi,
 In Domini mea stet vitae morsque manu.
 Nil mea diffido putrefacta quod ossa resurgent,
 Angelus inflexo cum dabit aere sonum.
 Tunc iterum veteri vestitus pelle videbo,
 135 Qui mea de nihilo condidit ossa, Deum.
 Si bona suscepi, mala quare ferre recusem?
 Quam patior poenam, iure ferenda venit.
 Te nemo, iniuste quod agas, reprehendet honestus,
 O Deus es iustus, iustaque facta probas.

101 enim B *abbr.*

118 quidnam B *quid nam*

130 Domini B *Domino*

11 Orpheus ut — Ov. Met. XI, 1—2

140 Nonne haec impavidum confessio monstrat athletam,
 Qui mortem ut somnum iuraque mortis habet?

 Post bene compositis rebus Patri omnipotenti
 Commendans animam talia verba facit:
 Hanc animam dextra pater accipe chare fideli,
 Unde venit, redeat rursus ut illa, volo.
 145 Sat mihi, quod Christum novi, sumque ore professus,
 Quem docui, praesens opto videre Deum.
 Mundus hic a duro nil quidquam carcere differt,
 Militia haec vita est perpetuusque labor.
 150 Compactos, cupio, cita mors ut distrahet artus,
 Ut tecum possim, Christe, quiete frui.
 Tu quoque, chare pater, cognataque turba valetō,
 Hac modo deserta cogor abire domo.
 Et tu legitimi mea coniunx unica lecti,
 Vive et de natis sit tibi cura tuis.
 155 Non ego te post hac praesenti in carne videbo,
 Electi donec stabimus ante Deum.
 Vive valeque diu, tua sit protectio Christus,
 Ad quem nunc properans dirigo laetus iter.

 Dixerat: Extemplo solvuntur frigore membra,
 160 Mobilis et toto corpore sensus abit.
 Mox animam angelici capiuntque vehuntque ministri
 Cantando ad superas aethereasque domos:
 Vivit ubi sanctis sociatus patribus, optans
 Et nos in simili vivere posse statu.
 165 Faelices animas, quibus ad caelestia regna
 Mortali posita mole volare licet.
 Non ergo rapti sortem doleamus amici
 Usque adeo: Siquidem vivit et astra tenet.
 170 Quin magis ingrato haec aufert cum lumina mundo,
 Vult summam poenam significare, Deus.
 Cum moritur iustus, superasque remigrat ad aedes,
 Nemo est, qui causam, cur cadat ille, roget.
 Ne videat, moritur, ventura pericula, iustus,
 Iustorum sequitur magna ruina neces.
 175 Idcirco moniti properata morte piorum,
 Discamus mores deposuisse malos.
 Musa, tuos tandem titubantes contrahe gressus,
 Ne quenquam laedas garrulitate tua.
 Haec saltem functo rata sint, optabis, amico,
 180 Ipsius ut semper fama superstes eat.

157 Vive valeque — cf. Hor. Sat. II, 5,110; Epist. I, 6,67

159 solvuntur frigore membra — Verg. Aen. XII, 951

168 astra tenet — cf. Stat. Silv. III, 1,26

180 fama superstes — Hor. Carm. II, 2,8

5. Epitaphium eiusdem Laurentii Leschini

Hac iacet exigua positus Leschinus in urna,
Qui placido mortis pectore iura subit.
Ille fuit Christi miles fidusque minister,
Ille fuit speculum et norma sequenda piis.
5 Vivit in aetherea mens illius arce, bonumque,
Quod tulit in vita, nunc quoque nomen habet.
Quisquis ad hoc igitur veniens legis ista sepulchrum,
Dicito: Leschini molliter ossa cubent.

6. De fragilitate humanae vitae Sapphicum carmen eiusdem authoris

Cur graves poenas ruiturus orbis
Spernit audacter: monitis nec ullis,
Nec piis sese patitur domari
Legibus unquam?
5 Libero passu Stygiam paludem,
Quae patet semper, petit, inque casses,
Quos pio quibat studio cavere,
Labitur ultro.
Non diu ridens pia iussa spernit
10 Impius, flos ut viridis peribit
Falce deiectus calidumque raptim
Missus ad ignem.
Qui modo dives nitet estque foelix,
Purpura cinctus, diadema portans,
15 Conditur mox divitiis relictis
Nudus in urnam.
Qui prius fortes cohibere gentes
Rex suo et sceptro potuit domare,
Quin vorent se, mox nequit imbecilles
20 Pellere vermes.
Samson immites domuit leones,
Rupit et parvis laqueos tenaces
Viribus, maxilla asini feroces
Contudit hostes.

25 Dives et prudens Salomon potensque,
 Prospere in vita bona multa gessit,
 Fama quae totum celebrat per orbem
 Omnibus annis.

30 Hercules, Hector, sapiens Ulysses,
 Multa pro cara patriae salute
 Bella gesserunt, nituere et amplis
 Laudibus olim.

35 Mox cinis facti et levis umbra terrae,
 Hic nec ipsorum valuit potestas,
 Quiverint mortis fugere ut cruentae
 Spicula dira.

40 Cogita, quid sis, eris et deinceps,
 O homo, terra es, subitoque rursum
 Versus in terram putrefacta fies
 Vermibus esca.

Hospites omnes sumus hoc in orbe,
 Non data est ulli domus ad perenne
 Tempus, in qua haerens epulis opimis
 Transigat aevum.

45 Nascimur nudi nihil adferentes,
 Prima vox fletus gemitusque tristis,
 Est fugax multoque hominum referta
 Vita dolore.

50 Nunc homo floret velut alta cedrus,
 Sed breve ad tempus perit ille rursum,
 Ceu natans inter tumidas et altas
 Bulla procellas.

55 Cur superbimus cinis atque pulvis,
 Esca ranarum subito futuri?
 Cogimur, quae sunt bona parta multa,
 Linqere, cura.

Praestat: aut nunquam genitum fuisse,
 Aut cito sumptam posuisse vitam,
 Quam tot aerumnis sine spe salutis
 60 Excruciari.

37–40 Cogita, quid sis — Pers. Sat. III, 66–68

53 cinis atque pulvis — cf. Gen 18,27

57 Praestat — cf. Theog. Gnomae 426–429; cf. Cic. Tusc. d. I, 48; cf. Plin. Nat. h. VII, 4;
 cf. Auson. Ecl. III, 2,48–49; cf. Brandolinus: Dialogus; cf. Eras. Adag. II, 3,49

Vivit hic solus bene, qui futurae
Gaudia expectat meliora vitae,
Interim et quae sunt toleranda forti
Pectore perfert.

65

Ergo...

Desunt strophae duae, quarum argumentum hoc:

66) <Deshalb lasset uns irdische Schätze verachten und unvergängliche Geschenke suchen, welche Gott in seinem geheiligten Worte zu erwerben empfiehlt.>

67) <Diese gebe Gott allen Guten, wir bitten ihn um des Verdienstes seines Sohnes willen. Ihm sei in Ewigkeit Ehre, unvergänglicher Glanz und Ruhm. Amen.>

III. DE RESURRECTIONE MORTUORUM ET IUDICIO EXTREMO DEQUE VITA AETERNA ELEGIAE QUATUOR, QUIBUS CORRUPTISSIMI HUIUS SAECULI MORES AD POENITENTIAM INVITANTUR

1. Elegia I.

Quod futura sit mortuorum resurrectio

Plena malis tellus vitiis et pontus abundat,
Impietas toto regnat in orbe ferox.
Olim quod vitium modo virtus esse putatur,
Iamque locum in summo culmine crimen habet.
5 Ac velut insignis cum ludit musicus arte,
Nil dulci cantu turba movetur iners,
Ipsa sed oppiparis agitat convivia mensis,
Pene ut distento viscera ventre crepent:
Praelia pars miscet, pars grandia pocula siccant,
10 Pars citharae sonitum garrulitate fugat:
Omnia sic mundus divina humanaque spernit,
Iura silent, pietas exulat, alget amor.
Conditor interea sacra per mysteria verbi
Assidua mundum voce monere iubet.
15 Crebro ut venturae meditetur saecula vitae,
Abstrahat a vitiis vindicis ira DEI.
Quod postrema dies certo ventura sit apte,
Contra Epicureas ipse probabo sues.
Hinc mundi extremam testantia signa ruinam,
20 In caelo et terris conspicienda, canam.
Insuper aeterni memorabo iudicis iram,
Qua sontes populos tempus in omne premet.
Qua deceat iustos sese ratione parare,
Ut valeant hilari cernere fronte DEUM.
25 Hisce piis monitis homo si vel pareat unus,
Suscepti precium grande laboris erit.
Vinitor ut gaudet raros in vite racemos,
Quos non tempestas abstulit atra, legens:
Semesamque lupo veluti cum pastor ademit
30 Agniculam, laetus fractaque crura refert:

4 habet C hahet

5-12 cf. En V, 7

Sic de paucorum coelestis turba salute
 Erectos animos (l)aetaque corda gerit.
 Annue, Christe, meis, iudex venture, camaenis,
 Sic bene susceptum perficietur opus.
 35 Coecus Aristoteles et plurima turba sophorum,
 Mundum principio et fine carere putant.
 Pythagoras animas, ubi corpora prisca relinquunt,
 Corporis alterius membra subire putat.
 Turpiter et mendax Epicurus dictitat, orbes
 40 Concidere ex atomis atque coire novos:
 Delitiis animum praesentibus expleat omnis,
 Post mortem cui sunt gaudia nulla super:
 Ac hodierna dies melior, quam crastina lux est,
 Obvia cernuntur, nemo futura videt.
 45 Huius certatim viciosi verba magistri
 Plebs amat, et sequitur turpia signa frequens.
 At quibus est sanae melior sententia mentis,
 Hac de re cupiunt dogmata nosse DEI.
 Principium mundi credunt finemque futurum,
 50 Praemia pro meritis cuique ferenda suis.

I. A testimoniis Divinae Scripturae

Sic ait afflatus coelestis spiritus igne
 Psalmografus, cuius carmina pondus habent.
 Tu DEUS, ex nihilo coelum terramque creasti,
 Quidquid et haec orbis machina tota tenet.
 55 Omnia, in aeternum te non pereunte, peribunt,
 Vestis ut a tineis trita perire solet.
 Sic Daniel rabidum coniectus in antra leonum,
 Divino vates numine plenus ait:
 Exibunt patulis rediviva cadavera tumbis,
 60 Ediderit passim cum tuba clara sonum.
 Cum gemitu Stygias pars ibit iniqua sub umbras,
 Pars melior coeli regna beata colet.
 Iobus ait lugens, quo non patientior alter,
 Vermibus et scabie cum premeretur inops:
 65 Credo, meus supera quod vivat in arce redemptor,
 Quodque mei curam sedulus ipse gerat;
 Quos habeo, rursum gestabo corporis artus,
 Cum caro, quae cinis est facta, resurget humo.
 Hisce meis Dominum spectabo loetus ocellis,
 70 Ipsius aeterno colloquioque fruam.

32 laetaque C *ras*.

53 Tu Deus — Psal 101,26—27

57 Sic Daniel — Dan 12,1—2

63 Iobus ait — 19,24—27

Sanctus ubi coelum patriarcha petiverat Henoch,
 Talia terrigenis verba locutus ait:
 Agmine multiplici stipatus ab aethere scandet,
 Arguat ut mundi turpia facta, DEUS.
 75 Christus ait, non est fraus cuius in ore reperta,
 Illius absque omni facta fuere dolo:
 Rusticus ut flavam comportat ad horrea messem,
 Et paleas rapido concremat igne leves,
 Sic per coelestes in mundi fine ministros
 80 A reprobis iustos ducet ad astra DEUS.
 De gregibus pastor velut hircos arcet olentes,
 Ullam vim gravidae ne patiantur oves,
 Sic erit a reprobo pius omne remotus in aevum,
 Cum iusto iniustus non habitabit homo.
 85 His ergo moniti dictis credamus oportet,
 Ultima quod veniet, sitque propinqua dies.

II. A testimonio conscientiae piorum et impiorum

Argumenta magis dubiam firmantia mentem,
 Sit modo, qui facili haec audiat aure, canam.
 Iudicium proprio circumfert pectore scriptum,
 90 Irati metuens fulmina quisque DEI.
 Siquis grande nefas, scelus aut enorme patravit
 Furando, aut homines ense necante pios,
 Sive torum nuptae violavit adulter honestae,
 Seu sibi periuro quaesiit ore malum:
 95 Is licet evadat terreni iudicis iram,
 Sanguine gaudentes carnificisque manus,
 Attamen intus alunt pavidum proecordia motum,
 Ob scelus admissum conscia mensque pavet.
 Luce timet media, metuitque pericula nocte,
 100 Qui sibi flagitii conscius esse solet.
 Iamque suis humeris immensi pondera coeli,
 Ut sontem perimant, incubuisse putat.
 Ad strepitum folii, quem lenis concitat auster,
 Horret, ut exanimem dixeris esse, malus.
 105 Hunc licet ingenuus curet Podalirius aegrum,
 Quo non in medica doctior arte fuit;
 Quique Philoctetae sanavit crura, Machaon,
 Adflicti haud poterunt addere rebus opem.
 110 Sive Midae aut Pelopis tenet insatiabilis aurum,
 Divitiae moestum non recreare queunt.

73–74 Agmine stipatus — Gen 5,21—24; Sir 44,16; Heb 11,5
 75 Christus ait — Matth 12,30

Seu celebret dulci convivia lauta falerno,
 Placatur nullo mens male sana mero.
 Flectitur haud fidibus, licet augur pulset Apollo
 Aut Orpheus, traxit qui fera monstra chely.
 115 Aspicias, ut profugus toto Cain errat in orbe,
 Cuncta suo iugulo tela parata putat.
 Saul quoque correptus furioso pectoris oestro,
 Quo fuit accinctus, se dabat ense neci.
 120 Hoc tortore gravi nimium cruciatus Iudas
 A trabe sublimi triste pendit onus.
 Quae damnatorum facies sit sorsque futura,
 Hinc facile sapiens discere quisque potest.
 Absque metu medios pius inter obambulat hostes,
 Plena licet cingat nulla pharetra latus.
 125 Excipit impavido metuenda tonitrua vultu,
 Nec metuit rapidos fulguris ille globos.
 Non ignem, non horret aquam mens conscia recti,
 Nec necis ad laqueos praecipitata pavet.
 130 Gaudet et exultat medio Polycarpus in igne,
 Assertor verae dum pietatis erat.
 Pro Christo Paulus iugulatur apostolus ense,
 Visa tamen mors est haec preciosa sibi.
 Bartholomae tuo cutis est de corpore tracta,
 Pro Christo optabas hac ratione mori.
 135 Saxa tegunt Stephanum validis contorta lacertis,
 Interea coeli gaudia sentit ovans.
 Insultat Decio ferventi in crate tyranno,
 Nolens sacrilegi martyr habere notam.
 Sublimes animos (res mira) tulere puellae,
 Pro pietate gravem cum subiere necem.
 Ad choreas veluti properabant pectore laeto,
 Supplicii tristem cum petiere locum.
 140 Credebant rapido se nectere in igne coronas,
 Pruna ipsis ardens flos ut odor erat.
 Vincula praetulerant ferrata monilibus aureis,
 His, ut araneoli tela, catena fuit.
 Hae nisi sensissent venturae gaudia vitae,
 Tormina non poterant tam violenta pati.
 145 Ergo cum aeternam probet experientia vitam,
 Nil poterit summo certius esse die.

115 Cain errat — Gen 4,16

117 Saul correptus — Par I, 10,4

119 cruciatus Iudas — Matth 27,5

129 Polycarpus in igne — Euseb. Hist. IV, 15

131 Paulus iugulatur — Tertull. De praescriptione h. cap. 36

135 tegunt Stephanum — Act ap 6,8—7,59

139 tulere puellae — Manl. Coll. p. 490

III. A iustitia Dei

Se DEUS a prima patefecit origine mundi,
Iustitiam semper quod velit esse ratam.
Vult punire malos, legum quos nulla coercent
Vincula, nec pietas aequa movere potest.
155 Vult servare bonos dextraque potente tueri,
Et dare virtuti praemia digna DEUS.
At quia praesenti non ista videmus in aevo,
Sed mala ferre pios et bona ferre malos:
Aut DEUS iniustus quod sit, fateamur oportet,
160 Irrita qui faciat foedera pacta semel,
Aut speranda alia est multo foelicior hora,
Quae sit in aetherea sede parata piis.
Nemo potest iustis satis enumerare querelis,
Quae mala cogantur damnaque ferre pii.
165 Sustinet en quantos ferme exanimata dolores,
Dum pariens utero foemina pellit onus:
Tantos in summis ecclesia luctibus haerens
Angores crebro cogitur orba pati:
Sicut ovis meruit res nullo crimine coedem,
170 Crudeli a lanio quum iugulata cadit.
Sic iustos manus invadit violenta tyrannū,
Quos iuvat infectas sanguine habere manus.
Ut puer ereptus fidae nutricis ab ulnis
Vagit, et a nullo sentit inermis opem:
175 Sic neglecta cohors hoc esse putatur in orbe,
Quae studium verae religionis amat.
Assiduo lachrimas, gemitus planctusque sonoros
Miscet, et est vario turbine pressa crucis.
Hanc ubi quis cernit, cui dives copia rerum
180 Adfluit, en mundi triste catharma refert.
Ordine si numeres a primo martyre Abel
Historias, verum me retulisse feres.
Caesus Abel periit rabiosi vulnere fratris,
Quod sua splendidior victima visa DEO est.
185 Cum periisse Noach videt alto in gurgite mundum,
Magnus in ipsius pectore moeror erat.
Audiit infantum iuvenumque senumque querelas,
Quando procellosis abriperentur aquis.
Et nisi divina recreatus voce fuisset,
190 Ista nequivisset tristia ferre diu.
Exulat ut profugus, sedemque relinquit avitam,
Qui fuerat domino charus amicus Abram.

183 Abel periit — Gen 4,1—10

185 Noach videt — Gen 7,17—8,12

192 fuerat Abram — Gen 12,4—20

Assiduo varians, ut fert occasio, sedem,
 Vix habet interdum queis locet arva pedem.
 195 Bis rapitur Sarai longe pulcherrima coniunx,
 Pastorum rixas sordida turba movet.
 Miscere inter se vidit fera praelia matres,
 Cum dominae renuit cedere serva suae.
 199 Ismael pulsum doluit cum matre tenellum,
 Morte sibi exilium durius istud erat.
 Cum sibi spes generis pulcher satus esset Isacus,
 Hunc DEUS ipse iubet, dedat ut ense neci.
 Quanta Lothus patitur, cum sulphure et igne Gomorrhæ
 Ac Sodomaë tetraë tecta cremare videt?
 203 Sunt schola marthyrii priscorum habitacula patrum,
 Vita prophetarum plena dolore fuit.
 Occidit in coeco iugulatus carcere praeco,
 Qui Christi tinxit Iordanis amne caput.
 Quo caput, est toto non angulus orbe, reclinet
 Filius aeterno de genitore satus.
 Sanguine terra madet, rubet aequoris unda piorum
 Caede, nec est irae saeviciaeque modus.
 Et reprobi ducunt tranquilla per otia vitam,
 Affluit his semper copia dives opum.
 207 Perpetuo dum bella sonant, hi pace fruuntur,
 Risum pro lachrimis ore patente movent.
 Facta velut Pario de marmore templa refulgent,
 Quae doctae artificis composuere manus:
 211 Filia sic reprobi fulget, cui nubilus aetas,
 Vestis in hac auro splendidiore riget;
 Laudatae cuivis placet huius gratia formae,
 Hanc amat, hanc sociam vult sibi quisque tori.
 Plena novo dulcique madent cellaria musto,
 Vix capiunt messes horrea lata suas.
 215 Turba ovium generat multas foecunda bidentes,
 Laeta cohors peragrat pingua rura boum.
 Alta domus firmis consistit fulta columnis,
 Stare vel adversum fulmina tuta potest,
 219 Ulla nec a reprobis auditur in urbe querela,
 Successum, quod agunt, semper habere solet.

195 Sarai C Sarae

213 per otia C perocia

195 Bis rapitur — Gen 12,15; 20,2

198 serva (Hagar) — Gen 16,1—16

199 Ismael doluit — Gen 21,1—21

201 satus Isacus — Gen 22,1—14

203 Lothus patitur — Gen 19,1—29

207 praeco (Ioannes Baptista) — Matth 14,1—12; Marc 6,14—29

209 Quo caput — Matth 8,20; Luc 9,58

211 terra madet — cf. Verg. Aen. IX, 333—334; Mart. IX, 70,4

Semper habent oleum fructusque virentis olivae,
 Frumenti et vini copia dives adest.
 Vive, animae dicunt, tibi multa voranda supersunt
 Te bona non aliis linquere parta dectt,
 235 Nondum ruga caput frontemque fatiga anilis,
 Restat adhuc vitae semita longa tuae.
 Quem celebrat typus est epulo scriptura malorum,
 Eius amat mores mundus et acta probat.
 Quam Nero crudelis secure transigit aevum,
 240 Unquam quo peior bestia nulla fuit.
 Polluit incestu matrem, pudibundaque matris
 Viscera crudeli pandere caede iubet.
 Nec prius, humano quam tinxit sanguine dextram,
 Dormire aut potuit procubuisse toro.
 245 Risit, ut accensae conspexit moenia Romae,
 Duraque nil patriae pectora movit amor.
 Occidit Senecam, necat haec quoque bellua Paulum,
 Inque pios veluti saeviit ignis edax.
 Num feret impune hic tot crimina divus ἀλῶστωρ,
 250 Pro poena aut satis haec mors brevis esse potest?
 Non impune feret coeco damnandus Averno,
 Sprevit enim summi iussa verenda DEI.
 Hoc quia non saevi plectuntur in orbe tyranni,
 Obruit aeterni vindicis ira reos.

IV. Ab exemplis eorum, qui vivi in coelum translati sunt

255 Nondum bis steterat novus orbis mille per annos,
 Aurea tum vere secla fuisse puto.
 Cum Cainitae animae decus immortale negarent,
 Deliciis capti corporis usque sui.
 Altitonans vivum super aethera transtulit Enoch,
 260 Quo magis in toto non erat orbe pius.
 Hoc hominum voluit facto convincere mentes,
 Corpora quod prorsus non peritura cadant.
 Altera cum mundi pugnax accesserat aetas,
 Exemplo renovat facta priora novo.
 265 Flammeus aetherea currus demittitur arce,
 Quem procul ignivomum turba trahebat equum.

265 arce C axe

241 Polluit matrem — Suet. Nero 28

245 Risit — Suet. Nero 38

247 Occidit Senecam — Suet. Nero 35

necat Paulum — cf. Rm I, 131

259 transtulit Enoch — cf. Rm I, 73—74

Hoc sacer assumptus coelum conscendit Elias,
 Haec valedicturus verba suprema facit:
 Quem colui et fido dilexi corde tonantem,
 Venit ab hoc rutilans missa quadriga mihi.
 In terris cursum, dederant quem fata, peregi,
 Iam patriam, coeli regna, subibo meam.
 Non dubitate pii, coelestia regna coletis,
 Ultima iudicii est quando futura dies.
 Ultima sed postquam subierunt tempora mundi,
 Insatiabilibus plena libidinibus,
 Evocat e clauso te Christus Lazare busto,
 Cum per quatrimum putre cadaver eras.
 Plurima quin etiam sanctorum corpora patrum
 Cum Christo in vitam prosiluisse ferunt.
 Visus Adam visusque Abraham multique prophetae,
 Cum Sara visa est Eva nitensque Rachel.
 Hic sacer ut coiit, retulit miranda, senatus,
 Ordine quo fuerint edita facta DEI.
 Qualia quisque suae certamina tempora vitae
 Gessit, in hoc pulchro sunt memorata choro.
 Haesit in amplexu dans oscula suavia Christo,
 Singultu et lachrimis haec referebat Adam.
 Laus tibi, nate DEI, detur tibi gloria semper,
 Me quod ab aeterna morte meosque trahis.
 Cernere te volui, cupidisque amplexibus uti,
 Promissum semen cum mulieris eras.
 Nunc quia te cunctos video superasse labores,
 Est praesens multo gratior hora mihi:
 O utinam veniens tua facta recenseat aetas,
 Et tibi pro meritis praemia digna ferat.
 Casta DEI genitrix virgo (quoque dixerat Eva),
 Vive diu, tibi sint omnia fausta, precor.
 Ipsa necem peperit technis decepta colubri,
 Heu vocor infoelix mater origo mali.
 Ipsa tuo reparas decus irreparabile partu,
 Fons vitae atque boni diceris esse parens.
 Filia, difficiles pro Christo infante labores,
 Pectora plena metu teque tulisse scio.
 His tibi pro gravibus divina laboribus opto
 Praemia, quae nullo sunt peritura DEI.
 Christus ubi statuit mundana relinquere regna,
 De regno socios erudiitque suo.
 It patrum magna comitatus ad astra cohorte,
 Cantibus angelicis auraque mota sonat.

267 conscendit Elias — II. Reg 2,1—12

277 Evocat Christus — Ioan 11,38—44

Nubis in occursum veniens complexibus ambit,
Et reducem dextram patris adusque levat.
Unde revertetur magna virtute refulgens,
Vindicet ut forti turpia facta manu.

V. Ab exemplis in rerum natura
et grano tritici. I. Corinth. XV.

315 Forte rudes animos nondum recitata movebunt,
Verba nec agrestes concipere alta queunt.
Ergo oculis subiecta canam, manibusque probata,
Quae naturali lumine mensque videt.
320 Est schola pinguis ager, sulci sunt denique libri,
Rusticus unde sagax discere multa potest.
Ni prius iniicias cerealia munera sulcis,
Non ullum fructum grana inhumata ferunt.
Ast ubi grana putris subierunt viscera terrae,
Luxuriat vario germine pinguis humus.
325 Ex sicco grano cum cespite surgit arista,
Qua pallet rapido sole perustus ager.
Cernis, ut in bruma nivibus iacet obruta tellus,
Utque nec arboribus tunc decor ullus inest.
Mox ubi florigeri redierunt tempora veris,
330 Omnia coelesti rore rigata virent.
Tunc seges est, ubi nulla fuit, rosa pulchra videtur,
Spina ubi dentata cuspide visa prius.
Sic ubi mortales in humum posuerimus artus,
Ad breve momentum nostra erit urna domus.
335 Nostra velut dulci consurgent corpora somno,
Semper ut aeternae tempora lucis agant.
Si viret e sicco consurgens semine spica,
Post hiemem sterilis si quoque vernat humus:
Certe homo cui inflata est divini numinis aura,
340 E clausa exhibit vivificatus humo.
Quem propter facta est, et adhuc stat machina mundi,
Cui DEUS atque omnis coelica turba favet.
Quem DEUS in signum dedit, aspice, foederis arcum,
Hunc quoties coeli concava nubis habet.
345 Caeruleum et rubrum geminos gerit iste colores,
Hic ignem ostendit, signat at alter aquam.
Caeruleus nimbis mundum periisse priorem,
Praesentem arsurum flammeus igne docet.
Qui nova venturae non credit gaudia vitae,
350 Dignus is aeterna morte perire fuit.

2. Elegia secunda de tempore extremi iudicii

Hactenus ostendi firmis rationibus, orbis
Machina quod praesens finem habitura siet.
At procul est, procul est finis, gens impia clamat,
Mundi, non veniet tam cito summa dies.
5 Est eadem coeli facies, modo quae fuit ante,
Omnia in antiquo suntque manentque statu.
Pallet adhuc aurum, prisco quod palluit aevo,
Quodque prius fulsit, nunc quoque fulget ebur.
O vesane tace, blasphemias contrahe voces,
10 Ira DEI est gravior, quo magis sera venit.
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,
De factis ratio quo tibi danda venit.
Quam prope, dictabo, finis nunc imminet orbis,
Quaeque fidem faciant, ordine signa canam.

I. A serie quatuor Monarchiarum

13 Nondum prima patrum vitiis indulserat aetas,
Sed magis ardebat mundus amore DEI.
Grande scelus fuerat iuga detrectare parentum
Natis, in precio servus habebat herum.
Non iudex neque lictor erat fera vincula gestans,
20 Sponte sua legi paruit omnis homo.
Tandem degenerem per vim quasi compulit orbem
Ferre magistratus vincula dura DEUS;
Florentes opibus, bello et virtute Monarchas,
Qui reliquis praesint iudiciisque regant.
25 Scilicet assiduis populus ne concidat armis,
Neve ferus passim regnet in orbe dolus.
Ut vigeat pietas et semper duret honestas,
Cum lege horribilis poena statuta fuit.
Ut quo nota forent adventus tempora Christi,
3 Imperia evertit constituitque DEUS.
Mirando Daniel praevidit acumine regna,
Principium et finem quando habitura sient.
Ordine conciderint cum quatuor ordine regna,
Discite postremum, dixit, adesse diem.
3 Primus in Assiriis princeps dominabitur oris,
Praelia successu prosperiore geret.

8 fulsit C fulcit

10 Ira Dei — Val. Max. I, 1, ext 3

20 Sponte sua — cf. Ov. Met. I, 90

31 Daniel praevidit — Dan 7,17—27

Hinc rerum ad Persas referetur summa potestas,
 Qui Medos socios imperiique ferent.
 Inde ad Graecorum fatalis gloria gentem
 40 Imperii scandet, sed ruitura brevi.
 Ultima in Ausoniam transibit gloria gentem,
 Hanc penes imperium totius orbis erit.
 Plurima subiiciet sibi multo sanguine regna,
 Et bello reliquis paceque maior erit.
 45 Sed quia cuncta ruunt, dominatrix heu quando Roma
 Vulnere civili debilitata ruet.
 Vincere quae potuit laetosque agitare triumphos,
 Tristia cogetur vincula Roma pati.
 Imperii veteris tenuis vix cernitur umbra,
 50 Omnia vis dicam: Roma ruina modo est.
 Post Romae tristem gens surget Turcica casum,
 Cuius erit feritas maxima visque gravis.
 Horrida, contemtrix superum, pietatis et hostis,
 Quae multa in Christum dira venena vomet.
 55 Urbes delebit, gentes populosque potentes,
 Gens ea perditio totius orbis erit.
 Cumque volet mundi princeps atque esse Monarcha,
 Ex alto lapsu mox graviore ruet.
 Non tamen humanis ea gens delebitur armis,
 60 Divina potius fracta peribit ope.
 Imo quo gravius pereuntem affligerit orbem,
 Quove pios maius ferre iubebit onus:
 Hoc citius ruet, et stirps Turcica desinet esse,
 Per Christum ad Stygios praecipitata lacus.
 65 Tunc Christus coeli venturus ab arce Monarcha
 Ultimus aeternae pacis et author erit.

II. A serie creationis omnium rerum

Conditor absolvit per sex opera omnia soles,
 Exornans miris cuncta creata modis.
 Septima lux roseis ubi fulserat orta capillis,
 70 Dixerat, exactum vidit ut author opus:
 Tot quia sustinui fabricando opera omnia, curas,
 Septima lux nostri meta laboris erit.
 Vos quoque mortales, senis servile diebus,
 Hortor, ut assiduo perficiatis opus.
 75 Septima festa dies erit, hanc celebrate decenter,
 Aeternae vitae nam gerit ista typum.
 Machina durabit mundi sex mille per annos,
 Sex eadem quoniam facta diebus erat.

Una dies coram domino mille efficit annos,
Ergo haec me ratio dicere vera probat.
Sex ab Adam solito perierunt funere patres,
In coelum vivus septimus Enoch[us] abi[i]t.
Sex patres mundi mortalia secula signant,
Aeternam vitam septimus esse docet.

III. A tribus potentiis animae

Nos animaeque triplex de fine potentia mundi
Firmiter erudiat qua ratione, vide.
Prima animae virtus ratio divina vocatur,
Quae praeest reliquis, imperioque regit.
Huc bene conveniunt florentis tempora mundi,
Cum nondum tellus mersa sub amne fuit.
Maior erat pietas, erat et sapientia maior,
In pretio virtus aequa fidesque fuit.
Tunc inventae artes, praesens quibus utitur aetas,
Quae nunc discuntur, nota fuere prius.
Robore praestabant et multo prisca vigore
Corpora, vitae aetas longior hisque fuit.
Morborum fuerant non agmina tanta malorum,
Cognita nec priscis Gallica pestis erat.
Difficiles luxu foedaque libidine morbi
Quotidie surgunt, vimque subinde trahunt.
Altera ferventes in corde potentia motus
Concitatur, affectus immodicosque regit.
Aetati mediae quare confertur et apte,
Orta sub hac saevi praelia Martis erant.
Ordine succedunt fortes pereuntque Monarchae,
Improba sub leges gensque coacta fuit.
Vixerat hoc Samson sub tempore, vixit Achilles,
Iessaei vatis σύγχρονος Hector erat.
Omnia fulgebant tunc regna potentibus armis,
Plena fuit tellus fortibus atque viris.
Tertia vis animae comedendi saeva libido est,
Quam sub se stomachi foeda culina foveat.
Ultima progenerant tantummodo secla bibones,
Orgia perpetuo qui celebrare solent.
Luxurians iuvenis florente aetate senescit,
Atque immaturo funere raptus abit.
Nemo manu fortis studet atque animosus haberi,
Cum sunt pro patriis bella gerenda focis.
Exceptis vitiis decrescunt omnia, mundum
Ad finem cursu praepete fata trahunt.
Ecquis tam stupidus, qui non videt ultima mundi
Fata? vel exitium qui neque triste videt.

IV. A dicto Eliae prophetae

Machina durabit mundi sex mille per annos,
Dogmata cuiusdam vaticinantis habent.
125 Post omni cultu totus spoliabitur orbis,
Antiquumque chaos postea mundus erit.
Millia vasta duo, et duo lex, duo millia Christus,
Omne per id tempus conficietur opus.
Tempus inane vocat, quia nec plebs sparsa per orbem
130 Tam late, et tellus non habitata fuit.
Nondum mercator spaciosa per aequora vectus,
In tumida nitidas classe vehebat opes.
Tunc neque certa fuit politiae forma, regebant
Omnia pro libitu per sua iussa patres.
135 Lex tandem fertur poscens pro crimine poenas,
Et scelus admissum morte piare iubet.
Victima monstratur ferienda, simulque docetur,
Qui placeant cultus, displiceantque DEO.
Promissum referens tunc circumcisio semen,
140 Fit sanctum, in vetulo corpore, foedus Abrae.
Pervia coctilibus cinguntur et oppida muris,
Ornantur luxu splendidiore domus.
Quae casa parva fuit, tunc extitit ardua turris,
Arx quoque de tenui maxima facta domo est.
145 Tertia Messiae, qua vixit, dicitur aetas,
Christus et ostendit signa stupenda docens.
Hac aetate hominum postrema ad tempora mundi
Agmina, divina voce sonante legit.
Cumque cohors omnis fuerit collecta piorum,
150 Omnia deficient, finis et orbis erit.
Ex dictis aliqui deerunt si forsitan anni,
Interitum citius crimina nostra ferent.

V. A duratione politiae Iudaicae, quae fuit typus regni Christi

Mille et quingentos octo deciesque per annos
Atque duos, Mosis stat politia decens.
155 Vix puto durabit Christi respublica in orbe
Longius, hoc certum plurima signa docent.
Aspice, quam Mosis politeia simillima Christi
Regno, quam pulchre huc omnia conveniunt.
Sicut enim Pharaos crudeli carcere gentem
160 Ex Abrahæ natam posteritate premit:

136 admissum C ad missum

123–152 Machina durabit — cf. Rm II, 77

Sic Satan affixit violento carcere plebem,
 Quae titulum a Christo dulceque nomen habet.
 Ut plebs evasit sub aquis pereunte tyranno,
 Dux quando Moses agminis eius erat:
 165 Sic Satan est Stygiis penitus submersus in undis,
 Principe plebs Christo libera abivit aquis.
 In vasta populus mala plurima vidit eremo,
 Attamen aetherea sede recepit opem:
 170 Sic Christi in mundi deserto ecclesia vivens
 Coelitus auxilium robur et omne capit.
 Tacta levi ferula dedit arida petra liquorem,
 Mannaque coelesti de regione cadit.
 Sed latere ex Christi patefacto militis ense
 Vivificans homines sanguis et unda fluit.
 175 Mellifluas Canaae duce Iosua possidet urbes,
 Quae fuerat Pharaos turba soluta iugo.
 Sic auctore piis Christo tribuetur abundans
 Aeternae vitae Iusticiaeque locus.
 180 Quin etiam Solymae quae praecessere ruinam,
 Haec eadem mundi signa ruentis erunt.

VI. A signis, quae Christus enumerat
 Matth. 24. et 25. cap.

Degener haec aetas erit ecce simillima mundi
 Temporibus Lothi temporibusque Noae.
 Tunc ferox excussis vivebat mundus habenis,
 Nec monitis aequis paruit ullus homo.
 185 Quod libuit, licuit, non ex ratione voluntas,
 Sed magis ex coeco rapta furore, stetit.
 Immodico implebant sua viscera edacia luxu,
 Et maduit multo Bacchica turba mero.
 Centauris similes media inter pocula foede
 In sua grassantur viscera Marte truci.
 Quae fuit, est eadem modo consuetudo bibendi,
 Ad frugem bibulos nemo vocare potest.
 Cantarus his ara est, templumque taberna putatur,
 Teque DEUM ventris, sordide Bacche, colunt.
 190 Heu quam dissimiles priscis sumus ecce Pelasgis,
 Lex illis curae sobrietatis erat.
 Helotas pueris vino exhibuere madentes,
 Qui furiosorum praelia more cient,
 Quique per epotum committant turpia Bacchum,
 Quae pudeat castos facta videre viros.

191 modo C mode

185 Quod libuit — Iuv. 6,223; cf. Ad Her. IV, 25,3—4

189–190 Centauris similes — cf. FF 11

Haec terrere volunt mala per spectacula natos,
 Res, videant, quam sit perniciosa merum.
 Abstinuere mero viginti saepe per annos,
 Ingenio his tenero consulere modis.
 205 Ut magis apta forent iuvenilia corpora bello,
 Nutrita est parco prisca iuventa cibo.
 Cum Siculos una bis luce videret edentes,
 Dicitur haec sapiens commemorasse Plato:
 210 Ingluvies ubi tanta viget, sapientia sedem
 Non habet, est illic vita ferina magis.
 Quid Plato dictaret convivia nostra frequentans,
 Quae luxu atque epulo liberiore madent?
 Non hominem, rabidum te diceret esse leonem,
 Aut monstrum horrendum, quod ratione caret.
 215 Pectora fervebant succensa libidinis aestu,
 Non lex, non ratio dux in amore fuit.
 Nunc late per regna Venus perque oppida regnat,
 Plenaque adulterii crimine terra manet.
 220 Ut sileam Turcas, nil sunt, nisi triste lupanar
 Antra papistarum pontificumque domus.
 Nulla tot incestus, ut praesens haec habet aetas,
 Scortari vitium creditur esse leve.
 Foedera conubii subit immaturior aetas,
 225 Polluitur vetito curvus amore senex.
 Nunc velut ante legens ex merce numismata avarus
 Institor, immensas foenore cogit opes.
 Ad se crudeli trahit improbus omnia rictu,
 Per fas atque nefas cuncta licere putans.
 230 Vera loquor, lato vix angulus ullus in orbe est,
 In quo mercator non sceleratus agat.
 Aedificant, frangunt, mutant quadrata rotundis,
 Quae modo displicuit, mox ea forma placet.
 Aequora squamigeri pisces contracta queruntur,
 Seque sua pelli de regione dolent.
 235 Corporis in cultu luxus solet esse protervus,
 Non ea simplicitas, quae fuit ante, placet.
 Ad caligas multas gens prodiga postulat ulnas,
 Pendere ad talos has cupit usque pedis.
 240 Nunc euangelii magnus contemptus ubique est,
 Secure irrident secula nostra DEUM.
 Semper ab haereticis per mille sophismata vulnus
 Accipit, huic varia fraude sophista nocet.

225 avarus C avarus
 227 crudeli C crudili
 240 nostra C nestro

208 commemorasse Plato — Cic. Tusc. d. V, 35,100; De fin. II, 28,92; Manl. Coll. p. 767
 231 Aedificant — Hor. Epist. I, 1,100

Invadunt iustos violento Marte tyranni,
 Innocuos gaudent morte necare pios.
 245 Et vulgi vesana cohors sacra dogmata credit
 Somnia, quae mentes falsa timere iubent.
 Sive tonet vibrans truculentae fulmina legis,
 Sive etiam ostendat munera multa DEUS.
 Incassum surdo narratur fabula mundo,
 250 Qui verbum summi negligit aure DEI.
 Non potuere patres charos revocare <ne>potes,
 Donec diluvii subiicerentur aquis.
 Nec Sodomita tibi faciles dedit impius aures,
 Exitii praeco cum, pie Lothe, fores.
 255 Quam paucos homines Christus convertit in orbe,
 Quando docens etiam signa stupenda daret.
 Non animo doctor fidus frangatur oportet,
 Irritus in domino non erit ille labor.
 Nunciat interitum rerum natura labascens,
 260 Ingemit et finem poscit adesse suum.
 Ingratis renuunt modo servire arva colonis,
 Cum tribulis lappas fert bene cultus ager.
 Sol stupet, et coeca obducit caligine vultum,
 Crimina foeda hominum cernere ne sit opus.
 265 Machina iam titubans ostendit adesse ruinam,
 Naturae inversus quod satis ordo probat.
 Credite mortales, quo poenae tardius adsunt,
 Hoc maiore reos mole gravare solent.
 Credula sicut avis fallaces cum petit escas,
 270 Aucupis insidiis illaqueata perit.
 Utque repentinus matres dolor obruit aegris,
 Difficilis partus cum gravis hora venit.
 Insperata dies aderit sic ultima mundi,
 Et tacito incautos obruat illa pede.
 275 Iudicii extremi memores estote fideles,
 Ne vos praecipites naufraga Syrtis agat.

3. Elegia tertia

De modo et processu extremi iudicii

Cum veniet Christus rutilantis in aethere coeli,
 Omnia terribili mota fragore trement.
 Maximus ardebit flamma succensus Olympus,
 Obruet et totam fervidus ignis humum.

251 nepotes C potes

252 aquis C aequis

267 quo tardius — cf. Rm II, 10

5 Caera velut solis resoluta calore liquescit,
 Aut velut admoto solvitur igne gelu.
 Omnia sic mundi liquefacta elementa ruentis
 In nihilum rapido versa calore fluent.
 10 Horrida tempestas coelo exorietur opaco,
 Cum tonitru igniti prosilientque globi.
 Maesta gravi ferient gentes sua pectora planctu,
 Plurimus exurget mortis ubique pavor.
 Tunc solio iudex Deus ecce sedebit eburno,
 Splendida sceptrata tenens omnipotente manu.
 15 Hunc circum angelici stabunt longo agmine coetus,
 Qui data continuo iussa libenter agunt.
 Os, oculos sceptrumque movens rex maximus orbis
 Angelicis turbis talia iussa dabit:
 20 Ite benigna cohors, omnesque adducite gentes,
 Ante meum, iubeo, stet modo quisque thronum.
 Mox inflate tubas, clangoribus increpet aether,
 Terrigenas cunctos buccina vestra vocet.
 Iudicium exercens pro admissio crimine poenas
 Et bene pro meritis praemia cuique feram.
 25 Quam tulero legem semel, haud revocabitur unquam,
 Sed rata perpetuo firmaque semper erit.
 Haec ubi dicta, cohors ruet officiosa ministrum,
 Laetaque in effectum ducere iussa volet.
 30 Stare suum populos ubi viderit ante tribunal
 Christus, terribili talia voce refert:
 Quae loquor attenta mea verba revolvite mente,
 Quippe DEI haud hominis vilia verba loquor.
 De nihilo mundum magna bonitate creavi,
 Ut mea maiestas cognita ubique foret.
 35 Inspiravi homini divinae particulam aerae,
 Scire dedi, quae sint optima, quaeque mala.
 Morte mea eripui tristi sub morte iacentes,
 Pax mundo per me vita salusque redit.
 Nil intermisi, docui, miracula feci,
 40 Obtuli et aeternae cuique salutis opem.
 Qui mea servarint ergo mandata, requiram,
 Legibus infensi quique fuere meis.
 Huc pia turba veni, sceleratum desere coetum,
 Atque hilari dextrum iam pete mente latus.
 45 I, tibi sorte datum, mundi ante exordia, regnum
 Accipe, coelestis pars eris una chori.

13 eburno C eburnea

5–6 Cera velut — Lucr. VI, 515–516

9 Horrida tempestas — Hor. Epod. 13,1

13 Deus sedebit — Matth 25,31–46; cf. Thomas Celanus: Dies irae, 16

27 Haec ubi dicta — Verg. Aen. I, 81

Nam cum dira fames nostros labefecerat artus,
 Tu mihi praebebas larga alimenta manu.
 Grata ministrabas sitienti pocula lymphae,
 50 Dulcior iste mihi nectare potus erat.
 Pauper in incertis erravi sedibus hospes,
 Sponte vagabundo tecta dedere locum.
 Nudus eram, glaciale gelu mea membra momordit,
 Frigida texisti corporis ossa mei.
 55 Cum lecto affixus morbo cruciarer acerbo,
 Abs te sum medica soepe levatus ope.
 Ferrea in obscuro cum carcere vincula gessi,
 Qui daret afflicto mite levamen, eras.
 Tunc respondebunt iusti: rex inclite, quando
 60 Contulimus, memoras quae benefacta, tibi?
 Christus ad haec, minimis quae fratribus hisce dedistis
 Munera, sunt fateor cuncta tributa mihi.
 Posthac terribili reprobis sermone loquetur,
 Quos iudex laevum iussit habere locum.
 65 I maledicta cohors, Stygii sub tecta tyranni,
 Inque isto aeterno tempore vive lacu.
 Non me ieiunum modico vel pane cibasti,
 Est aqua de liquido fonte negata mihi.
 Sede vagabundum, nudatum veste putabas,
 70 Indignum, cura nec tibi vinctus eram.
 Tunc damnata cohors moesto sermone loquetur:
 Quando, quae memoras, sunt mala facta tibi?
 Christus ad haec: minimis quae fratribus hisce negastis
 Dona, ea sunt fateor cuncta negata mihi.
 75 Quid facient fures? quid adultera turba? tyranni,
 Cum stabunt summi iudicis ante thronum?
 Nil erit occultum, patefient omnia mundi
 Crimina, quae vafro tecta fuere dolo.
 Adversum reprobos rerum natura loquetur,
 80 Supplicium inferri triste malisque petet.
 Non dubito, tales quin sit motura querelas
 Conscia terribiles impietatis humus:
 Largiter effudi pingues mea munera fruges,
 Copia nec dulcis defuit ulla meri.
 85 Ipsa homines, volucres armentaque pingua pavi,
 Perpetuo nutrix omnibus aequa fui.
 At genus humanum turpes convertit in usus,
 Quae bona parturiens munera terra tulit.
 Et miser electo mendicus ab agmine surgens,
 90 Aut vidua haec imo pectore verba feret:
 Divitis oclusas pulsavi sepius aedes,
 Vilia sollicite tunc alimenta petens,

Sed surda oblatas non audiit aure querelas,
 Si qua dedit, facili non ea mente dedit.
 95 Pane canes pavit, renuit me pascere micis,
 Innumeras aluit sumptibus ille feras.
 Noluit exiguae dare nudo vestis amictum,
 Qui celeres ostro divite textit equos.
 Quem patrem, meus hic tortor fuit, esse volebas,
 100 Qui dare debuerat munera, raptor erat.
 Cerea pro libitu quoque flectere iura solebat,
 Qui rigidus vindex debuit esse mali.
 Ille suas nostris ditavit sumptibus aedes,
 Ad se, quae potuit, vique doloque trahens.
 105 Hic accusabunt longo sermone prophetae
 Effrenes populos carnificesque suos.
 Crimina diluvio deleti proferet orbis,
 Uncta cui portum praebeuit arca, Noach.
 Obscaenos Sodomae memorabit Lotthus amores,
 110 Inque Gomorrhea quis fuit urbe furor.
 Quo vultu aspicias sceleratum, Paule, Neronem?
 Qua voce illius facta nefanda canes?
 Insuper angelico tristis querimonia coetu
 Ad poenam poterit, facta, movere DEUM:
 115 O homines, vestras vigili agmine cinximus urbes,
 Publica res nostro tuta labore stetit,
 Unica cura fuit vestrae servire saluti,
 Et Satanae regnum debilitare potens,
 Sed nostri in ventum sine fruge abiere labores,
 120 Ceu quis arenosum cum bove littus arat.
 Daemonis assiduo vos estis castra secuti,
 Res fuerat vobis vana timere DEUM.
 Ergo quod Stygias iussi properatis ad undas,
 Credite, nostra ingens pectora moeror habet.
 125 Iusta tamen summi celebramus facta parentis,
 Aeterna reprobos morte quod ipse domat.

 Tunc referet celsa rex maiestate verendus,
 Cuius in ore furor grandis et ira micat:
 Venit summa dies et ineluctabile tempus,
 130 Quo grave supplicium turba prophana luet.
 Huc Erebi procures pleni terrore, venite,
 Quilibet huc vires robur et omne ferat.
 Nullum exquisitae genus intermittite poenae,
 Cuiusvis rabies sit manifesta, volo.
 135 Haec ubi dicta, Erebi subito exitiosa potestas
 Agmine terribili conspicienda ruet.

120 littus arat — cf. Ov. Trist V, 4,48

135 Haec ubi dicta — Verg. Aen. I, 81

Et raptos magno clamore ad Tartara mittet,
 Unde in perpetuum nemo redire potest.
 Heu damnatorum quam tristis imago futura est?
 140 Nulla satis poenas lingua referre potest.
 Damnati aeternum tenebroso in carcere vivunt,
 Donec erit coelum patria fida piis.
 Ardenti misere semper torrentur in igne,
 Momento nec sunt absque dolore brevi.
 145 Hic dolor et gemitus, macies, pallorque pavorque,
 Atque ullo fremitus hic sine fine manent.
 Hic sitis atque fames arentia viscera torquet,
 Sulphur, pix, ignis potus et esca manent.
 Guttula, ab extremis destillans unguibus, undae
 150 Optatum frustra in tormine munus erit.
 Aspera semper hiems nivibus glacieque rigebit,
 Nulla hic purpurei tempora veris erunt.
 Spasmus, hydrops, febris, capitis dolor atque podagra
 Perpetuo affligent in Phlegetonte reos.
 155 Vermis edax sceleris sibi conscia pectora rodit,
 Rodere ceu carnem cancer ad ossa solet.
 Praebent terribilem semiusta cadavera odorem,
 Continuas lachrimas fumus ab ore ciet.
 Quot maris undoso clauduntur in aequore guttae,
 160 Aut quot in immenso fonte tenentur aquae:
 Damnati unius lachrimae tot ab ore madebunt,
 Quarum nec numerus, nec modus ullus erit.
 Impia turba fremens, totumque ululatus orbem
 Complens, hos moesto sparget ab ore sonos:
 165 Nos super, o montes, subitam accelerate ruinam,
 Sub vestra liceat mole latere reis.
 Assidue morimur, nec mors tamen improba cessat
 Unquam nos stimulis exagitare feris.
 O inferne capax, patulis modo faucibus adsis,
 170 Absorbe ventri debita membra tuo.
 Cuius adhuc nunquam tetigerunt ubera nati,
 Perpetuo foelix estque beata nurus.
 Sic etenim querulo plorabit carmine proles,
 Matris ob officium non bene grata suae.
 175 Dispereat, qua sum novus infans natus in hora,
 Qua sum conceptus, sit maledicta dies.
 Quod si animal brutum vel sus lutulenta fuisset,
 Non mihi tam grandis poena luenda foret.
 Quae semel interiere, nec unquam bruta resurgunt,
 180 In nihilum redeunt, quae ante fuere nihil.

171 tetigerunt C tetegerunt

149 Guttula undae — Luc 16,24

Pernicies homines post tristia fata malignos
Corripit, aeternus consequiturque dolor.
Damnati cupient post secula mille quietem,
Sed spes vel minimae nulla quietis erit.

185 Nullius humanae tanta est facundia linguae,
Gaudia sanctorum possit ut illa loqui.
Pro vili tecto spatiosi limina coeli,
Quae nunquam carie conficiuntur, habent,
Pro vinclo optata modo libertate fruuntur,
190 Qua cupiunt, datur his currere lata via.
Pro pane ambrosia, pro lympha nectare abundant,
Hos sitis atque fames laedere nulla potest.
Non ullis morbis, neque paupertate gravantur,
Nulla his canicies, nulla senecta premet.
195 Aspiciunt hilari supremum fronte parentem,
Arcana illius cognita mentis habent.
Ore suo laudesque DEI nomenque loquuntur,
Non labor his ullus dulcior esse solet.
Non de coelesti metuunt iam sede ruinam,
200 Peccare ulterius nam pia turba nequit.
Certabunt captae domitaeque illudere morti:
Quis tua, mors, victor fregerit arma, refer?
O inferne iaces, omnis tibi fracta potestas,
Nec tibi sunt vires, nec tua tela nocent.
205 Qui latum poteras prius armis concutere orbem,
Exutus regno et viribus ecce, Satan.
Semper Io Paeon cantabit turba triumphans,
Illudetque hosti tempus in omne suo.
Sed quid ago, blaesa cur dicere voce laboro
210 Gaudia, quae nondum sunt patefacta piis?
Da DEUS, aeternae capti dulcedine vitae
Mundi huius fluxas praetereamus opes.

4. Elegia quarta, quomodo homines, ut aeternam vitam consequantur, se componere debeant

Non data in hac vita est nobis domus ulla manendi,
Cogimur ex aequo funera quisque pati.
Ergo aliam, pereat quae nullo tempore, sedem
Quaerere sollicito quenque labore decet.
5 Quae requiem fessis atque hospita tecta ministret,
Exulibus statio quaeque sit apta viris.
Haec domus est coelum, patria unica, firma piorum
Alta, capax, omni divite plena bono.

10 Scire modum si vis, quam ratione petatur
 Haec domus, aeterni regia celsa DEI:
 Callidus, observa, peragrans spatia ampla viator,
 Qua bene susceptam terminet arte viam.
 Discit iter primum studio vigilante viator,
 15 Ne procul ignotis devius erret agris.
 Sic tibi coelestem sit curae inquirere callem,
 Qui cupis aetherei scandere ad astra poli.
 Nulla hominum dubius commenta incerta sequaris,
 Fallitur et didicit fallere semper homo.
 Consule, qui Domini sacra tractant dogmata, vates,
 20 Aethereo quorum pectus et igne calet.
 Hi tibi fulgentem in tenebris praeferre lucernam,
 Ne pede contingas obvia saxa, solent.
 Instillare animis studio fervente laborant
 Semina virtutum notitiamque Dei.
 25 Lux tua sit Domini verbum, mandataque semper
 Illius, ut Thesei fila, secutus habe.
 Infidos comites detrectat habere viator,
 Accersant, metuens, ne mala multa sibi:
 Effuge sic comitum consortia prava malorum,
 30 Multa solet petulans ferre pericla comes.
 Sese animae comites multi insinuare laborant,
 Ut coelo abductam Tartara ad ima trahant.
 Primus adest Satanas: comes en tuus ipse futurus,
 Me duce perficies, quod cupis, inquit, iter.
 35 Hospes ubique vagor toto notissimus orbe,
 Sunt coeli atque Orci cognita regna mihi.
 Tecta nec ostendam nigrum eructantia fumum,
 Foetor ubi nares laedit odore gravi.
 Ast ubi pro voto domus apta placebit et hospes,
 40 Ad luxumque aderunt omnia prompta tuum.
 Mille tibi famulos genua inclinare videbis,
 Et domini titulo soepe notatus eris.
 Additur huic hortans comes alter ad improba mundus,
 Daemonis is sponsae nomen habere solet.
 45 Nil iuvat esse pium, coelesteque quaerere regnum,
 Dum licet hic vita prosperiore frui.
 Multa pius patitur, pro certo incerta requirit,
 Et pro praesenti crastina lucra cupit.
 Quisquis es ergo, sequi mea te vestigia praestat,
 Haec iter ad quaevis gaudia amoena dabunt.
 Tertius effrenis comes est caro nostra laborans
 Mentem continuis illaqueare malis.
 Conceptas irae nunquam deponere flammam
 Vindicta est donec saeva peracta iubet.

55 Suadet avaritiam summa pietate colendam,
 Fraude quod inventas fulcit et auget opes.
 Cum ratione caro gerit implacabile bellum,
 Subdita, si tentet, nec tamen esse potest.
 60 Non gravat immenso sua pondere terga viator,
 Fert ea, quae facili ferre labore potest:
 Sic homo liber eat celsum ascensurus Olympum,
 Scandere ad alta nequit pondere onustus homo.
 Non sua terrenis involvat pectora curis,
 Terrena immergunt corda sub antra Stygis.
 65 Multi divitiis, plures onerantur honore,
 Hunc gravat ebrietas illicitusque furor.
 Heu modo quod facile est onus, importabile fiet,
 Quod placet et dulce est, mox erit acre malum.
 Nulla viatori patria est ut gratior ora,
 70 Fumum amat a patriis posse videre focis.
 Triste sibi exilium domus et peregrina videtur,
 Quae regio patria distat ab urbe procul.
 Sint ingrata piis haec diversoria mundi,
 Et velut in saevo carcere semper agent.
 75 Erectos potius tollant ad sidera vultus,
 Portus ubi et requies certa futura piis.
 Dum lux est, nec adhuc coelo micat Hesperus alto,
 Hospitium sapiens quisque viator adit.
 Ne sero veniens clausa semotus ab urbe
 80 Frigora cogatur dura famemque pati.
 Sic, homo, festina properanti currere gressu,
 Intra, coelestis dum patet aula tibi.
 Non veniae locus est semper, neque gratia Christi
 Spreta tuis oculis obvia semper erit.
 85 Omnia tempus habent, capienda occasio praesens,
 Cum fugit, aeternum non reditura fugit.
 Obruerit coeco cum te nox humida vultu,
 Heu frustra optabis velle videre diem.
 Optabant oleum fatuae coëmissee puellae,
 90 Dum thalamum veniens sponsus adire parat.
 Sed stolidae semper sine clara luce manebunt,
 Neglectum a sese tempus et esse gement.
 Haec eadem involucro recitat studiosa vetustas,
 Temporis est ratio semper habenda dati.
 95 Messis erat, gravidi populantur frugibus agri,
 Accipiunt segetes horrea lata novas.
 Rauca sub ardenti stridebat sole cicada,
 Res hominum tristi carmine visa loqui.

89–92 fatuae puellae — Matth 25,1–13

95–112 Messis erat — cf. Aesop. Cicada et formica; Av. 34

Ipsa sed assiduo fruges formica labore
Colligit, et terrae viscera ad ima trahit.
Ne, quibus evitet maciem, sibi munera desint,
Quando frequens nivibus bruma sub axe riget.
Venerat acris hiems formicae tecta cicada
Grana petens, sua quis viscera pascat, adit.
Dic, formica refert, quid flava messe, cicada,
Egeris, in parvum dum veho grana penu?
Laeta sub arbustis fallebam tempora cantu,
Inquit, nil timui tempora dura famis.
Ergo ait, ut festis te oblectes ipsa choreis,
Nunc par est, placuit cui cecinisse prius.
Sic delusa famem tristem patiatur oportet,
Cui curae ratio temporis esse nequit.
Ergo tuae, dum fata sinunt, memor esto salutis,
Fac frustra pereat nulla vel hora tibi.
Saepe tuum ex imo plorabis corde reatum,
Saepe DEUM iratum supplice voce petes.
Tam durus non est DEUS ut pia vota repellat,
Fert pater, ut natis munera ferre solet.

Optime Christe veni, tua te charissima turba,
Hanc omni ut solvas crimine, saepe vocat.
Iustitiam coelo demitte, vel eripe terris,
Quos tecum aetherea vivere in arce cupis.
Ni venias subito, mutata mente, malorum
Forsitan in numerum plebs ruitura pia est.
Te silvae, te stagna vocant, te prata requirunt,
O utinam praesto sit modo summa dies.
Amplius atroci non servitute prememur,
Nostra est in mundi fine futura quies.
Credo, quod haec tristis faciesque miserrima mundi
Interitum iam iam summaque fata feret.

IV. ORATIO DESCRIBENS HISTORIAM VITAE
PRAECIPUAM CLARISSIMI VIRI
LEONHARTI STÖCKELII, RECTORIS SCHOLAE
BARTPHENSIS, FIDELISSIMI,
QUI OBIIT DIE VII. IUNII

1. Clarissimis atque integerrimis viris, D(omino)
Matthiae Glatzio, decano generali, nec non Francisco Salicaeo,
ecclesiae Byrthalbensis pastori vigilantissimo,
dominis et fratribus S(alutem) D(icit)

- ¹ Affirmat S(anctus) Paulus fideles ecclesiarum gubernatores dona DEI esse maxima, per quos, veluti fideles medicos, membra a corpore ecclesiae avulsa
² restituuntur. Quod si rem ex aequo aestimemus, plus utilitatis beneficio talium medicorum in genus humanum redundare dicemus, quam ex omnibus totius mundi
³ myropoliis. Hi enim non sunt occupati tantum circa luteas corporis tectas, quibus anima humana velut carceri includitur, sed intimas cordis medullas saluberrimo verbi pharmaco perfundunt ac efficiunt, ut sit mens sana in corpore etiam minus sano, ut ex hoc mundo velut ptochodochio ad aeternam piorum patriam commigrare desiderent. Ac profecto tanto maiore odio dignus est mundus, quo minus tanta dona agnoscit et admiratur, quin potius horribiliter ingratus authorem DEUM cum suis donis furenter contemnit et deridet.
- ⁵ Haec mecum repetens ipso die, quo memoria ascensionis Christi in ecclesiis piorum celebratur, non sine magno animi dolore deploravi mortem clarissimi viri D(omini) Leonharti Stöckelii, qui vere fidelis erat animarum medicus et utile organum Spiritus sancti, utque aliquantulum aegram a luctu avocarem mentem, breviter historiam ipsius vitae praecipuam, quantum quidem per multas occupationes licuit, descripsi; vobis vero, clarissimi viri, eam exhibere volui, ut curriculum huius viri vos minime lateret, qui cum nonnunquam in similibus tempestatibus iactatus sit, quibus vos in eadem navi constituti, aequiore animo praesentes
⁶ aerumnas toleretis. Ad haec, ut alios quoque permoverem, ut honestissimum huius viri nomen amarent, nec non ipsius scripta immortalitate digna avidius legerent, imo quibuscunque officiis possent, posteritatem huius sancti viri prosequerentur. Postremo ut erga vos studium bene merendi nunquam a me intermittere cognosceretur, vestrum erit, ornatissimi viri, et de meis studiis, et de mea erga vos observantia, pie et candide sentire.

Christianus Schesaeus

1 Paulus affirmat — I. Cor 12,28—30
3 mens sana — Iuv. Sat. 10,356

2. Oratio

Cum Theseus cadavera Argivorum ad Thebas suis manibus abluit, existima-
rentque alii indignum principe viro tam tetrum laborem, respondet quispiam:
ὄκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά. Huius honestissimi versiculi exemplum
secutus, nec meo officio alienum, neque a communi quod abhorreat consuetudine,
facturum puto, si calamitates ecclesiae ex obitu praestantium virorum ortas deplo-
ravero. Tanta enim in doctrina confusiones, tot semina veterum errorum resu-
scitata, tot denique fraudes arte Sinonia excitatae ad extinguendam veri Dei noti-
tiam, doctissimorum hominum praesentiam hac praecipue tempestate efflagitabant,
qui petulantia ingenia autoritate sua refrenare, lapsos in viam sana doctrina
revocare, recte vero sentientes ab erroribus totos conservare sua vigilantia possent.
Quanta putatis laetitia perfusus fuisse Graecos, cum una in exercitu suo proficisci
viderent Aiace, Achillem aut Nestorem, quorum consiliis et armis totius belli
moles adeo foeliciter regebatur, ut certam propemodum victoriam ex ipsorum
virtute reliqui sibi milites pollicerentur? Talibus et multo praestantioribus ducibus
cum modo orbata sit ecclesia Dei, qui non gemat, doleat et procellas lachrimarum
effundat, hunc amentem et prorsus ferreum esse existimem. Non enim Gallici aut
Romani imperii opes, sed preciosissimum thesaurum, nimirum veram Dei doctri-
nam, qua mundus difficilior, quam solis lumine carere potest, incorruptam nobis
conservare poterant. Hunc iustissimum dolorem mihi nuper auxit, cum aliorum
clarissimorum virorum interitus, tum vero mors immatura integerrimi viri Leon-
harti Stöckelii, cuius cum eximia eruditio, pietas et autoritas praecipua apud
omnes esset, eum quasi Gorgonem adversariis in acie militantem opposuimus.
Proinde quantum moerorum Reipublicae Christianae ipsius obitus attulerit,
facile is, qui communium periculorum vel leviter conscius est, aestimare poterit.
Quia vero huius viri res gestae multa utilia complectuntur, praecipuas hic com-
memorandas in animum induxi, idque eo libentius, quod is patriam nostram et
vicinas partes ad veram evangelii cognitionem et ad studia optimarum artium
percipiendi primus adduxit. Cumque oporteat tirones excellentia artificum opera
imitanda sibi proponere, omnibus proderit, non solum iuvenibus, sed et cuius-
cunque conditionis aut aetatis fuerint, in hunc virum oculos defigere, atque ad
huius mores, tanquam ad normam recte vivendi totam vitam, quantumque fieri
potest, componere. In hoc enim mira alacritas et cupiditas discendi, mira sedulitas
in docendo emicuit, ut citius solem a suo cursu, quam hunc a praelegendi labore
declinasse dixeris. Magna ipsius modestia et temperantia fuit, robur animi prorsus
invictum, ut in hoc vere chorum omnium pulcherrimarum virtutum effulsisse putes,
quare propter non dubito vos aequas mihi praebituros aures, ubi ordine et perspicue
brevisque maxima atque insignia huius viri ornamenta potius deliniavero, quam
enarravero.

Natus est in ea parte Ungariae, ad radices montis Carpathi, ubi Polonia sese
cum Ungaria coniungit, quam hodie Sepusium vocant. Habet autem ea provincia
praeter alias urbes Cassoviam maxime celebrem et Bartpham, quarum alteram
a Cassio quodam Romanorum duce exstructam esse, et nomen ipsum et aedifi-
corum mira concinnitas quendam Romanum splendorem referens, satis arguit;

ὄκ αἰσχρὸν — Eurip. Hik. 768 (rec. τί δ' αἰσχρὸν ἀνθρώποισι τὰλλήλων κακά.)

- Bartpha vero etsi munitionibus adeo celebris non est, tamen multis et verioribus ornamentis hanc atque alias vicinas urbes non modo non aequat, verumetiam longe
10 superat. Forma enim Reipub(licae) tam est optima, ut nulli scelerato, nulli ocioso, nulli novas victitandi voluptuosius artes dictanti locus concedatur. Contemptores legum politicarum et ordinationes pias ecclesiasticas negligenter curantes exulare coguntur. Ac videntur illi ipsi cives miro quodam fato a maioribus animos a religione non abhorrentes accepisse, cum et vetus appellatio Bartphae a Baratt
11 falro, id est pago monachorum deducta sit. Etsi parum honeste hoc tempore videatur a religione monachorum laudari, tamen eam lucem revelati euangelii si habuissent, qua nos Dei beneficio fruimur, neque fidem, neque ministerio debitam reverentiam in ipsis desiderassemus, quod hinc apparet, cum veritas euangelii repurgari coepisset, illi primi et susceperunt, et magna animi contentione cum periculo fortunarum suarum huc usque maxima cum laude constanter retinuerunt
12 et defenderunt. In hac igitur urbe optimis et piis legibus munita cum natus sit ex parentibus, qui et ipsi magna cum laude vixerunt, pater praesertim Leonhartus Stöckel, qui Rempub(lica) ibidem aliquot annis foeliciter gubernavit, quis dubitet hunc non pie educatum et in timore Domini institutum esse? Magna olim laus erat esse natum in civitate, quae legibus Lycurgi aut Solonis regebatur.
13 Magnum ornamentum erat dici civem Romanum, at multo celebrius ornamentum est esse natum in Repub(lica) Christiana, ubi statim in cunis ab uberibus maternis semina virtutum notitiaque veri Dei puerorum animis instillatur.
14 Puer literas ibidem diligenter didicit, usus praeceptore Valentino Eckio Bavaro, viro omnium literarum atque virtutum politissimo, qui studiorum suorum hoc tulit praemium, ut laurea coronaretur, qua vulgo poëtae consecrari solent. Extant Eckii plurima egregia monumenta soluta simul et poëtica oratione conscripta,
15 quibus aeternum sibi apud posteritatem nomen acquisivit. Hunc tantopere ob singularem indolem et aviditatem in discendo amavit, ut non solum tunc discipulum, sed et postea affinem praecipuarumque actionum, tum domesticarum, tum publicarum socium perpetuum habuerit. Et praecipua huius viri familiaritas et incredibilis necessitudo Stöckelium Bartphae retinuit, quominus ad alias quae-
16 stuosiores functiones, tametsi a multis saepe vocatus sit, progrediretur.
17 Profectus inde Cassoviam, ubi mediocriter tum Latinae, tum Graecae linguae studia florebant, ibi docentem audivit Leonhartum Coxum Britannum, qui exul cum filio regio Henrico octavo in eas partes delatus delitescebat. Hunc fuisse nar-
18 rant virum acutissimi ingenii et multis scientiis insignitum, qui ad hoc fastigium summae dignitatis pervenit, ut cancellarius Anglicus et summus consiliarius regis, nec non eiusdem legatus maximus salutaretur. Cum autem Coxum revocaret fatalis regni mutatio, reversus Leonhartus in patriam, coepit parentem obsecrare, ut ad studia ampliora sibi iter sua liberalitate patefaceret. Pater, ut erat moderati ingenii, quem et Reipub(licae), et ecclesiae necessitas mirifice ad hoc opus matu-
randum extimulabat, sine ulla difficultate filii precibus annuebat. Atqui cum non multo aere, ut par erat, filium onerare posset, mediocris enim erat fortunae homo, quales plaerique esse solent eius loci cives. Adiit concionatorem reverenter ab eo petens, sua commendatione apud docentes Wratislaviae studia filii promoveret, verum quam fuerit infausta et intempestiva ea commendatio, saepius ex ipso non sine suspiriis et gemitib(us) audivimus, addens commonefactionem, ne quis anxie

de commendationibus, ut modo consuetudo fert, contenderet, plus enim saepius obesse, quam prodesse emendicatas commendationes aiebat. Profectus itaque Wratislaviam, integerrimum virum M^agistrum Andream Wincklerum adiit, cui cum literas exhibuisset, inter alia in epistola forte generis commendatio et patris autoritas, ut qui in civitate libera et bene morata consul esset, legenti occurrit, haud gravatim operam suam iuveni pollicetur, ratus tamen bene sumptibus esse instructum, ita ut de victu alibi disponendo nihil admodum loqueretur. Verum enimvero postquam omnibus sumptibus brevi tempore exhaustus esset, summa compulsus necessitate, cuidam mercatori ex amplissima familia Rudigerorum operam suam locat, hac conditione interposita, ut interdum literis, si quando sine gravi rerum suarum iactura fieri possit, obiter vacare valeat. Vixit igitur totum septennium mercaturam exercens, et maximam partem noctis studiis liberalioribus impartivit, die vero, officium quod gessit, fideliter peregit. Erudiit etiam tum temporis heriles filios et filias in catechesi, quae summam Christianae doctrinae complectitur, et simul verbis et exemplo ad honestatem et pietatem animos eorum flexit, quae res imprimis mercatorem divitem permovit, ut una cum liberis Witebergam, ad ingenia puerorum excolenda honestis disciplinis, Stöckelium mitteret. Antequam de protectione dicam, commemorabo mirabile prodigium, quo sine dubio, qualis quantusque olim futurus esset, quae pericula et certamina in ecclesia habiturus, significatum est. Accidit, ut cum commilitonibus animi causa non procul ab urbe in salicetum expatiaretur, cum alii aliud agerent, is, ut erat quietis et solitudinis amans, quae discentem multum iuvant, de improvviso ab aliis seiunctus librum in manibus tenens in paludem praeceps cecidit, quasi turbine correptus eo delatus arbitraretur. Ab hac palude cum divina gratia citra laesionem difficulter emergisset, ulterius progressus socia agmina requisivit, rem, ut accideret, ordine exponit. Cum nudis pedibus oberraret, serpens mediocri magnitudine prae se inauditam inusitatamque ferociam ferens, in ipsius sese calcaneum dextrum involvit, horrendoque morsu ac pene letali sauciavit. Hoc tristi casu affectus in urbem redit, ubi medica ope vere divinitus servatus est, mansit tamen perpetuo signum crudelissimi morsus in ipsius cruribus. Terribili hoc portento, quantos visurus et experturus esset Sathanae morsus ignitaque tela per omnem vitam haud dubie ostensum est. Usitatum enim est, heroes adhuc in cunis existentes prodigiis quibusdam ad futura vel gaudia, vel certamina inaugurari. De Platone scribitur, quod in ipsius labiis examen apum mellificaverit, quae res ipsius insignem eloquentiam praefiguravit. Midae, cuius imperio Phrygia fuit subiecta, puero dormienti in os grana tritici formicae congessisse leguntur, quo ostento significatum est eum omnium mortalium fore ditissimum. Non obscurum est homini Christiano, quid serpentis imago referat intuenti fraudulentum serpentis morsus, qui totum genus humanum in aeternum praecipitium coniecit. Scribit etiam Plutarchus ex medullis hominum putrefactis nasci serpentes, quo haud obscure virus Satanae, peccatum videlicet cum morte primis parentibus inflatum ad omnem posteritatem propagari ostenditur.

Redeo, unde lapsus eram. Cum iter aggrederetur filius herilis largo sumptu instructus, magna hominum frequentia amicorum, commilitonum, cognatorum,

²⁵ De Platone scribitur — Cic. De div. I, 36,78; II, 31,66; Val. Max. I, 6, ext 3

²⁶ in os grana — Cic. De div. I, 36,78; II, 31,66; Val. Max. I, 6, ext 2

²⁷ Scribit Plutarchus — Manl. Coll. p. 60; Lemn. De mir. p. 439

- ut moris est, abeuntem extra urbis moenia comitantur. Forte fortuna quidam ex civibus conspicatus iuvenem pariter itineri accinctum, graviter his sarcasmis ipsum appellat. Quorsum tu, inquit, hominum miserrime, properas, unde tibi sumptus vel ad spatium unius mensis suffecturi? Tu ne studiis operam cum aliqua fruge impendes, satius utique fuerit te domi apud herum mansisse, ubi victus et amictus, simul etiam rerum omnium copia mediocriter affluxit. Lues profecto imprudentiae et stoliditatis tuae poenas. Hac atroci oratione civis non plebei adeo permotum se affirmavit, ut non solum lachrimas profunderet, verum etiam de protectione abiicienda deliberaret, vicit demum consolatio, qua Deus se patrem et tutorem pupillorum esse affirmat.
- Post ubi portum et asylum studiorum attigisset, diligenter et magna cum alacritate docentes tum in templo, tum in Academia audivit, conversans cum bonis et spectatae fidei viris, tam in mensa convictores, quam privatim in contubernio cohabitatores eosdem habuit, quorum doctrina et exemplis eousque progressus est, ut summis viris in Academia D(omino) Lutheri et D(omino) Philippo impense probaretur, saepe cum his privatim de multis arduis ecclesiae rebus contulit, saepius ab ipsis interrogatus de statu et moribus deque situ et fertilitate regni Ungarici, magna cum verecundia respondit. Cumque quadriennium discendo complevisset, de iudicio D(omini) Lutheri mittitur Islebiam, ut illic iuventutem disciplina atque optimarum artium studiis perpoliret, ex quo consilio quilibet bonus huius viri et eruditionem, et pietatem insignem tum fuisse maioremque futuram aliquando aestimare poterit. Tanto enim viro placuisse, qui divinitus ad ecclesiam filii Dei repurgandam excitatus est, qui non minus quam apostolorum quispiam aut prophetarum generi humano profuit, quique contra portas inferorum omnesque Diaboli insidias tutus fuit, quantam putatis esse laudem? Ad haec non ita tantum placuit, ut leve beneficium communeque cum aliis sibi communicaret, sed ipsum usque adeo praetulit, ut longe maximo officio dignum censuerit, ut qui praesset iuventuti, coetui nimirum Deo et sanctissimis angelis dilectissimo et quodammodo propriissimo et peculiari. Praeterea non in loco peregrino, sed in sua charissima patria, cui se natum esse teste Platone sciebat, huic inquam non preciosiore thesaurum, nihil in vita gratius suis popularibus, quam hunc ipsum Stöckelium, cuius doctrinam et mores vitamque imbibere atque effingere quasi signo sublato praecepit. Postremo miraculum propemodum est, quod peregrinum hominem ex longe dissita regione, quae quidem apud omnes fere gentes, praecipue apud Germanos audit, quod sit barbara, literis et humanioribus disciplinis non perinde exulta, adde etiam non ita longa consuetudine et familiaritate sibi devinctum, ut alii, tam celebri loco, tam honesto officio in charissima sua patria praefecerit. Virtus, ut dicitur, apud hostes etiam laudabilis est. Non immerito itaque ab hoc summo, planeque incomparabili viri huius virtus tanti facta est, ut hoc summum beneficium ab eo accipere meruerit. Quot et quantos putatis viros auctoritate, eruditione et eloquentia preditos ultro aspirasse, ut huius tanti Dei prophetae patriae in informanda pube praeesse possint. At huic uni tanquam praecipuo hanc deferre provinciam, qui non summum honorem, qui in hac mortali quidem vita homini contingere potest esse ducit, eum amentem esse necesse est. Sciens prudensque hic praetereo in regenda schola diligentiam et fidem adhibitam, eventus enim probavit ex his initiis eum tantam laudem consecutum, ut non solum

34 teste Platone — Epist. ad Archytam; Cic. De fin. II, 14,45; Verger. De educ. (ded.)

36 Virtus apud hostes — Pindarus; Manl. Coll. p. 410; Istv. Hist. p. 204

non esset idoneus ad scholam istam regendam, sed etiam cum aliquanto post Witebergam reversus per triennium studuisset, vocatusque communi patriae suffragio ad ecclesias Ungaricas restaurandas omnium doctorum calculo ad hoc officium suscipiendum dignus iudicaretur. Horum consilio cum paruisset, haud gravatim patriae necessitate compulsus, Ungariae fines repetit. Atqui ne inmodice crescat oratio, brevius in administrando officio quae ipsum pericula exceperint, quove animi robore omnia gesserit, (quae pars utilissima est huius narrationis) commemorabo. Brevi tempore huius viri fama multa peragravit loca, multorumque animos ad se audiendum perpulit, confluxere ex variis et procul dissitis regionibus multi praestantium virorum liberi ex Silesia, vicina Polonia, Moravia, Austria, Transylvania, Russia, Prussia, maxima vero multitudo ex ipsa Pannonia. Quorum expectationi ut satisfaceret, coepit imprimis a levibus initiis rem tractare. Nihil praeter Donati praecepta, catechismum continentem praecipuas Christianae doctrinae partes, et fabulas Aesopi, additis his Terentii comoediis, praelegens. Auditores, ut fit, hortantur praeceptorem, ut sublimiores auctores praelegat. Concitatus autem graviter respondit se scire, quid e re auditorum fuerit, non opus sibi esse legibus discipulorum in praelegendo. Quo facto omnibus autem exemplum praebere voluit, ne parvis fundamentis spreto, cum magno periculo Icarum et Phaëtonis more summa affectarent, aut edocere auditores dissimulando doctrinam, ut omnia aetate atque usu dona crescere intelligerent, nec spe abiecta de profectu suo dubitarent. Haec fateor esse puerilia, tamen propter iuniores utiliter commemorantur. Pergo ad maiora.

In praelegendo tanta sedulitate usus est, in tanta quidem lectionum varietate, ubi solus omnia sustinebat, ut non solum Latine, sed Germanice quoque ad calum expositionem dictaret, cuius diligentiae specimen nemo unquam in ulla vel schola, vel academia audivit. Adeo ordine delectatus est in omnibus suis actionibus, ut cursum solis imitari exacte conspiceretur. Mane hora secunda surgebat, vesperi hora octava decumbebat. Lectiones tot et tam difficiles legit, ut nullius pene vires huic oneri pares esse credibile sit. Priusquam in templum ad communes preces faciendas cum ecclesia conveniret, diligenter ipse legit et oravit, omniaque ea quae per diurnum spacium auditoribus proponenda erant, perdidicit. Templum ingressus ipsemet chorum canentium rexit, omnesque alios suo exemplo ad psallendum DEO studiose invitavit. Ex templo regressus coepit aut praecepta rethorices, aut aliquam Ciceronis orationem enarrare. Postea privatim in suo musaeo adolescentes nobiliores ad grammaticam et catecheseos praecepta instruxit.

Publice de hinc vel philosophiam moralem, vel dialecticam praelegit. A prandio hora 12. usque ad 1. exercitium musices cum adolescentibus exercuit. Deinde legit Ovidium, post eam lectionem rursum privatim audivit discipulos. Inde circa tempus vespertinum Apophthegmata Salomonis pueris Germanicis rhythmis utiliter inculcavit. Finitis vespertinis precibus, ut vocant, bis in septimana legit Livium, bis etiam cum non legeret, Graecas lectiones propria sua manu auditoribus, quo facilius describerent, propter exemplariorum penuriam, praescripsit. Haec quotidie agebat sine respiratione. Imo nunquam erat occupatio, quam cum ociosus alicui videretur, quemadmodum de se Scipio dicere solebat. Soepe sub concionibus sacris,

44 decumbebat N decumebat

46 Apophthegmata Salomonis — Proverbia, SS

47 Scipio dicere solebat — Verger. De educ. cap. 22

cum attente audiret concionatorem, essetque in loco conspicuo auditoribus diligentiae exemplum praebens, scribebat commentarios in euangelistas utilissimos, vel in apostolica scripta enarrationes, quas publice auditoribus proposuit.

48 Familiam domesticam sic rexit, ut ecclesiae bene constitutae faciem representaret. Ipse non secus ac Adam protoplastus de DEO et mirandis patefactionibus suam oeconomiam informabat. Coniunx ipsa honestissima foemina, omnium piarum matronum illustre speculum Evam imitata, psalmos et pias praecantiunculas

49 filiabus praelegit, easque ut expresse canerent et pronuntiarent asuefecit. Scripta adolescentum ingenii exercendi et formandae orationis causa, qualibet septimana certo die ad hoc delecto correxit, qui labor, quod fideles solum praeceptores norunt, longe utilior et difficilior est eo, quem in Augiae stabulo repurgando Hercules

50 impendisse memoratur. Disputationes frequentes in suo auditorio de praecipuis doctrinae Christianae capitibus habuit. Ubi contrarias adversariorum sententias et corruptelas perspicue et dextre refutavit. In tanto precio habuit ecclesiasticum ministerium et sacramentorum administrationem, ut omni mense ad sacram synaxin cum universa sua domestica familia accederet, vivifico corpore et sanguine

51 IESU CHRISTI utens. Crebris etiam obtestationibus suos discipulos, ut reverenter de sacramentis sentirent, his verbis admonuit: Tanta est vis sacramentorum, ut si ea domi non haberemus, nudis pedibus anxie oberrantes in fine mundi ea quaerere debebamus. Quapropter et lege cavit, ut nemo hoc sacrum Domini convivium accederet prius, quam a se bene instructus esset de vero usu coenae Domini, deque

52 offitio commonefactus emendationem vitae fide data promississet. His tantis occupationibus quamvis obrutus esset, tamen et publici oratoris in regimine politico personam sustinuit, ubi eius sententia in gravissimis deliberationibus a civibus

53 honestissimis magna religione audita et approbata est. Cumque ipsi cives ingenti curarum mole gravatum viderent, hortabantur, ut non nihil a scholasticis laboribus remitteret, inter quos Ecckius familiarissime obsecrabat, ut valetudini parceret, alioquin ante diem iustum vitae terminum sese abrupturum. Ad haec ille respondit, sibi adeo dulces esse eos labores, ut sine his nec vitam sibi iucundam censeret. Et quo minus taedio afficeretur, asuefactione et ordine mirifice sese adiuvari et confirmari in suis laboribus ducebat. Subiiciens et illud dulcissimum psalmistae dictum, quod pro simbolo creberrime usurpare solebat: Psallam DEO meo, quam-

54 diu fuero. Quare etsi raro contingere solet, ut pii in hoc mundo praemium suae virtutis recipiant, tamen DEUS ei mediocriter benedixit: largiendo honestissimam coniugem, ex qua liberos aliquot utriusque sexus, pio coniugio dignos suscepit.

55 Amicos et consanguineos quam plures in eadem urbe habuit: ornatissimum virum D(ominum) Michaellem Rhadashinum ecclesiae Bartphensis vigilantissimum antistitem, et vicinis partibus praecipuos, Georgium Wernerum, serenissimi caesaris Ferdinandi consiliarium, et Sigismundum Geloum poëtam et medicum praestantissimum. His etiam annumerandum censeo illustrissimum principem Iacobum Herac-

56 lidis despotam Moldaviae, qui exilii sui tempore ad hunc Stöckelium veluti portum et asyllum confugit, cuius familiari consuetudine per longum tempus adeo delectatus est, ut in auditorium secutus attentissime lectiones sacras eum interpretantem audierit. A quo plurimum adiutus est apud proceres incliti regni Poloniae, Lasconem Tyropolitanum comitem et alios, qui belli nervos suppeditantes partes ipsius

48 praecantiunculas N praecatiunculas

53 Psallam — Psal 145,2

- ⁵⁷ despotae in Moldaviae regno expugnando egregie promoverunt. Amavit denique huius viri nomen usque adeo amplissimus Lythuaniae princeps, ut filium suum Hyeronimum natum annos sedecim apud hunc in studiis et quotidiano convictu, per totum fere triennium esse voluerit. Rem familiarem habuit mediocrem, quantum ad recte beateque vivendum homini theologo conveniebat.
- ⁵⁸ Porro quantis certaminibus intrinsecus a Sathana vexatus sit, rerum spiritualium periti facile iudicabunt. Non est enim ignavum ocium, ut multi putant, Christiana professio, imo verius est militia tanto durior, quo cum hoste non ignavo et imbecilli, sed omnium vigilantissimo atque instructissimo, plus quam mille fraudibus, dimicandum est, nempe Diabolo principe mundi, qui homicida est et pater mendaciorum. De externis tantum dicam. Quot se bone Deus adversariis opposuit? Quot hereses refutavit planeque repressit? Quod summum offitium est boni doctoris. Papatum ex iisdem locis depulit, aliquoties Apologiam istarum ecclesiarum invictissimo imperatori Ferdinando exhibuit, eamque inter saevissimas minas intrepide defendit. Varias gliscentes sectas in Pannonia de praedestinatione compescuit. Sacramentarios, qui et sedentarii dicebantur, eo quod contendebant non alia ratione utiliter administrari posse Dominicam Coenam, nisi ad mensam sedendo, multis pagellis refutavit, non solum in vita nunquam, sed ne in extrema quidem hora mortis pro amicis agnovit, manifeste illos Antichristi ministros et foetus Diaboli praecipuos compellabat. Stanckarum hominem fanaticum et erronem et viva voce coram suis auditoribus Bartphae de errore convicit, et scriptis illustrissimis confutavit Martinum Calmancheum contentiosissimum hominem, qui maximam cladem Ungaricis, Transylvanicis ecclesiis intulit, varias doctrinae sanctae corruptelas spargendo pudefecit. Mathiam Lauterwald Elbingensem, cum sua operum necessitate in praesenti facienda, iis enim portentosis vocabulis utebatur, primus in lucem protraxit et coram disputando, cum collegam in eo certamine haberet doctissimum virum D(ominum) Radaschinum, devicit. De qua actione, quia iudicium satis probatum celeberrimae Academiae Witenbergensis extat, brevius dico. Si Pericles ille moriturus praeclare secum actum putat, quod ipsius causa nunquam Athenienses pullis vestibus induti fuerunt, profecto hic noster plus quam Pericles aequius multo sibi gratulari potuit, quod non solum non offendit unquam rempublicam aut ecclesiam, sed magna et infinita comoda ab ipso totus orbis Christianus venturaque posteritas accepit. Merito igitur huius tanti viri virtutes mirari atque imitari debemus, eosque ut canes et angues venenatos odisse, qui ullam maculam eius cum vitae, tum doctrinae aspergere conantur.
- ⁵⁴ Exitus vitae placidissimus fuit, nihil asperum in summis afflictionibus contra Deum dixit. Quin potius exemplo Iob benedixit Deo inter medias calamitates, quae eo fuerunt mitiores, quantumvis atrocius saevirent, quod sciebat praeludia esse signaque infallibilia melioris et aeternae vitae. Cum se prae aegritudine lecto amplius movere non posset, in proprias aedes auditores suos convocatos non minore, quam antea, cum fidelitate erudivit.
- ⁵⁵ Annos vitae LI. attigit, dimidiam fere partem in militia scholastica consummens, totos videlicet XXI. annos. Cumque morbi vis invalesceret, laborabat enim vitio

60 sedentarii N sedentarii

61 fanaticum N fanaticum

63 ipsius causa N ipsius cause

63 Pericles putat — Plut. Vitae (Pericles 38)

- epatis, ex multis et crebris vigiliis contracto, audita prius fama de morte celeberrimi viri Philippi Melanchthonis, eo gratius sibi mori visum est, quod confusiones tanti viri mortem secuturas minime visurus esset, sed cum Philippo in sinu Filii
- ⁶⁶ Dei placidissimam quietem in omnem aeternitatem experturus. Optavit ergo cupide dissolvi et esse cum Christo. Nec irritum fuit hoc ipsius votum, decessit enim ex hac aerumnosa vita septima die Iunii, qui L. est dies a morte Domini Philippi, tristissimum omnibus desiderium post se relinquens. Quare gratulemur ipsi hanc summam foelicitatem, quam et nos cum omnibus electis Dei consecuturos speramus.
- ⁶⁷ Nostri vero causa lachrimarum procellas fundere debebamus, qui tam fideli Nauta et Auriga spoliati sumus, cui quasi fulcro et honestas, et pietas rerumque publicarum et ecclesiarum incolumitas incubuit. Colligit enim Deus grana, paleam igni comburendam relinquens. Quia vero lachrimis parum admodum proficitur, adiungendae sunt ardentissimae preces, ut Filius Dei ecclesiam suam huiusmodi salutaribus organis deinceps quoque ornet, ne ipsius notitia Epicuraeorum et fanaticorum hominum furoribus in genere humano prorsus extinguatur. Ac nos praecipuae ea cura tangere debebat, qui sacra, ius fasque indignis modis profanari a Mahometico cyclope quotidie coram videmus, quique extremam Ungariae ruinam vastitatemque barbaricam impendere experimur. Nec obscurum est his malis Deum ostendere, quod vineam suam supra modum sterilem et ingratam non velit sepire, fodere et amplius curare, sed neglectam feris conculcandam relinquere, quemadmodum apud prophetam minatur. Taedet iam Filium Dei diutius hospitem esse nostrum, quem cum omnibus suis beneficiis tam frigide tractamus. Quare sedulo cum apostolis ingeminare has preces altis suspiriis debebamus, qui ad Emaunta Christum volentem longius abire hac obtestatione, ut maneret, urgebant:

Vespera iam venit, nobiscum, Christe, maneto,
Extingui lucem ne patiare tuam.

- ⁷⁰ Hortor etiam omnes pios, ut aeterno Deo gratias agant, pro tam saluberrimis donis, ipsorumque doctrinam et vitae morumque illustria exempla pro sua quisque vocatione sedulo imitari studeat. Quod aeternae cum erga ipsos, tum erga Deum gratitudinis testimonium futurum est. Hic canam receptui, ne prolixius dicendo huius viri veras laudes videar hac in compta oratione potius obscurasse, quam illustrasse. Perinde est enim frigide laudare ac vituperare.
- Dixi.

3. Epitaphium

Quem pietas celebrem doctrinaque plurima fecit,
Stöckelius cineres hic Leonartus habet.

⁶⁷ Colligit — Matth 13,30

⁶⁹ apud prophetam — Ier 2,14—21 et pluribus locis aliis

Vespera iam — Melanch. Epigrammatum libri sex. Wittebergae 1592. lib. I. p. E2; cf. Luc 24,13—43

4. De morte eiusdem Leonarti Stokelii Ad cives Bartphenses

Luge, Bartpha, tui tristissima funera patriS,
Erepto hoc saluum nil tibi namque maneT.
Omne decus, quod habes, tibi civis contulit istE,
Nullus in hac similis parte futurus huiC.
5 Artes explicuit fido et pia dogmata corde,
Rectis vita fuit moribus aucta, simuL
Terribilem Christi se inimicum praebuit hostI,
Victor et tua sit vindice soepe manU.
10 Spiritus accepit caelestia regna tonantiS,
Exuvias tellus corporis eius habet.
Huius amate viri, nec ab his discedite, scripta,
Quidquid ab his scriptis dissidet, error erit.
Bartpha, tibi prolem tristi cum coniuge liquit,
Hanc quacunque potes parte iuvare iuva.
15 Et vos o pueri, tanti vestigia patris
Non pigeat vitae tempus in omne sequi.

5. Aliud epitaphium

Huius Bartpha viri multis innotuit oris
Laudibus, hic patriae praemia digna dedit.
Non fuit ingenio similis pietate nec arte,
Carpathe Pannonicum qua premis alte solum.
5 Praefuit Aonidum studiis foeliciter annos
Bis denos, ach nunc membra sepulta iacent.

4 qua N quaque *abbr.*

V. EPITHALAMIUM IN HONOREM
 NUPTIALEM MAGNIFICI DOMINI CASPARIS
 BÖKES DE KORNIAT, S<ERENISSIMAE>
 R<EGIAE> M<AIESTATIS> SUPRAEMI
 CUBICULARII, EIUSQUE SPONSAE
 GENEROSISSIMAE, ANNAE, EGREGII DOMINI
 WOLFGANGI DE HARINNA FILIAE

1. Ad magnificum dominum Alexandrum Kendinum
 olim condiscipulum et commensalem

Si memor est veteris, Kendi generose, sodalis,
 (Virtute, ingenio, nobilitate nitens)
 Qui tecum studiis est innutritus iisdem,
 Est ubi Sarmaticis Bartpha propinqua plagis.
 5 Quae peto, perficies (ut credo) negotia prompto
 Pectore, cum factu sint leviora tibi.
 Scilicet eximia sponso virtute corusco,
 Exhibeas venae pauperioris opus.
 10 Illud et invulges praeclsa regis in aula,
 Quo mihi magnifici concilietur amor.
 Cumque ego sim vates devota et mente sacerdos,
 Te reddam charum supplice voce Deo.

C<hristianus> S<chesaeus> M<ediensis>
 tui amantissimus

2. Egregio viro, nobilitate generis, virtute et sapientia
 praestanti Do<mino> Wolfgango de Harinna, Musarum
 patrono dignissimo S<alutem> P<lurimam> D<icit>

- ¹ Cum artium ingenuarum (Vir praestantiss(ime)) praecipuus finis sit, ac esse debeat, ut Deus agnoscat et honore afficiatur, poeticam imprimis tam ad Deorum immortalium laudes, quam ad heroum virtutem celebrandam veteres inventam magnoque studio ac favore Moecenatum conservatam rectissime iudicaverunt.
- ² Etsi vero nonnulli de hoc studio iniquius censent, quibus optima quaeque calumniando inclarescere voluptati est, quasi haec exercitia tantum ad inanem ostentationem, aut temporis fallendi gratia excogitata sint, ideoque in nullo precio reponunt: tamen boni viri, qui a Deo virtuti praemia constituta esse sciunt, ipsamque virtu-

tem sibi ipsi pulcherrimam mercedem esse didicerunt, minime lividorum calumnias et reprehensiones morantur, sed magna cum voluptate operosa haec, non minus
³ suavia studia exercent et colunt. Esto, hac praesertim tempestate paucis ad magnas opes aut dignitates iter patefaciant, tamen plurimas (...)is cultoribus utilitates vel privatim pariunt. Formatur et acuitur ingenium, dum officiosas, ut ita dicam nugas, verisimilibus rationibus pulcherrimis eloquentiae flosculis animis lectorum inculcare conantur. Praecipitantia et incuria velut fraeno cohibetur, dum singulari delectu vocabulorum in tanto cumulo synonymorum eruta, non nisi ad libram
⁴ examinata carmini inseruntur. Eruditio alitur et augetur, dum vel ad unius epigrammatis scriptionem interdum totus aliquis liber historicus evolvendus est, aut in epitheto recte attribuendo ex phisicis scriptoribus rei natura exactius investigatur. Nec ulla est oratio nervosior, vel arguta et docta brevitate concinnior, qua
⁵ et alii citius, quae praeceperis, accipiant, tuque ipsos facilius doceas. Taceo, quantum splendorem, copiam, sublimitatem maiestatemque, teste Quintiliano, solutae orationi adferat. Hoc profecto silentio praeteriri non potest, quod ut aliae liberalioris culturae artes ad humanitatem inculta et aspera ingenia flectunt. Ita maxime mirificam habet vim hoc exercitium, ut non prorsus cyclopica et monstrosa ingenia, si modo culturae patientem praebeant aurem, perpoliat, ac cera molliora flexibilioraque reddat.
⁷ Denique nullum est genus scriptorum, quod tantam vim habeat ad concitandos affectus, sive ad inflammandos animos ad virtutis amorem, sive ad detestandam foedam vitiorum colluviem comparatum fuerit: veluti quadam divina efficacia,
⁸ quo velit, lectorem primum rapiat et impellat. Sicut non obscure id vetustas significare voluit sub Amphionis et Orphei figmento, quos feras et saxa lyrae cantu movisse confinxit. Exstat Plutarchi liber de audienda poetica, exstat et D(ivi) Basilii, omnium scriptorum eloquentissimi, splendidissima admonitio, quomodo ex Graecis authoribus capienda est utilitas. Ubi uterque poeticam ad verae philosophiae studium absolvendum, imprimis multum conducere affirmat. Nec Paulum illum ter maximum ab hoc studio abhorruisse documento est, quod tres (ni fallor)
⁹ versus ex poetis in suis scriptis citat, suoque instituto apte accommodat. Libet hic commemorare, cum ad rem faciat, historiam quam saepius a clariss(imo) viro D(omino) Philippo Melancthone, bonae memoriae, audivimus. Referebat Maximilianum imperatorem, avum Caroli et Ferdinandi, in maximis adeo habuisse delitiis poetas, ut interdum ad privatum colloquium familiarius admiserit, nonnunquam et mensae adhibuerit convivas. Id cum indignius nonnulli ex magnatibus aulicis ferrent, ac hoc genus hominum sibi praeferri dolerent, eousque invidia
¹⁰ perpulit lividos, ut palam obiectare caesari illud sint ausi. Ad quos caesar: utrum putatis donumne Dei, vel donum hominum maioris faciendum? Responderunt Domini Dei praeferendum esse. At inquit caesar: id ego facio. Ego enim vos nobilitavi, opibus ornavi, et pro libitu torquatos purpuratosque creare possum. Sed poetae sunt, quos Deus peculiari numine suo afflavit, et a reliqua fece hominum

³ ...is *photo corruptum*, *legi non potest*

¹⁰ nonnunquam D nonnunquam

⁵ teste Quintiliano — VIII, 2; X, 1

⁸ Plutarchi liber — Quomodo iuveni audienda sint poemata? Basilii liber — Oratio ad iuvenes, quomodo cum fructu legere possint Graecorum libros?

⁹ (Paulus) citat — Aratus (Act ap 17,28); Menandros (I. Cor 15,33); Epimenides (Tit 1,12); cf. Theognis Megarensis: Sententiae. Basileae 1576. Epist. dedicatoria.

vulgaris monetae longe lateque discrevit. Ideoque merito honore illos deveneror: verum de his satis.

- ¹³ Nunc ad rem veniam. Scripsi hoc carmen nuptiale, motus communi omnium favore studioque ferventissimo tam Principis nostri clementissimi, quam totius nobilitatis regnicolarumque, quos certatim his piis illustribusque coniugibus singulari apparatu et munerum magnificentia applaudere video, insignemque laetitiam testari. Horum itaque exemplum secutus, qua potui dote, placere volui.
- ¹⁴ Ad haec volui hac honesta occupatione studii mei rationem reddere, ne apud bonos calumniatoribus locus sit, qui meae conditionis homines nullo honesto labori, praeterquam potationibus, aleae, circumvectionibus adeoque sordidae curae parandarum opum deditos tragice vociferantur; cum nullum tempus honeste et utiliter exactum putent, quod non sophismatum praestigiis, quibus veritas labefactatur, mancipatum fuerit: ut vel ex me prolethario, aliorum eruditione et zelo pietatis praestantium virorum diligentiam, in gravioribus utilioribusque studiis, metiantur.
- ¹⁵ Postremo, cum Deo favente, barbarie pulsa in patria nostra mitiora humanitatis studia florere inceperint. Ipsaque imprimis florida iuventus certatim huic studio incumbere gestiat, ne a pio cursu deflectat, meo exemplo (si quid ponderis ad persuadendum habet) invitare volui, cum plurimorum insano iudicio haec honesta exercitia calumniari, damnari, cane peius et angue odio haberi, velut nugarum officinam, compertum habeam.
- ¹⁶ Tibi vero, Wolfgange vir praestantissime, cum propter alias ingenii et fortunae dotes, tum maxime quod talem adeptus es generum, qui olim res patriae infelicis labantes velut Atlas humeris coelum sublevaturus sit, congratulari volui, idque huius carminis dedicatione testari. Nec dubito, quin pro singulari pietate tua humanitateque, hoc licet rude et impolitum carmen benevolo animo amplexurus sis. Quod ut facias, te virum integerrimum Musarumque portum optatissimum maximopere peto, atque impensius obsecro. Vale in Domino Iesu felicissime in multos annos.

Christianus Schesaeus Mediensis
V(estrae) E(xcellentissimae) D(ominationi)
studiosissimus

3. Epithalamium continens antithesin aerumnarum et commodorum vitae coniugalis

An mea continuis Musa exercebitur armis
Difficili referens Hunnica gesta pede?
Qualiter infelix et lamentabile regnum
Eruerint Teucri vique doloque feri.

12 lateque D lataeque

14 Ad haec D Adhaec / labori D labore / praeterquam D praeterque / aleae D alea / sordidae curae D sordida cura / labefactatur D labefectatur

3-4 lamentabile regnum — Verg. Aen. II, 4-5

Quis status hic rerum novus? haec mutatio qualis,
 Versa quod in pacem bella cruenta silent?
 Cernis, ut aurato cum Principe vulgus amictu
 Et regni procures gaudia festa probent.
 Pro galeis virides ornant capita alta coronae,
 Grata puellari dona parata manu.
 Est celer obductus scabra rubigine mucro,
 Longaque deformi torpuit hasta situ.
 Plaudentes ducunt plectro resonante chora(e)s),
 Quos hostis timuit degener ante, duces.
 Nimirum insigni virtute fideque coruscans
 Caspar Bökesius festa hymenaea parat.
 Moribus ingenuis et pulchrae munere formae
 Annae praestantis sponsus amore flagrans.
 Annae, cui Superi tribuerunt dona benigni,
 Cunctorum facile ut vincere vota queat.
 Ergo plaudentium studium commune secutus,
 Qua possum coeptis parte favebo piis.
 Coniugii dicam aerumnas variosque labores
 Atque cruces, quot vix ampla carina vehat.
 Post vera adiiciam genialis commoda lecti,
 In quo concordēs foemina virque cubant.
 Tu modo crescenti faveas, pia sponsa, Camaenae,
 Et grato oblatum pectore munus ama.
 Forsitan in curis solabere pectus acerbis,
 Haec mea si quando verba notata leges.
 Mota tuo exemplo leget haec studiosa iuventus,
 Frenaque coniugii discet amare pii.

Postquam succubuit fallacis fraude Draconis,
 Hanc poenam infligi senserat Eva sibi:
 Quando rudem tumido gestabis viscere faetum,
 Assiduo duro pondere pressa gemes.
 Cumque propinqua aderunt edendi tempora partus,
 Tristius et longe maius habebis onus.
 Nec pia pro charis aberit custodia natis,
 Donec vitalis spiritus ossa regit.
 Inde tot aerumnae morborumque agmina serpunt,
 Quae velut obscura gaudia nube tegunt.
 Ergo ubi concepit, fert coniunx pondera ventre,
 Parvaeque post sentit gaudia mille cruces.
 Infestat gravidam pituita, gravedo, catharrus,
 Turgidus assiduo tormina venter habet.

13 choreas **D** *photo corruptum*

19 tribuerunt **D** tribuerint

27 faveas, pia sponsa, Camaenae **D** faveas piaē sponsae Camaenae

Ex kitta varia hinc consurgit orexis edendi,
 Nunc has, nunc illas flagrat habere dapes.
 Quove gravis partus vicinior imminet hora,
 60 Obruit immodicus viscera faeta dolor.
 Languida saepe carens in nixu viribus uxor
 Deficit, et gemino funere ditat humum.
 Esto, sit in lucem felici sidere natus,
 Et recte valeat cum genitrice puer.
 55 Ingens curarum fluctus tamen obruit aegram,
 Qua satis exacte nutriat arte rudem.
 Plorantem charis avide complectitur ulnis,
 Lactis et innato guttura fonte rigat.
 Collocat in cunas loro brevior revinctum,
 60 Semper ei custos duxque fidelis adest.
 Faeta velut catulos informes ursa reformat,
 Lux quibus et vitae non vigor ullus inest:
 Sedula sic nutrix puerorum membra figurat,
 Si qua minus reliquis artubus apta videt.
 65 Repere dum quadrupes in pulvere discit, et aegre
 Incipit exiguum tollere corpus humo.
 Ne cadat imprudens, vel frangat colla veretur,
 Aut interdictis immoriatur aquis.
 70 Quando puer gressu iam debiliore levatus
 Conatur balbo rectius ore loqui.
 Naturae vitium non firma quod hactenus aetas
 Occuluit, notum senior hora facit.
 Traditur ingenii formandus voce magistro,
 Imbibat ut mores cum pietate bonos.
 75 Ingenuasque artes, vitae fulcimina discat,
 Unde graves census, unde paratur honos.
 Hic quantas duro capit a monitore rebellis
 Iurgia contemnens et pia iussa plagas?
 80 Natorum improbitas (et) carnificina parentum
 Militia hoc gravior nulla labore manet.
 Post ubi pubertatem animae est discrimen adeptus,
 Luxuriat scelerum maior ubique seges.
 Illicitus fervor turgensque superbia fastu,
 Rixae, odium impatiens omnis et ira iugi.
 85 Luxur et ebrietas populatrixque alea rerum,
 Desidia inventrix atque ministra mali.
 His plerumque malis aetas iuvenilis abundat,
 Utilium legum nescia frena pati.
 90 Hoc pelagus postquam evasit vastamque Charybdim,
 Durior hac aetas ecce virilis adest.

68 interdictis D inter dictis
 73 magistro D magistri
 79 et D deest

Expetitur vitae socia adiutrixque laborum,
 Atque parandarum cura fidelis opum.
 Anxia cura virum nimiumque molesta remordet,
 Quo studio immensas arteque cogat opes.
 Per mare pauperiem vitat, per saxa, per ignes
 Navigat, arma gerit, vomere findit agros.
 Eruit ex imo vi multa viscera terrae
 Aurum radicem materiemque mali.
 Omne nefas audet, furor immoderatus habendi
 Quem nimium in praeceps curaque ventris agit.
 Ultima succedit letho vicina senectus
 Aetnaei gravius pondere montis onus.
 Cuncta recrudescunt primis tolerata sub annis
 Damna, sene ex curvo denuo fitque puer.
 Caligant oculi, tremit os, oblivio mentem
 Occupat, haud vires debile corpus habet.
 Et seipsam et reliquos odit morosa senectus,
 Vivereque est senibus maxima poena diu.
 Vexantur tussi, ducunt suspiria anhelo
 Ore, vomunt crebro pesque manusque tremunt.
 Vita quid est hominum gelidae nisi mortis imago,
 Ros levis, umbra fugax bullaque fexque putris?
 Haec inquam miseros incommoda multa maritos
 Urgent praecipue, continuoque premunt.
 Non tam difficiles animalia caetera partus
 Totque graves curas sustinuisse vides.
 Exiguo faetos excludit tempore pullos,
 Aera quae penna praepete findit avis.
 Devolat e fixo super alta cacumina nido,
 Atque recens victum nata columba legit.
 Non longo catulos aluerunt tempore tigres
 Ursaque, vel fulvis nota leaena iubis.
 Solum homines (natū quo grandior extitit aetas)
 Curae maiores anxietasque premunt.
 Hinc vulgo voces natae: mare, foemina et ignis,
 Haec tria sunt inter pessima quaeque caput.
 Atra viro mulier tempestas, magna tyrannus,
 Vitari et nulla quod queat arte malum.
 Inde fit ut taedae cane peius et angue iugales
 Spretae, non precium, nec meruere decus.
 Sunt, quibus obscuro placuit latuisse recessu,
 Ocia sectantes et sine lite dies.
 Turpiter assumptam vel deseruisse maritam,
 Aut oneri prorsus succubuisse gravi.

122 iubis D vibis

102 Aetnaei gravius — Cic. Cato m. 2,4

Congeries commodorum vitae coniugalīs

135 At quibus est sanae melior sententia mentis,
Non parvi faciunt coniugiale bonum.
Vulnera non repetit, sed maxima praemia miles,
Non tempestates navita, spectat opes.
140 Nec segetes grando depascens vertit agrestes
Proposito, minus ut frugibus arva serant.
Sic adversa pios non frangunt damna maritos,
Sic mage coniugii commoda multa notent:

I. Ab honesto:
Coniugium est ordinatio Dei

Non homines pecudum voluit rituque ferarum
Errare incerto Cypridos igne, Deus:
145 Certo anni repetunt errantes tempore motus,
Nec thalami certo faedere iussa colunt.
Fida virum coniux non tempore deserit ullo,
Est socia et vitae dulcis ubique comes.
Nam Deus arcano decretum pectore versans,
150 Cum nato et sancto Flamine iunctus ait:
Non reor esse bonum, steriles consumat ut annos,
Optato et careat compare solus homo.
Ergo adiutricem vitae sociamque laborum,
Quae non dissimilis sit (faciamus) Adae.
155 Haec ubi dicta, leves fontis prostratus ad undas
Sub viridi somnum fronde trahebat Adam.
Protinus admota reserat latera ardua dextra,
Unamque ex costis eruit inde Deus.
160 Ex qua cunctorum matrem formaverat Evam,
Naturae eximium nobilioris opus.
Primus et adduxit Sponsam paranympheus Adamo,
Talibus exorsus verba diserta modis:
Crescite legitimi per mutua gaudia nexus,
Vestraque posteritas impleat aucta solum.
165 Estis pars operum melior maiorque meorum,
Quantum vos adamem, dicere non(que) potest.
Quin etiam ad nutus animalia caetera vestros,
Servitium iubeo triste iugumque pati.
Quis genus hoc vitae divina voce probatum
170 Insano demens rodere dente velit?

146 colunt D colint

161 adduxit D aduxit

166 adamem D adamen / nonque D que *deest*

151 Non reor — Gen II, 18 sqq.

II. Ab utili:
per coniugium conservatur humana societas
et Deo colligitur ecclesia

Conditor in cassum mundi hoc insigne theatrum
Formasset, si non incolat illud homo:
Qui praeclara Dei rimetur facta, piisque
Laudibus authorem gratus ad astra vehat:
Ac post exactae tristissima taedia vitae,
Ante Deum aeternae tempora lucis agat.
Notitia ergo Dei latum quod vera per orbem
Mortales pietas inter et aequa viget:
Coniugibus merito debetur in omne benignis,
Horum ope vita hominum perpetuata manet.
Nam velut accenso lumen de lumine flammam
Accipit, inque alias prorogat usque faces:
Sic natis vitam tribuunt generando parentes,
Ne socium pereat prorsus in orbe genus.
Saepe vides puerum teneri succrescere cunis,
Aevo qui sceptrum vividiore regit.
Aspicias hinc etiam doctum se tollere vatem,
Qui vitiis animos exuat ante rudes.
Hinc quoque ruricolae milesque animosior ortum,
Atque homines uniunt quotquot in orbe, trahunt.
Nec non indigetes, quorum inclita corpora coelo
Invexit virtus ardua et aequa fides.

III. A iucundo:

Non est in toto iucundior orbe voluptas
Illo, quo sponsae sponsus amore flagrat.
Cum pulcra carum ditarit prole maritum,
Faeta velut vitem fructibus uva beat.
Circum quadratas posuisse sedilia mensas,
Atque avido videas carpere dente dapes.
Interdum audaci committere praelia pugno,
Proque levi illato verbere triste queri.
Nunc pater infantem genitricis ab ubere sumptum
In tepido cupide gestit habere sinu.
Oscula purpurei(s) infigit dulcia malis,
Oscula sinceræ pignus amicitiae.
Cum rident nati, videas ridere parentes,
Si flent, hos lachrimas elicuisse iuvat.
Andromachen natumque ferox stans Hector in armis
Aspicit, et roseis imprimit ora genis.

181 lumine D lummine
203 purpureis D purpurei

207 Andromachen natumque — Hom. Il. VI, 474

210 Agesilaus, Spartae dux praeclarissimus urbis,
 Cum pueris ficto ludere gestit equo.
 Quam blanda pueros salvator voce vocando
 Ad se velivolis cursibus ire iubet?
 His, ait, astrigeri patet ardua ianua coeli
 215 Me duce, non Stygii Ditis ad antra ruent.
 Assuetus tremulis chartas gestare lacertis
 Ingrediens durae docta lycaea scholae.
 Cum redit, et recitat fidi documenta magistri
 Filiolus, recreat pectora moesta patris.
 220 Exerces patrias aevo maturior artes,
 Totius curam sustinet ipse domus.
 Dat longa fessis aetate parentibus escas,
 Et quacumque potest parte iuvare iuvat.

IV. Coniugium est schola multarum virtutum

225 Vita maritalis virtuti porrigit ansam,
 Et vitiis metam constituitque modum.
 Si videt affligi sobolem cum matre maritus
 Morbis, difficili pauperieque premi:
 Devotas tollit suplex ad sidera palmas,
 Crebraque pro amborum vota salute facit.
 230 Optimus orandi sors est adversa magister,
 Gaudia securis luxuriosa nocent.
 Amplas placato decantat numine grates,
 Sperare in simili sorte paratus opem.
 Erecto incedens ventosa superbia collo
 Coniugii duro pondere pressa iacet.
 235 Imperium doctus morosae ferre maritae,
 Dexterius perfert publica damna foris.
 Audax armatos pro coniuge fertur in hostes,
 Privato cui vix visa machaera prius.

V. Coniugium est typus amoris inter Christum et ecclesiam

240 Coniugium typus est signumque ardentis amoris,
 Quo flagrat erga homines Filius ipse Dei.
 Diligimus veluti natos sociamque iugalem,
 Plusquam magnificas totius orbis opes:

214 Ditis D Ditas
 231 numine D minime

209–210 Agesilaus ludere gestit — Manl. Coll. p. 214
 211–212 pueros salvator — cf. Matth 19,13–15; Marc 10,13–16; Luc 18,15–17

245 Ipsorum aerumnas adversaque damna putamus
 Nos premere ac nostris incubuisse humeris.
 Illatamque ipsis vim vi depellere prompti,
 Si vel atrox certo mors adeunda foret:
 Sic homines simili complexus amore Redemptor
 Induit humani corporis ossa lubens.
 250 In se derivans alienae incommoda culpa
 Pro mundi vita mortis obivit onus.
 Denique naturae propter commertia nostrae
 Defendit Stygio semper ab hoste suos.

VI. Est remedium contra vagas libidines

Errantes cohibet flammas Paphiaeque furores
 Illicitos, certa cum ratione regit.
 255 Quos propter claris viduatae civibus urbes
 Inque leves cineres regna redacta iacent.
 Attulit extremum Troiae Venus improba fatum,
 Ob Venerem illicitam sanguine Leuctra madent.
 Praetereo prudens Thebas, bimaremque Corinthum,
 260 Musarum dulces, Attica regna, domos.
 Caelitus immisso perit igne Gomorrha, putresque
 Sulphurea fumos edere fertur humo.
 Agmina turritis late fulgentia peplis
 Hungara propterea regna subacta premunt.
 265 Hinc error mentis morborumque agmina mille,
 Hinc tragici casus morsque inopina venit.
 Hisce malis siquidem Venus impolluta medetur,
 Quis thalami digna foedera laude canet?
 Tales et multo plures attexere laudes
 270 Dum meditor, coeptum copia turbat opus.
 Nam quo plura cano, mihi plura canenda supersunt,
 Commoda coniugii nobiliora pii.
 Ergo opus in mediis abrumpere cursibus ingens
 Cogor, quantumvis longius ire velim.
 275 Hoc demum superest, Summo ut pia vota Tonanti
 Casparis atque Annae nomine Musa ferat.
 Impleat amborum sacro pectora flatu,
 Ut peragant placitos mutuo in amore dies.
 O vos nobilium decus et duo lumina caetus,
 280 Fama loquax quorum nomen ad astra vehit:
 Vivite felices: pro voto vestra piorum
 Coepta salutari prosperitate fluant.

257-259 Attulit Troiae — Ov. Trist. II, 317—320

261-262 perit Gomorrha — Gen 19,24—29

4. De providentia Dei erga genus humanum et de curis huius vitae in Deum ponendis, eiusdem authoris

Quid frustra cruciaris anxium cor
Fluxas propter opes fugacis huius
Vitae? fide Deo, potente dextra
Qui terram, mare, qui polum creavit.

5 Non te negliget aut repellet unquam,
Est clemens Deus, est Pater benignus,
Novit, quid tibi desit, et capillos
Humani capitis tuetur omnes.

10 Spem ponit locuples in aere multo,
In te spes mea conquiescit omnis,
Fidens indubie, Deum timenti
Non huius bona defutura vitae.

15 Helia (rogo), te quis educavit?
Clausus cum pluvias negaret aether,
Laetas iugera nec darent aristas
Iudaeas fame adobruente terras.

20 A longo tibi corvus appropinquans
Coelestes epulas ministrat, usque
Despectam viduae casam Sareptae
Intras, quae saturat farina egentem.

Curabat Daniel(em) et in profunda
Spelunca rabidum Deus leonum,
Illi fert Abacuc dapes, coactus
Per turbae aligeræ sacrum ministerium.

25 Et Pelusiæ Ioseph in oris
Prudens, a Pharaone captus, acres
Atro in carcere pertulit catenas
Impurus velut et salax adulter.

16 Iudaeas D Iudaeos
17 A longo D A longe
21 Daniele D Daniel

7–8 et capillos tuetur — Matth 10,30
13–20 quis educavit — I. Reg 17,6–16
21 Curabat Daniele — Dan 6,16–23; 14,32–38
25–32 Ioseph captus — Gen 39,7–23

30 Ast hunc eripuit Deus vicissim,
Et lautis opibus beavit auctum,
Quo posset senio gravem parentem
Frumentoque inopes iuvare fratres.

Nec tres in Babylonio camino
Neglexit pueros Deus, sed ipsos
35 E flamma vehementioris aestus
Salvos eripuit, bonis et auxit.

Num te desereret Deus? priusquam
Exires tumida parentis alvo,
Qui dulces epulas praeordinavit
40 In matris geminis tibi papillis?

Aër quas vehit arduus volucres,
Pisces quique natant freto profundo,
Ingentes hominum boumque caetus
Praebent terrigenū cibos pallato.

45 Sistema hoc nitidum capacis orbis
Est tanquam locuples penu refertum
Donis innumeris, quibus creator
Ditat, servat, alit sibi faventes.

Si flores viridisque gramen agri
50 Cultu splendidiore vestit auro,
Quod nunc luxurians viret, resectum
Paulo post rapidae fit esca flammae:

Si pascit volucres citis secantes
35 Plumis aera conditor, quibus nec
Incurvo fodiuntur arva aratro,
Turgent horrea messe nec reposta:

Humanum potius genus fovebit,
Divinae cui pars inhaeret aerae,
Cognatumque Deo est, et ad futurae
60 Vitae gaudia sempiterna factum.

44 terrigenum D turrigenum
59 ad futurae D adfuturae

33–36 tres pueros — Dan 3,20—24
57 Humanum genus — Iuv. Sat. X, 346—351

Est victus ratio tibi parandi
Multo promptior, arva findis unco
Ferro, semina pinguibusque mandas
Glebis, granaque lecta condis antro.

65

Prudenter decet idque cogitare,
Ut te foverit hactenus Creator,
Per menses aliquot, dies et annos
Usque ad caniciem fere supremam:

70

Nunc cum vix triduum tibi supersit,
Et cras aut hodie neci propinquus
Verseris, te etiam Deus fovebit,
Ut pistor bonus et cocus fidelis.

75

Ergo sepositis procul molestis
Curis omnibus, urgeat labores
Crebro quisque suae vocationis:
Eventum tribuens Deo laboris.

VI. RUINAE PANNONICAE LIBRI DUODECIM

1. Ad magnificum virtute, eruditione et generis
nobilitate praestantiss(imum) virum d(ominum)
Franciscum Forgatsch, vaivodae Transsylvani
et comitis Siculorum cancellarium et consiliarium
supremum

Si tantum gravibus tibi negociis,
Forgatsch, conspicuum decus potentum
Ducum et Pannonici columna regni,
5 Presso suppetit ocii, ruinas
Tristes Ungariae ducumque fata,
Ut Teucrum periēre vi dolisque,
Vultu perlege quaeso gratiore.
Non luxu celebris pigriciaque
10 Insanos populi leges furores,
Haustis qui cyathis mero calescit,
Pugnasque, ut Lapythae, ciet cruentas,
Sed qui pro patria Deique cultu
Vero et Christicolum salute fortis
15 Invictusque diu suum cruorem
Effudit generosiore mente.
Europae hoc clipeo carere iussus
Ultro Sarmata bellicosus arma
Deinceps proiiciet, feretque triste
Et crudele nimis iugum Scytharum.
Hoc muro viduatus et Quirinus
Germanusque ferox: propinquiore
Stabunt exitio, velut minus qui
Turcorum innumeros dolos et arma
20 Experti didicere bella, tantum
Civilesque domi movere rixas.
Hic durus labor atque permolestus
Noster si placeat tibi, legendum

FF ES *om.*

11 ut Lapythae — Hom. Od. XXI, 295—304

16 hoc clipeo — Forg. Com. p. 132

20 Hoc muro — Manl. Coll. p. 259

22–24 minus experti — Forg. Com. p. 304

30 Vadae ferre potes, serenior
 Hunc quando aspicias ovare vultu
 Ac verbis, levidense munus oro
 Ornes, ut placeat magis legenti:
 Nam te prae reliquis sibi patronum
 Delegit mea Musa, quod poeta
 Praestans iudicio, eruditione
 35 Hanc intelligis approbas et artem.
 Sic te conspicuum meae Camoenae
 Virtute ac meritis vehent per orbem
 Ingentem locupletiore fama.
 40 Sis felix, maneat diuque sospes,
 Sanis quo patriam iuvare possis
 Aegram consiliis, Atlantis instar
 Fulcire atque humeris tuis ruentem.

2. Illustrissimo atque inclito heroi Stephano Bathoreo
 de Somlyo, vaivodae Transsylvano et comiti Siculorum etc.
 d(omino) beneficentissimo gratiam et aeternam felicitatem
 a Deo Opt(imo) Max(imo) precatur

- ¹ Aesopus a Solone rogatus, quomodo principes viros et reges alloqui debeat, respondisse fertur: Dicenda esse ἡ ἥκιστα, ἡ ἥδιστα, hoc est, aut paucissima, aut gratissima. Illud vero si a me decorum hic neglectum fuerit, dum instituti mei causas reddere cogor, veniam illustrissime Princeps dabis, sat scio,
- ² si necessitate magis, quam temeritate id fieri cognoveris. Cum enim historiae descriptio consistat in rebus et verbis: rerum autem ratio tam temporis ordinem, quam locorum descriptionem poscat, item hominum mores, vitas, consilia, causas, dicta, facta, casus et exitus. Verborum vero ratio orationis genus desideret, leve, fustum ac pura illustrique brevitate maxime ornatum. Facturus operae precium videor, si utriusque leges minime assequutus partim excusatione idonea me purgavero, partim errati veniam seria et amica deprecatione impetrare contendero.
- ³ Ferunt Vergilium, cum statuisset res Romanas carmine complecti, stridore et quasi barbarie propriorum nominum deterritum ad Troiana bella ob dulcedinem
- ⁴ vocabulorum Graecorum sese convertisse. Quid mihi in mentem quispiam venisse existimabit, cum prodigiosas et ferales propriorum nominum et officiorum notas in meo carmine usurpatas legerit? Quae partim sunt Hungarica, partim Turcica, plurima vero nescio an verius ex schola Rhadamanti prodierint, quam ut aliquid
- ⁵ eruditioris disciplinae sapiant. Etsi autem fateor esse nimium horridas et confragosas: tamen usurpare et in versum cogere easdem plus quam Diomedaea me adigit necessitas, nisi mollius concinniusque voces illas inflectendo maluissem rem ita obscurare et involvere, ut coniectore potius quam lectore ad huius scripti

SB ES om.

1 Aesopus respondisse — Manl. Coll. p. 612

- ⁶ sensum assequendum opus esse crediderim. Id enim dum a quibusdam nimis supersticiose affectatum esse video, mirum quam ridiculos se nostris praebeant hominibus, nimio quippe elegantiae affectatae studio et intempestivis vocum inflexionibus efficiunt, ut rarissime illi etiam, quibus alioqui res nota est, veram
- ⁷ sententiam assequi possint. Praeterea si usum, qui diuturnitate temporis confirmatus pro lege habetur, praetendero, facilius reprehensionem declinare me posse confido, cum propter loci vicinitatem et crebra commercia, addo contractus et foedera nonnihil labis (sicut et vestitum, arma et bellandi morem nostri aemul-
- ⁸ lantur) lingua contraxerit, didiceritque cum claudis (ut aiunt) claudicare. Quod si quispiam, nimium elegantiae Latinae delicatus affectator, haec minime ferenda esse putet, mihi pro supplicio non serpentem unum, non culeum unum, ut est apud Iuvenalem, parari velit: cogitet is, quaeso, quid Phavorinus responderit (apud Gellium) adolescenti, cui nihil praeter vetera vocabula, novis et usitatis repudiatis et explosis, probabantur: Vive, inquit, moribus praeteritis, ac utere verbis praesentibus: si quis enim loqui vult, ut non intelligatur, idem tacendo
- ⁹ facilius multo consequi potest. Recte etiam monet quidam, vocabulis ut moneta utendum esse: ut ea enim magis probatur, quae vulgaris est et obvia. Ita voces usui et maxime rebus institutoque servientes usurpandae. Ac ne quis a me hoc dici forte existimet, quasi rudi et incultae barbariei patrocinari velim, elegantes vero fragrantisque eloquentiae flosculos negligendos esse censeam: sed ut potius vitium excusarem, quod in consuetudinem et mores abit, cui aliud remedium adhiberi non potest: quin omnino in hunc scopulum impingere necessum fuerit.
- ¹⁰ Neque tamen interea meliora monenti parere detrecto, modo absit calumnia, quae etiam optima quaeque cum dicta, tum facta caeco et praecipiti iudicio in pessimam partem interpretatur.
- ¹¹ Quanquam apud aequos et candidos iudices excusationem a nobis adductam aliquid valitum non omnino desperem, tamen longe maius graviusque ex rebus ipsis, quas cano, periculum emergere posse haec scribenti, forte non prorsus falso augurio ducor, ut evitata Charybdi demum Scyllaeam rabiem pati necesse sit. Haec enim historico data lex est, teste Cicerone: Ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua
- ¹² simultatis. Augent solitudinem de periculo imprimis facta quaedam in animis oculisque atque auribus hominum recentia, quorum certitudo necdum satis explorata aut fama constanti exacte confirmata habetur. Ea pro certis et immotis affirmare, arbitrioque popularis aurae commissa latius per orbem disseminare,
- ¹³ temerarii et suspectae fidei hominis notam esse quis non videt? Ad haec duorum praestantissimorum regum bella describo, quorum quisque suam laudem merito atque optimo iure sibi vendicat, ut qui Christiani orbis reipub(licae) plurimum opis et salutis virtute sua attulerit. Verum (ut sit in civili discordia), dum tandem fas et ius contra rem suam provehere et fulcire quisque conatur. (Dolus enim an
- ¹⁴ virtus, quis in hoste requirat.) Illud a Iulio Caesare dictum saepe usurpatum, etiam

⁹ barbariei W barbarei

¹² necdum W nec dum

⁷ claudis claudicare — Plut. De institutione filiorum, 4

⁸ apud Iuvenalem — Sat. VIII, 213—214

¹⁰ apud Gellium — Noct. Att. I, 10

¹¹ Ne quid falsi — Cic. De or. II, 15,62

¹³ Dolus enim — Verg. Aen. II, 390

- apud Christiani orbis principes proh dolor (absit invidia dicto) locum reperisse nonnunquam pro comperto habemus: Si violandum est iusiurandum, regni caussa violandum est, in aliis pietatem colito. Quae profecto citra reprehensionem et
- ¹⁵ invidiam vix a quoquam referri posse existimo. Praeterea complures alienae invidentes virtuti propria sua merita extenuari atque obscurari aliorum laude conquerentur. Deinde in mediis quasi faucibus Turcarum sedentibus, ubi undique circumsonare strepitus armorum crudelissimae gentis, inter ipsas ruinas Ungarici imperii experimur, quam parum tutum sit eosdem amaris incessere dictis, immanis ipsorum rabies in omnis sexus, aetatis et conditionis homines effusa abunde declar-
- ¹⁶ rat. Illos vero laudibus coelo aequare (cum sint inimici crucis Christi) quis non amentis et ab affectu Christiano hominis alieni opus esse existimet? Cum Cyclopes illi et parricidae cruenti, ante ipsa ora parentum, infantes per aera raptatos in
- ¹⁷ frustra misere per lulum gladiis concidunt. Sorores nostras iure sanguinis et religionis societate nobis charissimas infandis libidinibus polluunt, et ad longe maiora scelera, quam dici potest, reservant. Sacra iusque prophanant Mezencii illi sceleratissimi. Proinde inter malleum et incudem haerenti quae potest esse securitas?
- ¹⁸ Verum enimvero, ut haec pericula minus formidarem, aut saltem animo aliquantisper excuterem, me graviores causae, ut contra audentius irem, in proposito continuerunt. Primum argumenti dignitas, quo dulcis patriae rerum vicissitudines et ruinas imperii Ungarici pertexo. Nam ut ille inquit:

Et pius est patriae facta referre labor.

- ¹⁹ Idque eo fine factum, ut et aliae exterae nationes, ab hac illuvie Mahometica immunes et liberae, gemitus et planctus compeditorum, sedentium in tenebris et in umbra mortis exaudiant, et ad commiserationem excitentur. Aliquorum etiam hoc iugum pressorum mitiore sorte moti, singularem Dei Opt<imi> Max<imi> clementiam agnoscere discant, qui et hic voce euangelii incorrupta et vero usu sacramentorum sibi colligit ecclesiam, quam mirabiliter sapientissimo suo consilio praeter humana praesidia, inter media tela et hostes conservat et defendit, sicut olim Israhelitas in Aegypto et deserto, ac Babylone postea miraculose rexit et tutatus est, ut hoc exemplo commonefacti Dei tutelarem protectionem erga ecclesiam suam etiam in hac vita cognoscant, quam demum in aeterna vita perpetuis
- ²⁰ ornatam beneficiis sine ullo fine glorificabit. Huc accedit, quod toti orbi notum esse prodest, non metu periculorum aut ignavia omnium monumentis celebratissimam gentem illam Hungaricam ob virtutem bellicam et opulentiam inexhaustam sub iugum Turcicum concessisse, quae tanto tempore, tam feliciter et animose, licet impari multitudine, cum Turcis concurrens victorias amplissimas saepenumero reportavit, totiusque Europae fuit scutum et propugnaculum, ac sola propemodum Turcicis armis formidabilis: sed multo suo cum sanguine (ubi fata aliter de ipsorum imperio decrevere) patriam et libertatem amisisse.
- ²¹ Maxime omnium, ut serenissimi regis Ungariae Ioannis secundi merita in patriam nostram aliis etiam, ad quos vix obscura horum pervenit fama, con-

15 strepitus W strepitns

14 Si violandum est — Cic. De off. III, 21, 82; Suet. Iul. C. 30

17 Mezencii illi — cf. Verg. Aen. VIII, 481

18 Et pius est — Ov. Trist. II, 322

22 spectiora fierent, cum plerique aliter, quam par est, ipso iam vita functo de iisdem loquantur et sentiant: pro modulo ingenii mei isthaec patefacienda duxi. Nam, ut caetera taceam, quae nulla unquam aetas abolebit, hoc egregium virtutis eius facinus, quod potentissimo Turcorum imperatori pro salute patriae et regni charum hoc suum caput obiecit, cuius fulmina toti Europae excidium et ruinam minabantur. Non minor laudatissimis illis heroibus, quos vetustas immortalitati 23 consecravit: patres patriae et servatores eosdem esse dictitant. Huc facit, quod licet multas in Turcas largitiones pro salute patriae profundere cogeatur, aliosque beneficentia et obsequio in officio retinere, tamen nihilominus reditus ad pastores ecclesiarum alendos antiquitus ordinatos, cuique suo loco et iure liberaliter et 24 perhumaniter attribui et non imminui cupiebat. Quid clementia conspectius, qui aliquoties proditores suos, de scelere convictos et iam lictori iugulum praebituros, ex Orci quasi faucibus recipiebat, venia eis benigne concessa. Castitas etiam in iuvenili et florida illa aetate, quae (ut Augustinus ait) est quidem flos vitae humanae, sed animae naufragium, adeo nota est, ut nihil turpe vel obsceni ab eo unquam dictum factumve esse omnes affirmant, quibus propius cognita est vitae illius 25 privatae integritas. Literarum atque artium, quibus ingenia ad humanitatem formari solent, in primis vero musicae adeo studiosus et amator, ut cum artificibus de iisdem nonnunquam certare consueverit. Haec demum vera sunt principum oblectamenta et ornamenta, non diadema aureum, non purpura aut gemmis ornata palla, quibus etiam barbari et bruta ornari possunt. Virtus clara aeternaque habetur.

His ergo atque aliis motus rationibus rem non minus operosam, quam periculosam aggressus sum. In hoc tamen mihi probe conscius, nihil me scribere voluisse, quod non fide dignorum hominum oculis experientiaque exploratum cognitumque antea satis superque fuerit, paucis exceptis, de quibus hominum variant opiniones.

Tibi autem inclite Princeps, hunc qualemcumque laborem nostrum dedicare volui, quod veluti iure electionis imperium sereniss(imi) regis Ungariae Ioannis secundi omnium suffragiis et applausu adeptus es: ita non minus virtutum ipsius ornamenta teipsum exprimere atque imitari animadvertimus. Ac quod in gubernatore ecclesiastico d(ivus) Chrysostomus requirit, ut nimirum tantum toto grege praestet eruditione et castis moribus, quantum Saul rex Israelitarum procera corporis statura omnibus sui exercitus populis antecellere maxime est visus, id in T(ua) Cels(itudine) merito suspicimus et deveneramur. Ut enim omnes tuos aulicos decora et venusta corporis proceritate et integro robore vincis: ita multo magis rerum gestarum gloria et omni genere virtutum, utpote pietate, prudentia, humilitate, castitate, clementia subditos longe lateque superas. Quae res inprimis ad tantum fastigium et culmen dignitatis Cels(itudinem) T(uam) promovit, ubi amplissimae sese offerunt occasiones et de repub(lica) et de ecclesia Filii Dei benemerendi, unde vera gloria et nomini tuo immortalitas et animae aeterna salus conciliari possit.

Deinde ut Cels(itudinis) T(uae) patrocinio uterer contra morsus sycophantarum et Zoilorum rabiem, qui in id serio incumbunt, ut in toto aliquo poemate quae

29 aeterna W aeternae

24 Augustinus ait — ubi?

25 Virtus clara — Sall. Con. Cat. I, 1,4

bene dicta sunt, aut non videant, aut invidia dominante contemptu visa praeter-
eant. Si quid vero minus dextre aut considerate dictum offenderint, impuro suo et
scelerato rostro impetant et exagitant. Non absimilis, sicut d(ivus) Basilius de
invidis loquitur, vulturibus, qui sanos ovium greges pascentes negligunt, cadavera
solum rostris et unguibus discerpunt; aut muscis, quae sana et integra corporis
³¹ parte relicta laesam et male affectam arrodunt et contactu foedant. Contra tales,
inquam, scarabaeos et obstreperos corvos, inprimis amplissimae dignitatis viros,
decet tueri innocuas lusciniās, quibus id solum est in votis, ut Dei conditoris sui
beneficia et heroum res praeclare gestas, nullius bene meriti cum insectatione aut
³² obtreptione, immortalī carmine decantent et celebrent. Caeterum huius argu-
menti res domi militiaeque gestas fusius accuratiusque pertractaturus, ubi haec
quasi praeludia Cels(itudine) T(ua) probari videro. Quod quidem Cels(itudinem)
T(uam) facturam non dubito, etsi et historiae dignitatem, quae (teste Cicerone)
est testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, magistra vitae et vetustatis
nuncia, tecum reputaveris, et in magnis rebus amicam voluntatem facultati inter-
dum praeferendam iudicaveris. Deus Opt(imus) Max(imus) diu regno patriaeque
Cels(itudinem) T(uam) incolumem florentemque conservet et tueatur, Amen.

V(estrae) Cels(itudini) deditissimus
Christianus Schesaeus
Mediēnsis

3. Ruinae Pannonicae Liber Primus

Testamentum Ioannis regis, Ferdinandi et reginae
Isabellae dissidium de regno Hungariae, nec non Budae
per Solimannum imperat(orem) Turcarum occupationem,
insuper Valentini Töreck et Stephani Maylat captivitatem,
variasque insidias fratris Georgii thesaurarii
contra reginam et filium regis infantem continens etc.

Pannoniae tristes versu memorabo ruinas,
Utque duces animosaeque gens regnumque superbum
Concidit, ut Cadmi per mutua vulnera proles:
Victa iugo Scythici submittens colla tyranni,

30 contemptu W contemptum / ovium W omnium
32 res W eos / incolumem W incolumen

30 Basilius loquitur — De invidia; Plut. Qua ratione ex inimicis emolumentum capias?
32 teste Cicerone — De or. II, 9,36

arg. E: Argumentum: Testamentum Ioannis regis, Ferdinandi et Isabellae dissidium, Budae
per Solimannum occupatio, Valentini Török et Stephani Maylath captivitas, insidiae Fratris
Georgii Thesaurarii contra reginam eiusque filium
3 ut ... proles — *E verba uncis inclusa*

In vitium quia prona ruit, virtutis avitae
 Immemor, inque alios alii convertere ferrum
 Exitiale parant ex ambitione regendi,
 Diversos dominos distracta mente sequentes,
 Publica privatis postponunt commoda rebus,
 Et misere oppressam graviore tyrannide plebem,
 Haebraeos veluti Pharaon crudelis, acerbant.
 Multi perfidia capti, sed pluribus aurum
 Exitium tulit atque amor immoderatus habendi.
 Riphacae multis nocuerunt foedera gentis,
 Credulitas nimium quos improvisa fefellit.
 Praecipue in sacro vecors dissensio cultu,
 Quando licet, quod cuique lubet proponere dogma
 Humani ex cerebri desumptum impune lacuna:
 Haec mala praecipitis sunt fons et caussa ruinae.

Summe pater, cuius nutu omnia regna reguntur,
 Stantque caduntque amplae totis cum gentibus urbes,
 Nostra sub immenso titubantia coepta labore
 Provehe, difficilisque viae dux praevis esto:
 Nomina ut heroum, qui consilioque manuque
 Res regnique statum iuvare fideliter aegrum;
 Partis et adversae insidias fraudesque dolosque
 Extendam verbis ad seros usque nepotes.

VOS quoque Diis geniti et praestantes Poeones armis,
 Quorum gesta capax celebrat, miratur et orbis,
 Non haec despecti contemnite carmina vatis,
 Si vestras laudes calamo non aequat agresti.
 Pro facto placeat vobis precor aequa voluntas,
 Dent maiora alii. Tuque o rex dive IOANNES,
 Ungarici fulcrum decus immortaleque regni,
 Sanguinolenta tuae dicentem praelia gentis,
 Quasque graves animo curas tulerisque labores,
 Extra intusque tibi dum perfidus obstrepit hostis,
 Audi percipide, placatoque aspice vultu.
 In me multorum invidiam rabiemque potentum
 Insanisque simul convitia concito vulgi:
 Alta quod attrecto civilis vulnera dextrae,
 Asperiusque premo, laudans culpansque licenter,
 Quoslibet ex merito: nam quisquis vera fatetur,
 Acribus invidiae stimulis configitur insons.
 Sors utcunque cadat, fuerint quae vera, fatebor,
 Atque homines fidei testes constantis habebo:
 Nulli me quicquam merita decerpere laudis,
 Alba nec in nigrum ritu mutare Gnathonum.

Infavsto IamVs reX tanDeM Vbi fVnere obIVit,
 Protinus erupit nutrix discordia belli,
 Infera supremis miscens, divina prophanis.
 Visaque sunt subito in peius ruere omnia casu.

Sicut Alexandri post tristia funera Magni
 Scinditur in partes regnum discordibus armis,
 55 Fitque rapina et crudelis laniena tyrannū.
 Huic cupiens morbo rex providus ante mederi,
 Dissidii maneat ne fax et caussa tumultus,
 Haec testamento decreta novissima sanxit:
 Ut duo tutores ex nobilitate potentes
 60 Reginam cum prole velut sacra numina curent,
 Fortunaque vices contra tueantur iniquas.
 Regalis thalami coniunx Isabella manebat
 Rege Sigismundo patre progenerata Polonū,
 (Sfortiadum mater de stemmate iactitat ortum,
 65 Duces, Parthenopes Bona non incognita terris).
 Foemina de sexu mollis, sed corde virili,
 Munia, quae fortes, obiit, decuere maritos.
 Non Tomyri absimilis, quae victrix clara putatur,
 Invictas armis Cyri domuisse catervas.
 70 Vincit Amazonias infracto pectore matres,
 Factaque, quae gessit pharetrata Semiramis, aequat,
 Vel Iaël aut Iudith, quarum viget inclita virtus,
 Altera quod Sisarae transfixit tempora clavo,
 Haec caput Holfernis gladio a cervice revulsit.
 75 Quamvis non rigidos ferro devicerit hostes,
 Consilio parere tamen prudente coegit
 Ipsius imperio monitisque salubribus omnes.
 Insigni et praestans pietate fovere solebat
 Regifico sumtu, nutrix velut unica, egenos.
 80 Primus erat tutor servans Petrovithius aequi,
 Consilio praestans, nulli et pietate secundus.
 Huius constantes animos et ferrea corda
 Non calor aestatis, nec durae frigora brumae
 Unquam a proposito iusto prohibere valebant.
 85 Attigit et Ianum praeclaro sanguine regem.
 Dalmatica frater de gente Georgius alter,
 Ordine qui spreto monachorum venit in aulam;
 Corde tamen monachum retulit vafroque cucullo.
 Gratus ob id regi: quondam fervente tumultu
 90 Rustica plebs vaidam contra induit arma IOANNEM,
 Et procul a regni discedere sede coegit.
 Utque vago deerat reparandi sceptras potestas,
 Exiguas propter vires sumtusque minores,
 Hic Prior existens opulenti in carcere claustris
 95 Emendicati custos praeponitur aeris,

65 Duces E Ducere

69 Invictas W innictas

80 Petrovithius WS Petro Withius

72 Iaël aut Iudith — Iud 4,17—24; Idt 13,1—10

Arte ubi surreptum regi communicat aurum,
 Ut belli nervos, instauret praelia, nactus:
 Et domito victor securus ab hoste triumphet.
 His dum consiliis fortuna arrisit amica,
 Coenobio spreto laetus contendit ad aulam,
 Primum ubi castrensi Cerealia munera vulgo
 Vinaque distribuit, demensum cuique ministrans,
 Sedulus integraque fide dum fungitur isto
 Officio, tolli sensim ad maiora iubetur
 Hortatu regis, quem gratia prisca movebat.
 Hinc secreta animi ceu fido pandit amico,
 De cura regni studiose auditque monentem,
 Haec aut illa regi qua possint lege decenter.
 Denique quicquid opum locuples possederat arca,
 Unius fidei committitur omne tuendum.
 Quotidie ignotas aliis invenerat artes
 Praetextusque novos, regalis ut arca perenni
 Nunquam deficiat, sed semper turgeat auro.
 Hunc saltem monachum regi invidisse IOANNI
 Fernandum memorant, et talia saepe locutum:
 Hic monachus rebus plus consuluisse IOANNIS,
 Quam numerosa potest equitum peditumque caterva
 Insignis galea incrustataque pectora ferro.
 Interea superas dum rex concessit ad oras
 Urbe perexigua Dacūm in regione, Sabeso,
 Regia tunc Budae cum nato substitit uxor;
 Quaeque novae sobolis peperisset gaudia partus,
 Mox dolor extinxit cari de morte mariti,
 Ut commune bonum quando deplorat ademptum.
 Sunt mala perpetuo rebus permixta secundis;
 Insidiosa rosis ceu spicula semper adhaerent.
 Hic ubi Fernandi rumor pervenit ad aures,
 Frenantis Latias iusto moderamine gentes,
 Legitimus regni velut haeres poscit habenas.
 Idque docet procerum communi foedere pactum,
 Si fato obtingat Ludovicum occumbere regem,
 Ex Mariae partu non ullo haerede relicto,
 Successor regni Fernandi ex stirpe creetur.
 Nititur at proprium contra defendere regnum
 Exuperans animos virtute Sibylla viriles.
 Hunnorum affirmat Ludovico rege perempto,
 Pro patria Geticis quando succumberet armis,
 Oppida cum populis et regnum Marte subactum
 Turcorum, Amyrham regi tribuisse IOANNI,
 Pendat ut impositum praescripta ex lege tributum,
 Eius et ad nutus regni moderetur habenas.

Talia nequicquam iactantes foedera pacis
 Interrupta iacent: sic fato urgente supremo,
 Aut hominum vitiis cladem fabricantibus urbi.
 145 Tantus erat luxus, petulantia, fastus et ingens,
 Si quis patrasset Gyaris et carcere dignum
 Crimen, Budensis scelus admisisse latronis
 Turpe ferebatur vulgi famaеque susurro;
 Hic stupra, hic caedes, hic furta impune vigeant.
 150 Gentibus ex variis etenim confluxerat illuc
 Foeda hominum illuvies, linguis diversa modoque
 Vivendi, fuerit Buda ut sentina malorum.
 Quin et securi voces iactasse feruntur:
 Tam validam muro, populis opibusque potentem
 155 Urbem sub coelo quae gens petere audeat armis?
 Tanta vel est nobis pretiosi copia vini,
 Si Teucrum veniant hostilia castra, fugari
 Effuso possint de moenibus urbis Iaccho,
 Pocula namque horrent ore attrectare Lyaei.
 160 Praecedit tristes ventosa superbia casus,
 Ut risus lachrimas et gaudia vana dolores.
 Ergo adit immensus Budensem exercitus urbem,
 Bohemo constans, Moravis et fortibus Hunnis,
 Huc prope tota suas misit Germania vires.
 165 Acriter oppugnant validis conatibus urbem,
 Moenia tundentes obscura nube globorum,
 Machina quos crebro vomit aenea grandinis instar,
 Tecta domus quoties repetitis ictibus urget.
 At regina gravis dudum pertaesa laboris,
 170 Semirutis cernens vix cingi moenibus urbem,
 Utque animo fractus longa obsidione satelles
 Non tolerare famem, nec Marte resistere possit,
 Quo Solymannus opem ferat obsidione gravatis,
 Orat. Mox Mehemet collecto milite bassa
 175 Obsessae centum cum millibus imminet urbi.
 Cumque ipsum numero maiore venire tyrannum
 Fervidus in castris rumor vulgaret Alanis,
 Dat trepidus tergum Germanus, ad alta Gerhardi
 Culmina praerupti referens vestigia montis.
 180 Proruit urbe cohors Turcis socia agmina iungens,
 Ac profugum invadunt coniunctis viribus hostem.
 Pars gladio periit, pars gurgite mersa profundo
 Dum superare studet vicini littora Pesthi,
 Sed potior numerus, flexis post terga lacertis,
 185 Vincula crudelis subit imperiosa tyranni,

146 Gyaris et carcere dignum — Iuv. Sat. I, 73
 150 confluxerat illuc — Tac. Ann. 15,44

Quem tandem adveniens fera per ludibria Caesar
Ante oculos gladio iussit mactare cruento.

Hac rabie Caesar iubet exatiatus, ab urbe
Ut procures ducant picta ad tentoria regem.
Exoritur tota planctus miserabilis aula,
Edicto inviti parent, pulchrumque puellum
Cum miro ducunt ad Turcica castra paratu.

Hunc ubi conspexit caesar Solymannus, in ulnas
Acceptum blandis mox porrigit oscula labris,

Atque ait: (infantis generosa ex indole laetus)

O formose puer, nostri memor esto favoris,

Cum matura tibi regnum porrexerit aetas,

Te mea in oblato defendet dextera regno;

Tantum fide mihi, mandataque perfice iussa;

Admovet et natos: Bayzeth Selimumque tenellos,

Haec rata porrectis ut servant foedera dextris.

Fama canit puerum tendentem brachia barbae

Arripuisse comas, et demulsisse tyrannum.

Post ait ad procures: Gens o fortissima bello,

Unquam cui similis toto vix extitit orbe,

Quae toties nostris victrix occurrerit armis,

Laudo fidem vestram et constantia pectora, belli

Nulla cruentati quod vos fastidia tanto

Tempore compulerint hosti servire superbo.

Exaequata solo disiectaque moenia cerno,

Quae penitus nullo reparare labore potestis,

Cum gravis instet hiems, propius vosque urgeat hostis,

Nec sine magnifico sumptu multisque periclis

Per longinqua potest exercitus arva reduci,

Qui ferat auxilium pressis violenter ab armis:

Tutius est igitur, propriis si viribus urbem

Muniero, milesque meus trux arceat hostes.

Dixerat. Extemplo grex barbarus occupat urbem,

Fit fuga, fit clamor, vagus atria miles adeptus

Obvia cuncta rapit, captaque licenter in urbe

Bacchatur, rabies ut quemque immanis agebat.

Hic et Corvini totum cantata per orbem

Bibliotheca perit, non sacra volumina Patrum

Effugere rogum, serpens neque flamma pepercit

Caussidicis Baldi tricis, nil scripta Galeni

Huicce malo auxilii medicamine plena tulere.

Eheu quam multo parti sudore labores

Impensisque una perierunt turpiter hora.

Postera lux roseos ubi sparserat orta capillos,

195 infantis ... laetus ES *unci desunt*

200 Admovet E Admonet S Edmovet *corr.* Admonet

203 Arripuisse W Arripivisse

212 propius E proprius

230 Depositis armis et rebus in urbe relictis,
 Cogit in exilium veteres migrare colonos.
 Anxia de nati propriaque salute Sibylla
 Ora rigat lachrimis, et acerbam numinis iram
 Aetherei castis conatur flectere votis,
 235 Ne viduam extremo in discrimine deserat orbam:
 Sic antiqua ruit multos dominata per annos
 Ungariae regum sedes civilibus armis.
 Postquam reginae generosus redditur infans,
 Mox conducticiis per castra hostilia bobus
 240 Regia vecta nurus praeclaram insignibus urbem
 Atque tholis regum (sic Dii voluere) reliquit.
 Inde Valentinum Turcum cognomine duris
 Compeditibus vinctum tenebroso carcere claudi
 Iusserat, infelix patriis ut finibus exul
 245 Aerata Galatae moriens in turre putrescat.
 Ille prius, Caesar quam castra locasset ad urbem,
 Ad Mehemet bassae tentoria picta vocatus
 Accessit, sumpta fidei inviolabilis arrha.
 Eximias animi dotes in corpore pulchro
 250 Herois Turci mirantur ad usque stuporem.
 Protinus hinc Mehemet pulchro iubet ordine duci
 Instratos ostro alipedes pictisque tapetis,
 Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
 Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.
 255 Quin et Sidonias chlamydes et cingula bullis
 Aspera gemmatasque togas viridesque smaragdus
 Loricas galeasque renidentes iacynthis;
 Nomine caesareo verbisque hortatur amicis,
 Teucrum armis iungat socia arma, et strenuus hostem
 260 Adiuvet amborum patrio depellere regno.
 Ille Scythae donis et tanto laetus honore
 Expleri nequit, atque oculos per singula volvit
 Miraturque, interque manus et brachia versat
 Terribilem cristis galeam flammisque vomentem
 265 Hastamque et clipei non enarrabile textum.
 Illecebris captus fortissimus annuit heros.
 Heu periura fides et corrumpentia sensus
 Dona ligant homines, nodosa ut retia pisces.
 Nec revocare Petrus clara de stirpe Perenus
 270 Consilio potuit, nimium dum fideret hosti,
 Fortunaque vices non exhorreret iniquas.

235 orbam W orbem

240 nurus W murus

246 quam WS qua

231 veteres migrare — Verg. Ecl. IX, 4

253–254 Aurea pectoribus — Verg. Aen. VII, 278–279

Hunnorum in castris nemo Teucrumque manebat,
 Militis atque ducis pariter qui munia obiret
 Dexterius, sciretque pati stabilireque leges
 Militiae exemplo. Densas is saepe phalanges
 Perrupit, turpique fugae dare terga coegit.
 Praestanti heroi nocuit temeraria virtus.
 Mixtus enim Turcis Christi documenta sequentum
 Cognato immitem foedavit sanguine dextram,
 Ac cruor haerebat cubito concretus utroque,
 Ceu durata gelu dependet stiria tecto.
 Tunc Solymannus ait, tacito aut ea corde volutat:
 Si sine respectu tanta feritate trucidas
 Cognatas acies, quibus una professio tecum
 Patriaque et Christi tractum de nomine nomen:
 In mea, si liceat, quae non mala castra moveres,
 Te quibus infestum natura coarguit hostem?
 Bassarum nocuit gravis accusatio et illi,
 Ipsius hortatu quasi terga dedisset Alanus,
 Insidias furtim iussus vitare latentes.
 Amplius adiiciunt: hunc si, Solymanne, relinquis,
 Milite collecto a tergo tua castra sequetur,
 Affligitque tuos teque ipsum strage pudenda,
 Usque cavis Dravum vincamus lintribus amnem:
 Robur enim superest quodcunque ferocibus Hunnis,
 Unius arbitrio regitur nutuque potenti.
 Rustanum crebro tentabat munere bassam
 Flectere regina, emolliret ut ille tyranni
 Successu inflatos animos ira que tumentes,
 Quo patriae reddat vinclis heroa solutum.
 Sed frustra, in ventum tentati abiire labores.
 „Quae lupus in vacuam semel ossa recondidit alvum,
 Illa per angusti fauces nunquam egerit oris.”
 Hinc matrem cum prole iubet statione relicta
 Dacorum fines et ditia visere rura.
 Erdelio a silvis quibus Hunnus nomina fecit,
 Montibus et densis quia cingitur undique silvis,
 Ex ipsa meruit re Transilvania dici.
 Dives opum regio, pecorisque feraxque Lyaei.
 Saepe hic ex terrae fossor penetralibus asper
 Psegmata fulgenti turgentia protulit auro;
 Instar virgulti fruticant ramenta metalli.
 Sal nive candidior foditur ferrumque cuprumque.

302–303 *signa citationis E om.*

306 Erdelio E Erdeliae

302–303 Quae lupus — verba a Wolfgango de Harinna a. 1540 mense Decembris dicta, v. Monumenta com. Tr. I. p. 59

315 Hanc vocat idcirco χρυσόμηλον barbarus hostis,
 Verius Alcinoi (me iudice) dixeris hortum:
 Squamigeri pisces armentaque pingua formae
 Omnigenae apparent, et quos venator in altis
 Rimatur silvae latebris, volucresque feraeque.
 320 Congrua temperies coeli famulatur agellis,
 Frigore non nimio, nimio nec aduritur aestu.
 Et Deus angusto conclusit limite triplex
 Hic hominum genus, ut lingua, sic moribus impar:
 Sunt Hunni, quos castra sequi iuvat inclita regis,
 325 Sulcat agros Saxo, fodit et vineta ligone,
 Et de frumento Siculus legit aera subactus.
 Sordidus in campis pascit iumenta Valachus,
 Barbara progenies, crudelis et aspera cultu,
 Legibus a reliquis et consuetudine vitae
 330 Dissidet: hirsuti circumdata pellibus hirci
 Non fera flabra Noti timet hibernasque pruinas,
 Lacte et caseolis vivit, cinere inque calenti
 Ex milii coctis nutritur farre placentis,
 Et crudo gaudet distendere viscera lardo.
 335 Hic etiam Zigani (plebs est adsueta rapinis,
 Stramineisque habitare casis) incude metallum
 In varias aptant, ut proles Lemnia, formas.
 Saxonas huc Magnus memoratur Carolus armis
 Perdomitos misisse, cavens, ne iussa rebelles
 340 Imperiique iugum detrectent, saepius ante
 Ceu soliti fuerant, toties victi atque fugati
 Cum nova tentarent repetito praelia ferro.
 Horum ergo metuens animoso in pectore vires
 Longius a patria victos submovit ad Istrum.
 345 Hungarici Scytulos, fert rumor, sanguinis esse
 Reliquias, quod lingua probat nomenque Scytharum
 Nomine deductum; Sicula vel gente profectos
 Has coluisse plagas, crebra et commercia propter
 Linguae usum facilem moresque hausisse Gothunnū.
 350 Hi neque nobilibus, nec regi debita census
 Munera pendebant, hac solum lege ligati,
 Si quoties patriae immineant adversa, viritim
 Nullo invitati pretio mox arma capessant.
 Nunc quia vesanos plebs seditiosa tumultus
 355 Adversus regem inconcessaque moverat arma,
 Perpetua luget sub servitute laborans.

314 χρυσόμηλον E χρυσόμαλλον

317 quos ES quas

327 Barbara W Parbara

348 hausisse E habuisse / Gothunnum E Gothonium

315 Alcinoi hortum — cf. Hom. Od. VII, 112

Sunt multae validis praecinctae moenibus urbes,
 Aequantes altae splendore palatia Romae.
 Has inter caput est Hermanno a principe nomen
 Nacta, vel a fluvio praeterlabente Cibino.
 360 Mezetis Turci vires contempsit et arma
 Obsidione olim graviter vexata, fugamque
 Auxilio Hunniadis moliri compulit hostes.
 Et septem hic vaidae moto periere tumultu,
 Cum Iaxith Michnem crudeli caede peremit
 365 Ob decus ereptum germanae illustre pudoris.
 Estque paludosis late circumdata stagnis
 Aggeribusque novis murorumque ardua mole
 Structura Austriacae ut par sit posituque Viennae.
 Hac iter unius quae distat ab urbe diei,
 370 Visitur urbs Medies media in regione Dacorum,
 Grittiaco bello raphanisque et munere Bacchi
 Urbes ante alias nacta indelebile nomen.
 Est sita praerupti Schesburga in culmine montis,
 Perpetuum sortita decus famamque perennem,
 375 Quod Stephani Bathoris violenta represserit arma.
 Hinc ortum versus celsa sub rupe Corona
 Eminent, ob cultum Musarum sidera tangens:
 Haec a Prasobo Braschovia monte vocatur.
 Inter opes reliquas hic bibliotheca videtur
 380 Munifici impensis studioque extructa senatus,
 Innumeris fulgere libris, quos barbarus igne
 E medio rapuit miles (dum nobilis arsit
 Matthiae illa domus, Musis celeberrima, regis
 Pannoniorum in sede ducum), variasque per orbis
 385 Distraxit partes, quorum pars magna propinquis
 Finibus ex Scythiae huc multo convecta labore est.
 Trax Byzantina veniens mercator ab urbe,
 Armeniusque vafer vicinaque regna Valachus
 Servans, quotidie huc onerati mercibus intrant,
 Gazeaque emporium celebratum divite complent.
 Pannoniae fines claudit populosa Colossus,
 Zeugma prius, verso iam nomine Claudia dicta.
 Hic habitant Hunni et fortes Saxones in armis,
 Lex quibus est eadem, linguae et promiscuus usus:
 390 Praecipue rerum semper studiosa novarum.
 Qua parte attingit duos Moldavia Dacos,

358 *arg.* W Cibinium

364 Michnem E Michnam

370 *arg.* W Medies

373 *arg.* W Schesburga

376 *arg.* W Corona

382-284 dum ... ducum E *unci desunt*

391 *arg.* W Coloswar

Urbs est Bistricium vicino a littore dicta,
 Piscibus, a fundo sortitis nomen, abundans.
 Virtuti Hunniadis quondam donata Ioannis,
 400 Quod Turcas Graecam fudisset victor ad Albam.
 Est quoque, vix cuius vestigia rara supersunt,
 Hatzogiis duris nimium urbs vicina, Sabesus,
 Saepe per immanes misere direpta latrones,
 Cum Trax abduxit totum cum plebe senatum.
 405 Totius est oculus regni venerabilis Alba,
 Iula cui nomen tribuit vel fortis Iulo
 Gens sata, Decebalum legio Romana rebellem
 Quum duce Traiano duris subiecerat armis.
 Non alibi spirat coeli clementior aura,
 410 Ut merito Baiis conferri possit amoenis;
 Praesulibus statio sedesque optata vetustis,
 Rasa papistarum cum examina thure sacabant.
 Hinc velut ex Phoebi mysteria episcopus antro
 Humani cerebri populis inventa canebat:
 415 Nunc postquam a Turcis habitatur Buda cruentis,
 Huc absque imperio translata est curia regum
 Ungariae, fama toto notissima mundo
 Ob tumulum Hunniadis, sacra quod in aede trophaeis
 Eminent excultum pretiosi in fornice saxi.
 420 Appulit huc tandem fato regina sinistro
 Acta diu, et regni cum prole invasit habenas.
 Has prius accessit quam regia mater ad oras,
 Iazygia exortum dicam in regione tumultum.
 Vir generosus, amans patriae, pietatis amicus
 425 Ac Othomanorum genti implacabilis hostis
 Maylatus fuerat, qui regni vaivoda vulgus
 Sponte sua parens Transylvanense regebat.
 Hunc, ne reginae venientis coepta Sibyllae
 Turbaret, genti magis inclinatus Alanae,
 430 E regno voluit sublatum Caesaris ira.
 Mittitur immensus radians exercitus armis
 A Constantini populosa caesaris urbe.
 Dux Balybecus erat, cui iunctis Petrus adhaesit
 Viribus, immitis Moldavae vaivoda gentis.
 435 Arx iacet ad ripas piscosae dives Alutae,
 Cui Fogaras prisci nomen tribuere coloni,
 Undique cum fossis valido circumdata muro;
 Terrae adeo devexa tenens, ut summa domorum
 Culmina vix propius possint a stante videri.

397 *margin.* W Bistricium

402 *margin.* W Sabesus; Hatzogiis E Hatzegiis

405 *margin.* W Alba Iulia

420 huc E hic

440 Hanc habitant circum fodientes rura Triballi
 Innumeri, quibus arx leges et iura ministrat,
 Mancipiique gravi subiectos foedere torquet.
 Quo cum barbaries rudis et truculenta Cyclosum
 445 Agmina Mavortis movissent signa cruenti,
 Oppida diripiunt, rapidis vicinia tota
 Collucet flammis, vastatur et undique ferro.
 Nunciat heroi, sese ut committere tentet
 Caesareae fidei, paulum semotus ab arce,
 450 Quo coram possit verbis commissa referre
 Adventusque sui veras ostendere causas:
 Nimirum Caesar quod cum moderamine regni
 Ante alios ipsi summos deferret honores.
 Arte dolum eludens periuræ fidere genti
 Abnuit, exemplis et longo temporis usu
 455 Doctus, ut in tenues abeant evanida ventos
 Threiciū promissa ducum, qui pectore falso
 Longe aliud versant, blanda quam voce loquuntur.
 Ergo via tentant alia componere fraudem.
 Tresque legunt humili natos de stirpe barones,
 460 Vulgo boiæres, corrupta voce Triballū,
 Dicuntur, Teucrum in morem qui vestibis aureis
 Ornati, reliquos superabant agmine toto,
 Fraudis ut ignarus zanchyacos esse putaret,
 Aut bassas alto prognatos sanguine Teucrum:
 465 His demum obsidibus potitur gens perfida voto.
 Nec mora: Maylatus turma comitatus equestri,
 Grittiaco ex bello sumptis locupletibus ibat
 Conspicuus spoliis, fulgebantque aere cohortes.
 Ventum est Moldavi picta ad tentoria vaidæ,
 Cum subito auditur fremitus clamorque virorum
 Pugnantum in speciem, crebrae volitantque querelæ,
 Inque vicem vultu convitia iacta minaci.
 Fit fuga, fit coedes, Maylati miles amictu
 470 Armisque exutus sterili tantisper in ulva
 Delituit, procul avectus dum cederet hostis.
 Dux vero, iniectis collo pedibusque catenis,
 ContInVo VitaM LVgens In CarCere CLaVsIt,
 Vt patrlæ pater atqVe pIVs serVator habetVr.
 475 Saepe virum votis precibusque rogaverat Anna,
 Anna soror Thomæ sincere adamata Nadasdi,
 Virtutum innumeris excellens foemina donis,
 Ne manifesta adeat dulcis discrimina vitæ.
 Insueta sonipes etiam feritate repugnans
 Sessori placidum renuit submittere tergum.

485 Quin et praefectus dictae Gordaeius arcis
 Ad portam stetit armatus dominumque volentem
 Exire a coepto vi multa interritus arcet.
 Nec prius absistit, stricto quam vulnera ferro
 490 Iam iam accepturus lethales fugerat ictus.
 490 O miseras hominum mentes! o pectora coeca!
 Occulti nequeunt decreta adamantina fati
 Evitare, licet velis remisque laborent.
 Vix tamen ille dolo victus fucoque fuisset,
 Barbaricis patriam nisi conspexisset ab armis
 495 Vastari, regnoque gravem impendere ruinam
 Se propter, studio quem tanto atque arte petebant.
 Praeda hac absque Lares nollent ut adire relictos.
 Ceui proprio lychnus consumitur igne coruscans,
 Atque suum confert alienos lumen in usus:
 500 Haud secus aerumnis motus communibus heros
 Morte sua patriae studuit prodesse saluti,
 Ut cum Cecropios rex Codrus funere servat.
 Nam dum Mopsopii Doresque hostilibus armis
 Praelia miscerent, de eventu oracula belli
 505 Divorum exposcunt, quibus haec responsa feruntur:
 Victum Cecropidas iri, si clade superstes
 Dux maneat Codrus, neque tristibus occidat armis.
 Lege cavent Dores, ut salvo rege relicto
 Invadant hostes. Plebeio Codrus amictu
 510 Indutus vadit contempti militis instar,
 Sectaque lignator sarmenta per agmina ducit.
 Cumque habitum ob vilem lacerumque haud cognitus ulli
 Castra pererrasset, celeri cadit ense peremptus.
 Sic cessere armis Dores et terga dedere.
 515 Tantum amor in patriam pietasque meretur honorem.
 Par fuit hac etiam rara virtute Lycurgo,
 Cum Lacedaemoniis leges et iura tulisset,
 Queis armata diu vigeat respublica contra
 Fortunae instabiles, ut murus aheneus, orbes.
 520 Ne semel ingenti leges sudore receptas
 Temporis aut vulgi rudis inconstantia mutet,
 Quae tripode ex sacro Grynaeus reddat Apollo,
 Inquisitum certo responsa fatetur.
 Interea astute iurare in verba coëgit
 525 Vulgus, ne quidquam latis de legibus usque
 Ad reditum variet, minuens addensve subinde.
 Exul abit patrias nunquam rediturus ad oras:
 Neve reducantur cineres post fata sepulti,
 Fluctibus Oceani mersos periisse volebat,
 530 Civibus ut nunquam fas sit rescindere votum.
 Sed quid avita cano, peregrina exempla recensens
 Virtutum, Ungaricis cum facta simillima in oris

Fama per immensum decantet nobilis orbem.
 Cum rabies Teucrum Nandrensem invaderet Albam,
 33 Iamque aequata solo iacuissent moenia sphaeris,
 Impete cum valido mediam ruit agmen in arcem
 Flammiis et late devastans omnia ferro.
 Confugit aereae summa ad fastigia turris
 34 Turcus, ubi haerebant vexilla insignia belli
 Hunnorum, cupiens de celsa ea trudere pinna,
 Praecipitem inque locum Getica erexisse trophaea,
 Quo captam ex signo miser incola disceret urbem:
 Hunnus adest iuvenis, Turci qui caepta retardat,
 35 Cumque repugnanti violenta obsistere lucta
 Haud aliter posset, sublimi e culmine turris
 Praecipiti saltu sese per inane volutat,
 Atque hostem manibus circum praecordia ductis
 Secum in perniciem et crudelia fata trahebat.
 36 His licet exemplis Maylati aequare vetustis
 Praeclarum et toti mirandum posteritati
 Factum, quod vita, dilecta et coniuge spreta,
 Pignoribusque piis et regni divite sceptro,
 Communi studuit bene consuluisse saluti.
 Nunc ubi prisca fides? ubi nunc est Hunnica virtus?
 37 His actis petit, ut supra memoravimus, Albam
 Regia progenies, rerumque invasit habenas.
 Dividit et certas geminis tutoribus oras:
 Occupat a Temeso dictam Petrovius arcem,
 38 Iazygiosque acres tranquilla pace gubernat.
 At Varadinensis cum frater episcopus esset,
 Nunc hic, nunc illic residens vestigia figit;
 Inprimis ipsi tamen aulica vita placebat.
 Ergo ex nobilium stipatus milite coetu
 39 Reginam, quocunque migrat, comitatur euntem,
 Inflictosque legit census: nam credita regis
 Huic erat arca tumens auro argentique talentis.
 Quin et consilio prudente negocia regni
 Multa gubernabat, donisque minisque paratus
 40 Vulgus in obsequio retinere ducesque potentes,
 Uni tota brevi ut spatio succumberet aula.
 At memor officii Petrus fideique professae
 Cum Monacho Turcum verbis et munere placant,
 Ut male pacato valeant succurrere regno.
 41 Quove dato melius videatur munere functus
 Petrus, consilium prudens in pectore versat,
 Idque cuculligero scriptis patefecit amico:
 Thesauri quibus est custodia tradita regis,

336 invasit E invadit
 366 auro E auri

Ecce sumus pauci, nos et natura creavit
 Mortales, variisque urget sors aspera fati.
 580 Nulla domi coniunx, soboles nec amica duobus
 Praesidet, in quarum tutelam dedere gazas
 Regales liceat gravioribus absque periclis.
 Quod si insperato fortasse occumbere letho
 Contigerit, vereor, ne incustodita rapinae
 585 Prompta sit arca, fovens regale nomisma, latronum.
 Aeratae hanc fuerit committere tutius urbi,
 Illius ut curam triplici de gente vocati
 Tres habeant numero illustres probitate fideque,
 Quandocunque rei praesens exegerit usus,
 590 Defectu absque ullo ut reddant aeraria regi.
 Id tulit indigne Quaestor, sprexitque monentis
 Consilium, ac formas deinceps se versat in omnes,
 Regalis custos maneat possessor ut auri.
 Quam prius officium deponat, linquere vitam
 595 Ardet inexhaustumque armis Mammona tueri.
 Nutriit exiguo regalia numina sumptu,
 Ceu quibus esca datur sudore parata diurno.
 Saepe gynaeceum reginae arrodit avarus
 Euclio, lascivum quod luxu diffuat agmen,
 600 Et totius opes corrupta licentia regni
 Sorbeat, immodico victu ornatuque superbo
 Ocia pigra sequens incompositasque choreas.
 At facinus postquam vulgatum venit ad aures
 Petrovii, scriptis reginam orabat amicis,
 605 Lippam (quae procul haud Temesina distat ab arce)
 Commigret, securo et pectore pace fruatur.
 Omnia, quae duris urgens in rebus egestas
 Regius aut splendor poscat, locupletius ultro
 Mente hilari affirmat sese praebere paratum.
 610 Petrovii studio generosa Sibylla benigno
 Mota, gradu celeri Devam tendebat ad arcem.
 Cum Bona Sarmaticis regina audisset in oris,
 Quis gnatam premeret casus carumque nepotem,
 Ingemuit, fletuque genas madefecit oborto.
 615 Missis legatis celeres haec iussa per auras
 Ungaricis ducibus populoque referre iubebat:
 Scilicet ut natam melius cum pignore curent,
 Aut ad Sauromatum regalia tecta remittant.
 Res ea, luctificos regno motura tumultus,
 620 Urgebat Monachum, supplex ut factus, avitis
 Sedibus avectam reginam induceret ultro.
 Verius umbra fuit, quam pax vera atque salubris,
 Quicquid discordes praetextu pacis agebant.

593 custos WS iustos

625 Aestus avariciae totos per corporis artus
 Diffusus Monachi praecordia saeva coquebat,
 Impuleratque nefas sceleratum audere, per orbem
 Quo prior aut praesens gravius vix audiit aetas.
 Huc studium confert, noctesque diesque laborans
 130 Anxie, ut auxilio matrem cum prole carentem
 Eiiciat regno vel vi, vel fraude paterno.
 Namque erat agna lupo mitis commissa rapaci.
 Concilium ergo vocat procerum, Nyrensia rura
 Sunt ubi, quae et Bathorae tribuunt cognomina genti.
 135 Relligiosorum hic sacrato in carcere fratrum
 Bathoris apparet Stephani memorabile bustum,
 Agmina caesorum monstrans ingentia Teucrum
 Huius Marte viri in campis a pane vocatis.
 Huc Nicolaus erat Germanis missus ab oris
 140 Salmensis comes, insignis virtutibus heros,
 Caesaris atque loco regis qui foedus iniret
 Aeternum pacis, quasque olim iniuria lites
 Acris utrinque tulit, suasu prudente sopiret.
 Consilio facto, iuvat omnes triste Scytharum
 145 Excussisse iugum, Fernandi et mitia regis
 Vincula concordii legum deposcere voto.
 Promittunt regi Scepusia rura daturos,
 Quod natale solum regio haec sit avique patrisque;
 Atque simul spondent, Dacorum vaivoda, postquam
 150 Maturae aetatis iustos impleverat annos,
 Permaneat flamen Varadinus episcopus atque
 Strigonii antistes, regnique gubernet habenas.
 Haec decreta fides commissaque dextera dextrae
 Firmabat procerum nullum violanda per aevum.
 At regina novi non inscia foederis aegro
 155 Pectore cum lachrimis suspiria plurima fundit,
 Privari ac regno natum dolet inclita coniunx;
 Neve inopina, timet, regni mutatio fatum
 Extremum inducat, sitque exitiale statutum.
 Ergo iubet cunctos nocituro absistere coepto.
 Arte tegens Abbas fraudem undique congerit aurum,
 Quo placat tumidam Riphaei caesaris aulam.
 Insidiae vero et fraus cum detecta fuissent
 160 A Petro, sparsusque hic late rumor in aula
 Bistonia procerum penetrasset vocibus aures,
 Protinus ingentem Caesar commotus ad iram
 Ferre iubet celeres legatum iussa per auras
 Ungariae populis tacita contenta papyro.
 Consedere duces postquam de gente trilingui,
 165 Sobria quos scripto regina coëgerat Albam,
 Barbarus irato sic ore silentia rupit:
 Rumor ad invicti pervenit Caesaris aures,

Quaestor ut invito transscribat Caesare regnum
 Germanis, regemque ipsum cum matre laboret
 Exutos regno ignotum misisse sub axem.
 675 Quid vero armipotens de rebus Caesar iisdem
 Mente agitet, scripta haec vosmet metuenda docebunt,
 Dixerat. Acceptas oculis animoque lituras
 Volvunt attoniti, quibus haec praecepta dabantur:
 Caesarei memores essent sine fine favoris,
 680 Ut steterit longo felix hoc tempore regnum,
 Ipsius arbitrio dum regulus imperat Hunnis,
 Quam modico fuerint et census aere notati,
 Etsi debuerit provincia pendere regni
 Plura, opibus praestans rivisque undantibus auro:
 685 Idque ideo factum, dominum regemque potentem
 Ut norint, tribuant cui debita munera, census.
 Utque fidem dederit Solomone urgente Sacerdos
 Se fore tutorem nati matrisque fidelem,
 Donec sufficiant regni ad moderamina vires.
 690 At cum proposito verso promissa retractet
 Foedifragus, reproboque dolos in pectore verset,
 Qua queat arte hosti fasces committere regni:
 Mandat ut assumtis gens undique confluat armis,
 Coniunctisque petat proscriptum viribus hostem,
 695 Donec vel vivum, vel acerba morte peremptum
 Longius a patriis ceu pestem amoverit oris;
 Ac nisi paruerint, ignem minitatur et ense,
 Grandinis aut morbi ritu obvia cuncta domantem.
 Ista Sabesina mitratus in urbe Georgius
 700 Praecipiens, graviore metu perculsus ad urbem
 Mediensem agminibus multis volat alite passu.
 Cumque aliis tractat, funesto in turbine rerum
 Quid sit opus facto. Ferventem Caesaris iram
 Magnifico cuncti placandam munere censent,
 705 Crimen et obiectum constanti voce negandum.
 Cumque Petrum sciret robustam cogere gentem,
 Rascia quam genuit pugnax, ut protinus arma
 Infidos contra pro rege et matre capessant,
 Saxonas et Siculos cum nobilitate precatur,
 710 Quorum animos faciles flecti corruperat auro:
 Armis instructi properent radiantibus Albam
 Ad debellandam diva cum prole Sibyllam.
 Nec mora, conspirant omnes, atque agmine facto
 Ex tota armatae veniunt regione cohortes,
 715 Turbamque innocuam dura obsidione coarctant.

712 debellandam W debellandum

Legati obsessam subito mittuntur ad urbem,
 Reginam triplicis qui exorent nomine gentis,
 Extra regalem sobolem demittat ad urbem,
 In cuius promissa ferunt iurare paratos,
 Hac ratione fidem si pacta recentia primam
 Confirmet, iunctaeque novo sint foedere mentes.
 Ast Isabella timens, ne avulso rege repulsam
 E regno procul acta suo patiatur inique,
 Facturam omnino speciosa rogata negabat.
 Composita ad pacem redeant ut lite, rogabant
 Regnicolae, siquidem magno accelerare paratu
 Agmina Turcarum non irrita fama canebat.
 Utraque pars mota his terroribus abstinet armis.
 Reginam Monachus procumbens voce precatur:
 Desinat irasci, noxamque ex corde remittat,
 Aspera non temere moturum bella deinceps,
 Cuncta sed acturum, quae grata putaverit ipsi.
 Dat veniam sonti, conceptaque desiit ira.
 Tum sic illachrimans regina pudica profatur:
 Si te nulla movent regis benefacta Ioannis,
 Stirpe locoque satum qui te inferiore beavit
 Immensis opibus, summis et honoribus auxit:
 Regia te soboles moveat tibi credita, summum
 Quando diem in terris rex clausit ad astra relatus,
 Iraque iusta Dei, qui crimina atrocia saepe
 Hac etiam in vita poena compensat atroci.
 Interea Siculū Moldavus rura pererrans
 Flamma vastat agros, abigens hominesque ferasque;
 Parte alia occurrunt, reginae nomine, Turci,
 Quando ferveret discordia saeva, vocati.
 Illi caesarea praeceptum voce ferebant,
 Ne prius exirent regno, quam Marte rebelles
 Subiicerent regi, motos premerentque tumultus.
 Regnicolae memores acceptae ad moenia Budae
 Cladis, subsidium peregrinae admittere gentis,
 Quae sibi, non aliis, venatur regna, recusant.
 Moxque iubent gladium patrio de more cruentum
 Per pagos, urbes circumque per oppida ferri,
 Quo signo moniti coeant in praelia cives.
 Extemplo Monachus conscripto milite Turcas
 Augustis regni venientes faucibus arcet.
 Forte sub id tempus Iannes cognomine Turcus
 Audierat rigidos in carcere Bistonas inter
 Crudeli fato carum occubuisse parentem;

¹¹ triplicis W triplici

¹⁵⁶ Augustis WS Augustis

760 Tempus adesse ratus, quo ulcisci fata parentis
 In Mahometanis funesta clade liceret.
 Iusta nec his deerat felixque occasio coeptis,
 Sidereo siquidem armorum splendore micantes
 765 Ex Turcis equites Devam venere ducenti,
 Ut speculatores reliquis comperta reportent:
 Cedere num melius foret aut intendere cursus.
 Nox erat, et coelo fulgebat luna sereno,
 Cum Turci nimio potuque ciboque gravati
 Carpebant placidum vacui formidine somnum,
 770 Militibus decies octo centumque vocatis
 Hunnyad ab arce ruit, victosque sopore Ioannes
 Aggreditur Turcas; pereunt mucronibus omnes,
 Exceptis paucis, quos nox caligine sepsit.
 Ipsemet illustrem gladio iugulaverat agham
 775 Ianus, et exuviis indutus, divite praeda,
 Ad sua militibus salvis redit atria victor.
 Hac Turci audita prope Lippam clade morantes
 Ulterius non ferre pedem terrore repressi
 Audent, Iazygia ast Budam petiere relictā,
 780 Omnis et in proprias plebs salva revertitur oras,
 Quae Monachi ductu Mavortia sumpserat arma.
 Humanum multa pinguedine corpus onustum,
 Frigoris aut aestus quamvis incommoda nulla
 Accedant aliunde, illudque molestius urant,
 785 Attamen a propriis vitiatum humoribus intus
 Languet, et interdum morbis vexatur acerbis:
 Sic quoque nulla diu est expers respublica motus.
 Si peregrinus abest hostis, fera praelia cives
 Miscent, conversis fraterna in viscera dextris.
 790 Vix dum sopierat saevum concordia bellum,
 Sisyphium torquet saxum, rursumque laborat
 Quaestor Germanis sceptrum committere regni.
 Concilium Enyedum mox regia convocat uxor,
 Tam dubio in casu ut triplici cum gente loquatur.
 795 Haud mora, subsequitur Monachus miroque paratu
 Armorum instructus, numeroso et milite, ut omne
 Horruerit, veluti conspecta Gorgone, vulgus.
 Vespere cum coenam caperet sub nocte silenti
 Hospitio in proprio, clausae tum forte fenestrae
 800 Innixus tergo, metuens nil triste sedebat.
 Protinus hunc contra violenta ex pixide sclopus
 Missus aberravit modicum, quin stringeret aurem.
 Autorem nulli licuit cognoscere facti.
 Inter discordes iras mollire studebant
 805 Regnicolae caussamque gravis praecidere belli.
 Hoc ubi credebant effectum, sponte recedunt,
 Nil de communi, privato obstante, loquuti.

4. Status religionis

Nunc hostes referam, verae et pietatis amicos,
Quorum voce Dei coepit mitescere cultus,
Veraque relligio Dacum in regione doceri.
Postquam Romulei fallacia somnia Papae
Aetherea armatus certe virtute LUTHERUS
Ad deridendum toti patefecerat orbi,
Primus in hoc regno Sathanæ iuga dura perosus
HONTERUS verae pietatis semina sparsit.
Ille etenim in patriam Basilea ex urbe reversus,
Audierat lanum Reuchlinum ubi sacra docentem,
Templa scholasque nigro squalore situque repurgat,
Barbarieque rudi pulsa discentibus artes
Suggestit ingenuas, moresque instillat honestos;
Quove sacri certo constarent ordine ritus,
Congerit in iustum praecepta salubria librum,
Quae vulgata typis vivendi norma ministris
Sunt modo sacrificiis, et erunt dum recta docebunt.
Denique legitimo cives ut iure regantur,
Arbitrium nec sit stabili pro lege potentum,
Edidit in lucem civilis dogmata iuris.
Ipsius hortatu domus ardua bibliothecae
Extruitur, variisque libris decorata refulget.
Cosmographus mundi descripsit carmine partes.
Cum fessus senio curisque gravatus acerbis
Deficeret vita, superasque migraret ad arces,
Aeternum patriae decus amplaque fama Coronae,
Vivus ubi Christum lingua est animoque professus,
Ante aram summa tumulatus in aede quiescit,
Tali ubi spectatur signatum epigrammate bustum:

Conditus hic recubat post tot monumenta laborum
Honterus, patriae provida cura suae.

Aliud

Hic cubat Honterus vates, descriptor et orbis,
Et fidus praeco, Maxime Christe, tuus.
Qui Transylvanis doctrina praefuit atque
Exemplo et vitae dexteritate suis.
Hunc tu, Christe Deus, tua in inclita regna vocatum
Nectare nunc tecum pascis et ambrosia.

Inde cito cunctas regionis fluxit ad oras
Religio, viva velut ex scaturigine rivus.

40 Urbe Colossensi renovati dogmatis autor
 Primus erat Gaspar, vir magni nominis, Heltus,
 Iudicio pollens gravium rerumque peritus.
 Flexanimi lingua Ciceronis more tonando
 Vulgus in obsequium trahit, ut Rhodopeius Orpheus
 45 Saxa recensetur fidibus traxisse canoris.
 Et voce, et scriptis permultum profuit urbi.
 Hermannus vir erat Surdaster in urbe, Ioannes
 Cui fuerat nomen, magno sudore fideque
 Papicolam is plebem docuit cognoscere Christum.
 50 Res mira est, quantum profecerit ille docendo,
 Quando homines reprobos reprehenderet ore soluto.
 Hunc Deus ostento sibi perplacuisse probavit:
 Post annos aliquot cum tristia fata subisset,
 Inque leves cineres esset corpusque redactum,
 55 Forte Cibinensem vastabat Mulciber urbem,
 Et procul extra urbem violenter adusserat hortos,
 Splendida corripunt summorum tecta domorum,
 Praecipites muri lapsu graviore ruebant,
 Corruit et moles spatiosi maxima templi,
 60 Vivus ubi docuit, sed nec qua stare cathedram
 Suetus erat, rabies quidquam Vulcania laesit,
 Materies rapidis quamvis foret apta favillis.
 Bartholomeus erat Media Altbergerus in urbe,
 Primus qui monachos audaci corripit ore,
 65 Atque Quirinalis damnavit somnia Papae.
 Est locus, haud longe Media qui distat ab urbe,
 Birthalmo nomen veteres fecere coloni.
 Hic sunt vitiferi ferientes sidera montes,
 Vina quibus dulci crescunt aequanda Falerno,
 70 Usque frequens populis, similis videatur ut urbi.
 Primum hic Franciscus Saliceus idola removit,
 Fraude papistarum ne plebs decepta, monebat,
 Defunctis ullos statuisque offerret honores,
 Esse viam vitae Christum atque salutis asylum,
 75 Ira patris cuius merito placata quiescat.
 Traxit in obsequium facundae flumine linguae
 Multos, at plures vita stimulavit honesta,
 Quando lucerna velut densa in caligine fulgens
 Virtutum radiis populo praeluxit agresti.
 80 Plus auditorem mores quam verba docentis
 Alliciunt, placidam culturae ut praebeat aurem.
 Nec te, Calvine, illustri spoliabo, Mathia,
 Laude, indevicta regi qui mente libellum

63 Media W media

45 Saxa traxisse — Ov. Met. XI, 1—2; cf. LA 97

58 lapsu graviore — Claud. In Ruf. I, 23

53 Sacra reformatae doctrinae iussa docentem
 Obtuleras, interque minas animosius aulae
 Verum ut corde probas, sic ore fateris aperto.
 Exere, ut ante, tuas infracto robore vires,
 Defensor fidei sanae, sacra et anchora Musis,
 60 Quarum ope cognoscent seri tua facta nepotes.
 Bartpha ubi Sauromatas acresque intersecat Hunnos,
 Urbs nec opum dives, nec moenibus inclita celsis,
 Sed morum insignis, bene quam commendat honestas,
 Nutrit et unanimes felix concordia cives.
 65 Ista Stokelius docuit Leonhartus in urbe
 Dogma Dei verum ingenuasque fideliter artes.
 Vir tantus certe, similem cui Pannonis ora
 Non habuit, nec habet, vixque est habitura deinceps.
 Scriptis et vivo compescuit ore profanos
 70 Haereticos, semper sectarum acerrimus hostis.
 Aeternum bene sit defuncti manibus, opto.
 Excellens etiam Devay pietate Mathias
 Dicendi valuit tanta ubertate, Lutheri
 Ungarici ut vulgo praeclarum nomen haberet.
 Huic etiam Andream Batysi iunxisse licebit.
 Is verum ardenti flagrabat amore docendi,
 Non aliis virtute minor, pietate vel arte.
 Quique videt propius piscosa fluenta Bodogri,
 Maximus ingenio praestansque Copatius arte.
 Et qui Erdödini solerti lumine mentis
 Ingenia exploras iuvenum moresque pudicos,
 Quos iuvat affectasse gradum sacra iussa docendi,
 Docte Sebaste, manusque imponere more vetusto
 Sacrificas capiti gaudes et inungere mystas.
 Nec te praetereo lingua, Lodovice, diserta
 Vincentem multos, Segedino rure creatum,
 Carmina Nasonis qui versibus aemula fingis.
 Huc refero Stephanum Siculo de sanguine cretum,
 E Latio qui fonte libros Graecoque sacros
 75 Transtulit, Ungaricis interpretes fidus ut oris
 Prodesset, nebulasque animis abstergeret atras.
 Hic etiam Chronicen primaeva ab origine mundi
 Ad sua Pannonio deduxit tempora filo.
 Sed te postrema cur parte recenseo, Alesi?
 Ungariae Phoenix nostro rarissimus aevo:
 80 Doctrinae purae praeclsa regis in aula
 Et pius, et constans doctus sapiensque professor.
 Nimirum ut fatear, mea quam virtutibus impar
 Musa tuis maneat, dignis maiore Minerva.

[54] Huic W Hinc

[57] Bodogri E Bodogri

130 Hi sacra salvificis sonuerunt dogmata linguis,
 Ac verbo Sathanae conati evertere regnum,
 Infractis animis vitae discrimina nulla
 Pro studio verae pietatis adire recusant.
 Haud aliter fremuit Sathanas Acheronte sub imo:
 135 Quam cum viminei conclusae corbis in antro
 Hybleae stimulantur apes, tum murmura miscent,
 Atque irritatae volitando alvearia circum
 Expediunt contra sua spicula fortiter hostem.
 Praecipue Monachus taxari dogmata Papae
 140 Indigne tulit, ac stricto compescere ferro
 Exiliove gravi statuit damnare docentes.
 Ex uno exemplo (taceo nam plura) patebit,
 Quam fuerit verae pietatis maximus hostis.
 Urbanus fuerat Batyanus stemmate claro
 145 Editus, ingenio praestans, virtute fideque
 Reginae gratus, toti carissimus aulae.
 Posteaquam fato naturae debita solvit,
 Regina Albensem tumulari corpus ad aedem
 Exequiasque iubet magno splendore parari,
 150 Ipsaque tum praesens cineri cum rege parentat,
 Erga defunctum lachrimis testata favorem.
 Stercori at effossum Quaestor commisit olenti,
 Naturamque simul, fratremque hominemque cruentus
 Exuit, et tenuem defuncto invidit arenam,
 155 Hunc quoniam placitis norat favisse Lutheri.
 Restituit prisco tamen hunc regina sepulchro.
 Cziakius alter erat Michael praeclarus in aula,
 Qui rectis studiis excultus coepit amare
 Et vigili studio libros volvisse Lutheri,
 160 Inde sacerdotum canones insulsaque Papae
 Somnia securo didicit contemnere vultu.
 Huius virtuti multum obtrectare solebat
 Dalmata, reginae siquidem cum carior esset,
 Consilio obstabat, Monachus ne fraude noceret.
 165 Ille vir aethereo servatus numine tandem
 Regalis custos fit et anxia cura sigilli,
 Huic soli secreta datur cognoscere regis
 Et graphio tacitae mysteria condere chartae.
 Quin etiam regis puerum tenerumque rudemque
 170 Fovit, et in veros eduxit principis annos.
 Sacrorum antistes mala multa Statilius Albae
 Christicolis peperit, cupiens extinguere lucem
 Dogmatis aetherei veroque obducere velum.

146 Posteaquam WE Postea quam
 158 volvisse E voluisse

134-135 Hybleas ut apes — Verg. Ecl. I, 55—56

Forte die Veneris vetitas aliquando sacerdos
 Hauserat ore dapes, Papae ieiunia solvens;
 Hunc male mulctatum poena damnavit acerba:
 Iussit eum crudis vestiri carnibus, utque
 Ex humero lepores gerat, atque ita nudus oberret,
 A rapidis canibus veluti fera bestia pulsus,
 Quorum dente miser ferme laceratus edaci,
 Fabula totius risusque fit amphiteatri.
 Hoc minor officio quamvis et viribus impar
 Doctor Franciscus tum forte vicarius Albae,
 Saevitia maior reliquis tamen, atque nocendi
 Conatu potior, cunctos delere laborat,
 Sancta quibus placuit divi doctrina LUTHERI.
 Multi praeterea, quorum nec carmine digna
 Nomina vana reor, Christi affligere ministros.
 Sed radios veluti medio sol explicat axe,
 Igne suo nebulas absumens aethere densas:
 Haud secus humanis impressus mentibus error
 Luce evangelii radiante fugatus abivit.

5. Liber secundus

Germanorum in Ungariam adventum, reginae cum filio dimissionem, Lippae
 expugnationem et tragicam mortem fratris Georgii thesaurarii continens

Tempus erat, praedam cum iam venator acerbus
 Vique doloque diu propius constringeret actam.
 Ergo opus extremum volvens movet omnia summo
 Conatu ficta sub relligione cucullus.
 Occuluit quidquid, manifestum reddidit ardor,
 Cum prope Germanos ad limina tendere regni
 Innumera peditumque equitumque cohorte pateret.
 Extorquet manibus regale insigne, coronam
 Reginae, Ungarici qua per tot secula reges
 Auspicio cincti regnum tenuere secundo.
 Quove reluctanti persuadeat, obtulit aurum
 Pollicitis, quantum Tagus aut vehit aurifer Hermus.
 At regina videns pelagus sine fine malorum
 Undare, ut quando Boreas tumida aequora volvit,
 Et scopulis certat quassas illidere puppes,
 Insano voluit potius cessisse furori,
 Nobile quam Geticis regnum tutarier armis;
 Norat enim quantum fidei gens Caspia haberet.

Ad calcem Sr W Finis primi libri

arg. E: Argumentum: Transsilvania Ferdinando tradita. Lippa Turcis dedita, eademque per
 Castaldum et Georgium Martinusium expugnata. Georgius interemtus

(Iratis cessit sic Scipio sponte tribunis.)
 20 Haec ait ad proceres humectans fletibus ora:
 Quod mea quantumvis mitissima iura negastis
 Ferre rebellantes, pax rarior ergo vigeat,
 Peneque succubuit civili patria bello,
 Sic quia consultum vobis patriaeque putatis,
 25 Si procul ignotum detrudar ut exul in orbem,
 Quod vultis, faciam, pondus gravius licet Aethna
 Mollibus impositum cogar tolerare lacertis.
 Insuper et sceptrum vobis regnique coronam
 Debilis et toto moestissima pectore reddo.
 30 Auguror, hac nullum vestra de gente corona
 Regem insignitum spectabitis amplius Hunni.
 Me natumque meum summo commendo Tonanti.
 Nos aerumnarum fluctus interque procellas
 Hactenus ut fovit, posthac, ut spero, fovebit.
 35 Pupillis pater est, viduis est arbiter aequus.
 Ex vobis multi, quod nunc fecere, dolebunt:
 Non sinit horrendum Deus aequus crimen inultum,
 Semper supplicium delatum atrocius urit.
 40 Dixerat: heroum lachrimarum flumine turgent
 Lumina, et immensis singultibus aëra complent.
 Contigerat celebrem populo comitante Colossum,
 Matronale decus, Monacho suadente, pacisci
 De rerum summa tribuenda intendit Alanis.
 Hi micuere duces, quos huc Germania misit:
 45 Castaldus reliquis praeerat Baptista Ioannes,
 Vir gravis ut senio, belli sic arte peritus
 Et magni praestans inter consulta senatus.
 Caesar ab Italia, Fernando rege petente,
 Miserat huc nuper comitatum milite multo,
 50 Ut re et consilio Fernandi coepta iuvaret.
 Hinc Bathor Andreas, Bathoris de stirpe creatus,
 Quo duce in irriguo perierunt agmina prato
 Turcica, cui Könijör de pane dat accola nomen.
 Tertius egregia Thomas virtute Nadasdus
 55 Praeditus obque fidem regi dilectus Alano.
 Quartus eques clarus spolioque insignis adepto,
 Ad Themesi nuper cum moenia funderet hostes,
 A patria Lossontz Lossoncius arce vocatus.
 Quintus erat Brandiss Andreas, credita turba
 60 Cui peditum fuerat galeata in pectore ferro.
 Quosque referre mora est, comitesque ducesque secuti.
 Talia Fernando promissa a rege ferebant:
 Dummodo sponte sua regnum concedat et arces,

53 Könijör E Kenyér

38 Semper supplicium — Val. Max. I, 1 ext 3; cf. Rm II, 10

Filiolo (regem) gnatam pepigisse daturum
 65 Connubio, minimam magnae genitricis alumnam.
 Insuper Oppoliae celebrem pro dote ducatum,
 Qui Slesitarum contingit limite rura,
 Quaeque patris carum bona plurima nomen haberet,
 Sperare a sese sine fraude doloque iubebat.
 70 Res quibus haec commissa fuit, glomerantur in unum
 Conciliare animos stabilireque pacta parati.
 Hic primum exorsi Thomas Baptistaque prudens
 Consilium regis decretaque pulchra revelant.
 Parte alia Monachus reginaque maxima stabant,
 75 Ut pro rege sacro conventa oblata probarent.
 Nec mora, conceptis iurat pars utraque verbis,
 Iunctaque confirmant victurum brachia foedus.
 Inde suis scribit procuratoribus, arces,
 Regina, ut dedant peregrinae sponte catervae,
 80 Antiquae memores fidei nec Marte resistant,
 Proque fide erga se grates vehementer agebat.
 Exiguum ad spacium Monachus comitatur eunt.
 Mille dat Ungaricos regi totidemque Sibyllae.
 Paulo post totum vitamque aurumque daturus
 85 His, quibus haud ullo debetur iure: paratum
 Vique doloque lucrum non longo tempore durat.
 Rimosa stillat ceu fluxilis humor ab urna:
 Sic male parta fluunt, priscoque haerede relicto
 Nunc hunc, nunc alium mutata sorte sequuntur,
 90 Nec patrum iniuste partis laetabitur haeres.
 Ex pacto capiunt, nullis prohibentibus, arces
 Teutonicae turmae, sese et regionis in omnes
 Diffundunt partes, statio sua cuique tributa.
 Protinus ingreditur Themesi Lossoncius heros
 95 De Campo geminis comitatus fratribus arcem;
 De Bathor Andreas sibi Lippae vendicat urbem;
 Urbes Saxonicas reliquae tenere cohortes.
 Ac ne fortunae Petrovius obstet amicae,
 Muncacium recipit, veteris laeta arva Marossi,
 100 Proventusque omnes, simul annua pensa iubetur
 Pro libitu proprios convertere semper ad usus.
 Laetus agit grates tali pro munere Petrus.
 Discedens Themesi sic fertur ab arce locutus:
 Si quisquam post me tres hanc defenderit annos
 A Turcis arcem, illius me iuro quadrigas
 Dentata strigili pexurum more gregalis.
 Inde movens gressus regem visurus abibat,
 Qualiter ignotis quibus haud regionibus erret.

64 regem E *uncos om.*

99 Marossi WE Morossi

108 quibus haud E exul

110 Vix erat optatam gens advena nacta quietem,
 Dura recensebat superatae taedia callis,
 Languentesque cibo potuque refecerat artus,
 Cum prunis uvas mandens peponesque nucesque:
 Cum subito exoritur toto ferus agmine morbus,
 115 Quo prius enecti periire sitique fameque.
 Hunnorum peragrant vacuos dum fontibus agros,
 Porrectamque sibi mixtam cum calce farinam,
 Qua confecta Ceres male viscera torsit edentum,
 Narrabant, ardens sitis unde in faucibus orta
 Plus iusto effossas haurire coëgerat undas.
 120 Pars populi maior Phoebeao emarcuit aestu,
 Insolitus victus coelique ignotior aura
 Pluribus exitium mortemque invexit acerbam.
 Haec ubi Bisthonium vulgata fuere per aulam,
 125 Teutona gens rigidis quod scilicet imperet Hunnis,
 Militeque aeratas regni possederit arces,
 Dicitur auricomos barbae vulsisse capillos
 Magnanimus Salomon, ferventique ore profatus:
 Iuro per Mahometh magni decreta prophetae,
 130 Perque caput proprium reparantem et cornua Phoeben,
 Non me perfidiae passurum crimen inultum.
 Mox Beglerbekum, quem sex deciesque sequuntur
 Millia Turcarum, lunatum insigne moventem
 Talibus alloquitur dictis: Fortissime gentis
 Ductor Oguzanae, cuius viget inclita bello
 135 Virtus, Christigenum mors et lethale venenum,
 Scis me per Superos regi iurasse IOANNI:
 Perpetuo fidum regni natique patronum
 Affore, qui saevo vim pellat ab hoste paratam.
 Nunc iusto turpes depulso haerede per arces
 140 Urbesque Ungaricas late dominantur Alani;
 Da galeam capiti, lateri velociter ensem
 Indue falcatum, sit onusta pharetra sagittis,
 Armenios equites et Graiae robora gentis
 Collige, et in quibus auxilii est spes maxima, Turcas,
 145 Qui domitae Ungariae fines tutantur ad Istrum,
 Quosve avidos praedae sitis implacata cruoris
 Ultro besliacos in praelia fuderit acres.
 Dum trepidant nullo firmatae robore partes,
 Tolle moras, semper nocuit differre paratis.
 150 Moenia cum populis ferro delebis et igne,
 Nullius aetatis sexusque statusque misertus.

110 superatae E superati

109–122 Vix erat ... acerbam — cf. RP V, 6–13

149 Tolle moras — Lucan. Phars. I, 281

Quin rudis et nondum vitales lapsus ad auras
Hasce minas cotilis circumdatus horreat infans.

Haec ubi dicta, genu flexo capitisque decenter
Vertice demisso facturum iussa sponndit.

Convocat armatos extemplo ad signa maniplos,
Ocius advolitant omnes Aquilone vocati,

Inque Zalon Kömen iussi consistere sede
Expectant, donec radians exercitus armis,

Praesidiis bene firmatus totaliter adsit.

Hinc populabundi spaciosa per arva feruntur,

Ceu fera tempestas violentis excita ventis,

Cum gravidas nullo discrimine sternit aristas,

Roboraque in silvis radicitus ardua vellit.

Ac arcem primum Betscke obsidione fatigant,

Usque ad quadriduum pulsantes moenia sphaeris

Undique ferratis noctesque diesque potenter.

Hac ubi non arcem subigi ratione viderent,

Praefectum fidei sub conditione vocabant

Extra arcem, possint simul ut de pace pacisci.

Impete cum valido captam ruit agmen in arcem

Foedifragū, fortesque pari dum Marte resistunt,

Pro patria atque aris occumbunt fortiter Hunni.

Hinc abiens Turcus mox Betskerec occupat arcem

Deditione: etenim discordia civibus atrox

Abstulit, ac ultro dedit hostibus arma cruentis.

Inde Chanadinum Turcarum vecta Charybdis,

Praesul ubi quondam dignissimus imbuit aras

Thuricremas precibus, persolvens munera divis,

Accipit absque armis oblatam civibus arcem.

Multae praeterea Scythico cessere furori

Arces sponte sua, violento et Marte subactae,

Quarum non facile est complecti nomina versu.

Forte Chanadino, sortem experturus equestri

In pugna, Ulmannus quingentis cinctus abibat

Militibus, tentans num quisquam occurrat onustus,

Quem spolio exutum iaculis configat acutis.

Hoc etiam Aegidius Thomas sub tempore Lippa

Egressus, levibus committere praelia contis

Si queat, ac Turcis partam extorquere rapinam,

Fortuna audaci non adversante labori.

Constitit ad castrum, cui gens Zadorlaca nomen

Prisca dedit, longae vigilans per tempora noctis

Saltibus in densis, spe praedae ductus habendae.

Mane novo, infecta re, pagi tecta propinqui

Ingreditur, fessam potuque ciboque cohortem

155 sponndit W sponndit

158 Zalon Kömen E Zalonkömen S Szalankamen

Plus nimio saturat, securus ab hoste nec usquam,
 Qui gerat excubias, vigilem delegerat ullum.
 Interea Ulmannus velocior advolat Euro,
 200 Ex improvise cunctosque obtruncat, opimisque
 Acceptis spoliis iter ad sua castra retorquet,
 Cum paucis aliis vix Thomas salvus abivit.
 Invaluit postquam Lippensi rumor in urbe
 Septem ex militibus vix evasisse ducentis,
 205 Panicus extemplo cunctos invaserat horror,
 Nec statuunt armis tutarier amplius urbem,
 Sed propero cursu vitam servare periculo.
 Quamvis obstaret Bathorus precibusque minisque,
 Quo profugum cursus posset prohibere citatos,
 210 Nil tamen obtinuit, mox cessit et ipse relicto
 Praesidio modico, quod moenibus arceat hostem.
 Post abitum Bathoris cives glomerantur in unum,
 Deque suis rebus patriaeque urbisque salute
 Servanda inter se vario sermone susurrant.
 215 Mens eadem cunctis, ut milite ab arce repulso
 Proiectis ultro se dedant hostibus armis,
 Praecipuique viros generis cum iudice mittant,
 Qui clavem signum subiectae porrigat urbis,
 Se civesque suos precioso munere et aptis
 220 Insumat verbis hosti, promittat et illa
 Ocius acturos, factu quae grata putarint.
 Accipit oblatam laetus cum munere clavem
 Militiae ductor, cunctique per aëra Turci
 Clamorem immensum tollunt Alla, Alla boantes.
 225 Hinc dicto citius patulam funduntur in urbem,
 Et vigili captas observant milite portas.
 Arx reliquas inter, quas vi vel fraude coacti
 Hunni deseruere, Ciallia nomine dicta.
 Huc multi insignes opibus belloque potentes
 230 Confluxere Scythae, et sedem posuere morandi.
 Haec ubi Franciscus ferri rumoribus Horvath
 Audisset, bello bonus et vir strenuus ausis,
 Sexcentos iuvenes, animis et corpore promptos,
 Aere vocat rauco, parent dicto ocius omnes,
 235 Armatique volant ad moenia parva Ciallae.
 Plurima per noctem libabant pocula longam
 Ex animis procul abiecta formidine Turci.
 Cumque quies mersos somnoque meroque teneret,
 Protinus admotis transcendunt moenia scalis,
 240 Cum dubiae fuerant incerta crepuscula lucis,

220 Insumat E Insinuet
 228 Ciallia S Gyula
 235 Ciallae S Gyula

Lecta manus iuvenum, captaque furenter in arce
Oppressos somno Turcas impune trucidant.
Ditati spoliis priscos petiere penates
Aeternum nacti decus ob rem fortiter actam,
Emeritique caput querno praecingere serto.
Obtinuere duces postquam Lippensia rura,
Ulmanno, memorant, Beglerbeckum ista locutum:
In nostris urbs est manibus cum civibus ampla,
Ne fallat, vereor, nos callidus ille sacerdos,
Candida cui tonsam velant redimicula frontem,
Magnum qui toties verbis Salomona fefellit.
Scis, astu quantum quantumque potentibus armis
Polleat, in robur convertet Caesaris arma.
Nec satis hunc contra tutus locus esse valebit.
Hunc Senior contra: metuenda potentia et astus
Est vafri Monachi mihi cognita, non tamen ipse
Idcirco oblatam laetis successibus arcem
Suadeo linquendam, melior sententia menti
Est infixae meae, sum ferre extrema paratus,
Si, modo quae dicam, non irrita verba putaris.
Scilicet asapides lectos ex agmine toto
Hic mecum parta iubeas consistere terra,
Quorum ope suffultus depellam moenibus hostem.
Tu Themesi reliquo cum milite fortius arcem
Oppugna, ac ubi me dura obsidione gravari
Audieris, fesso auxilium laturus adesto.
Dixerat: Ulmanno Turcarum millia quinque,
Abducto secum populo potiore, reliquit.
Excipit intrepido venientes pectore Turcas
Ad Themesum, cupiens seu certae occumbere morti,
Aut ad Avernales Turcas detrudere hiatus
In pugna iaculis fusos Lossoncius heros.
Hic etiam fratres de campo nomen adepti
Mente eadem stabili decreta heroica figunt.
Undique tormentis obsessam verberat arcem
Caspia gens, late sonitumque per aëra tantum
Excitat, ut credas movisse tonitrua summum
Iracunda Iovem, cum fulmina spargit Olympo.
Telorum quamvis seges instar grandinis urbem
Obrueret, solis praeclarum lumen obumbrans,
Nil tamen effectum. Virtus, non moenia, cives,
Ut nihil adversi patiantur ab hoste, tuetur.
Quotidie effusus campo pugnabat aperto
Dux Stephanus, medios animose et vectus in hostes
Non nisi Bisthonia lassatus coede redibat.
Denique cum belli duce conflixisse duello
Sollicite exposcit, detrectat ad arma vocatus
Dux pugnam Stephano fortuna et viribus impar.

290 Et minor a campo vocitatus plurima fortis
 Campestri ostendit certamine militis acta.
 Tres una, memorant, in pugna comminus hastas
 Confregisse, latus dum tunderet acrius hostis.
 Ut lupus infestans rabiosus ovile recedit,
 295 Absque lucro praedae, custode obstante fideli:
 Haud secus immanis discessit ab arce tyrannus,
 Dedecus immensum passus clademque cruentam.
 Interea Themesi dum bella geruntur ad arcem,
 Ex Lak oppidulum tunc Kamberbekus apertum
 Mako subit multo comitatus milite, cunctos
 300 Illius ut cives inopina morte necaret.
 Ast ubi deprendit complures esse colonos,
 Et tantae auderet minime conflare turmae,
 Orat zanchiacum Segedini castra tenentem,
 Occulte, auxilio quae sint, nova robora mittat.
 305 Continuo cives vicina per arva vagantes
 Haydones, quibus armenti custodia nomen
 Attribuit, vulgus nequaquam ignobile bello,
 Sollicitant, ut opem summo in discrimine ferrent.
 Haud mora, praefigunt erectis lintea contis
 310 Alba, quibus Turcus signis consueverat uti,
 Exin et niveo velamine tempora cingunt.
 Makovius Turcis iuraverat ante dynastes
 Se narraturum beco, si quando videret
 Eminus ignotas acies succedere tectis.
 315 Ergo ait ad becum: Veniunt longo agmine gentes
 Ignotae, existunt quibus alba insignia belli.
 Esse putans becus socia agmina, protinus exit
 Milite cum toto, sese ut venientibus addat,
 Atque ita coniuncti redeant perimantque colonos.
 320 Exierant Turci, cum iam prope vulgus adesset
 Haydonum oppidulo; Turcas clam pone sequentes
 Erumpunt magnis clamoribus undique cives.
 Mox veluti vallo cincti hostibus undique Turci
 Mactati occumbunt gladio crudeliter omnes.
 325 Praecipites partim volvuntur ad alta Marossi
 Littora, et immenso claudunt sub gurgite vitam.
 Effugium beco veniens in littore puppis
 Praebuit, ex caeso quem milite quinque secuti
 Evasere simul, numero periire ducenti.
 330 Qui struit insidias aliis, sibi construit ipsi
 Grande malum, fraudem fraus exitiosa meretur.
 Iazygiae subito magnas it fama per urbes,
 Ut Lippam teneant Turci, campusque furenti
 Milite Pannonius, ceu fluctibus aequor, abundet.

Dux regni Monachus Germanas undique vires
 Indigenasque vocat, velut ad commune periculum
 A patriis longe pellendum finibus, ut cum
 Ignis edax miscet flammaram incendia tectis,
 Concursu populi auxiliantis Mulciber atrox
 Emoritur, super et fuso sepelitur ab amne.
 Dacorum regit ipse acies Siculosque Vlachosque,
 Incultos armis squalore situque rigentes.
 Pone sequebatur longa comitante caterva
 Castaldus, praestans nec non Brandisius armis.
 Huc Thomas Warkuth, huc et Bathoreius heros,
 Insignes armis ambo, virtutibus ambo
 Conspicui, bis quinque equitum cum millibus ibant.
 Omnes hi ductant aurora pulchrius agmen.
 Proiiciunt radios coelo galeata sereno
 Corpora, et auratae fulgent in casside cristae.
 Arma Getis omnes certatim inferre parati.
 Iam prope constitierant, Lippamque exercitus omnis
 Obsidione, velut vallo, circumdabat urbem.
 Sorte capit partes audax Germanus Eoas,
 Austrum sed versus Monachus tentoria fixit.
 Montis ad exigui clivum tormenta trahuntur
 Aenea, terrifico torquentia murmure pila,
 Queis ictae armato trepidant cum milite turres.
 His ad quadriduum noctesque diesque tonando
 Concutiunt valido congestos aggere muros.
 Ardua praecipiti labuntur moenia casu,
 Ictu rupta gravi, tectorum culmina summa
 Igne procul piceo fumant flammaque coruscant.
 Lux tulerat croceis cum quarta crepuscula bigis,
 Decrevere duces, violento moenia cursu
 Miles ut effusus transscendat et occupet urbem.
 Huic operi decernitur hora secunda diei.
 Praeriperent ne forte alii, metuebat, honores
 Accursu primos Germanus et acer Iberus:
 Iniussi dederant cum tympana murmure signum
 Terribilesque tubae lituique, ad moenia currunt.
 Hic alios alii magnis clamoribus urgent,
 Virtutis memores priscae non cedere pugnae
 Segnius aut coeptum cupiant urgere laborem.
 Egrerium hic ausus multum et memorabile factum
 Hispanus iuvenis, qui primum insignia belli
 Moenibus adscendens afflixit alacriter urbis,
 Strenuus et pugnans cadit ense peremptus ab hoste.
 At Turci haud segnes detorquent plurima flexo

380 Tela arcu, teretes raptata per aëra glandes
 Viscera diripiunt, imber rigat arva cruentus.
 Oppositi stabant, paries graviore ruina
 Lapsus ubi rimis aditum patefecerat urbi,
 385 Proturbantque hostes contis, hic grandia saxa
 Corpora comminuunt validis vibrata lacertis.
 Utraque saepe acies nutat, rursumque resumtis
 Mox animis caeco revocat fera praelia ferro.
 Cumque minus coepto sors curreret aequa labori
 Christicolis, retro cedentes terga dederunt.
 390 Forte duces strepitus prandentes clamor et ingens
 Pugnantum excierat: mensis epulisque relictis
 Accurrunt alacres, pars tergo vecta caballū,
 Pars pedibus currunt, velut insperata monebat
 Sors clamorque virūm resque ardua plena periclis.
 395 Ante alios Thomas fugientes voce Nadasdus
 Sponte sua delapsus equo ad fera bella retraxit,
 Primus et exemplo hostilem conscendere murum
 Praecedens docuit, pugnamque ardentius hosti
 Intentans ignes animis ardentibus addit.
 400 Hunc omnis comitata cohors discrimine nullo,
 Quo furor indomitus rapuit clamorque iubentum:
 Tum fragor armorum et cava tympana murmure rauco
 Insonuere tubae, litui, taratantara et ingens
 Bombardae tonitru resonans ferit aethera clangor.
 405 Heic IESUM clamant, illic vox Alla remugit,
 Passim strata iacent exsanguia corpora campo,
 Sicut ab incurva deiecti falce manipuli.
 Semineces lugent, extremi et flaminis auram
 Efflant, obtriti pedibus fervente tumultu
 410 Pars resupina atrum pleno vomit ore cruorem.
 Praecipue muros intra absorbebat hiatus
 Innumeros homines, quem cives compulit armis
 Effodere immanis Turcus. Scyllaea vorago
 Vix plures naves mersit vel avara Charybdis.
 415 Hoc urgente malo plebs fossa scandit ab alta,
 Dum retro instantes urgent truduntque priores.
 Hic atrox oritur primum certamen et ingens
 Ancipiti in pugna luctusque pavorque fugaeque.
 Actutum trepida capti formidine Turci
 420 Palantes fugiunt, turbatoque ordine ad arcem
 Accelerant cursu, quingenti et mille recepti.
 Pars effusa ruit portis, vitamque periculo

383 patefecerat urbi E patefecit ad urbem

391 excierat WE exierat

411 Praecipue E Praecipuo

425

430

435

440

445

450

455

460

465

Eripuisse armis pugnando fortius audet,
 Quam subito gladiis ad castra stativa relictis
 Pannonēs invadunt armis Boiique potentes.
 Pars trabibus confisa natat, sed fortis Iberus
 Turbavit globulis sub flumina lata Marossi
 Cum populis naves; liquidis cruor intus in undis
 Spumat, et obducti concreto sanguine fluctus.
 Quos ultra profugos navis transvexerat amnem,
 Magnanimus Bathori miles confecerat armis.
 Prae reliquis Turco sors obtigit aequa Ioanni;
 Ille etenim egressam maiore ex parte catervam
 Plebe sua letho comitatus mersit acerbo.
 Ipse etiam propriis ingentem viribus armis
 Aggressus Turcum gladio traiecit acuto,
 Tempore non ullo moriturum nomen adeptus.
 Omnis ad urbanam conversa caterva rapinam
 Perscrutatur opes, locuples patefacta securi
 Arca strepit, serisque reposta nepotibus aera
 Per longam aetatem multo sudore parentum
 Omnia vesani fiunt ludibria Martis.
 Stant trepidae matres, pueri innuptaeque puellae,
 Ac postrema suae metuunt discrimina vitae.
 Vimque gravem passae coguntur cuncta fateri,
 Quae sera possideat, defossaque clauserat urna.
 Omnibus amissis opibus miser incola vita
 Donatus patrio nido procul actus abibat.
 Nunc etiam revocat veteres iniuria clades.
 Iudex cum paucis suspensus ab arbore poenam
 Hostibus oblatae persolvit proditor urbis.
 Ecce autem quibus arx fidum dabat urbis asylum,
 Segnius haud quaquam Turci iaculantur in hostem,
 Quae furor arma dabat; nam desperatio robur
 Ultima passuris aliquando pericula praebet.
 Econtra laetus transacta cede recenti
 Exultat miles, coeptumque atrocius urget
 Extra opus, oppugnans validis conatibus arcem.
 Ast velut ambustus titio surreptus ab igne,
 Ulmannus populo de clade superstite agebat.
 Fert rapida ora fame, iam pridem vulnera membris
 Immunda sanie abstulerant tumefacta vigorem.
 Ergo rogat procures, abeundi ex arce potestas
 Incolumi detur reliquo cum milite, sese
 Sponte Chanadinum Lippensem arcemque daturum.
 Non multum lucri, precium nec habebitis ullum
 Morte mea, magni neque vires Caesaris amplae
 Imminentur, ait, ceu non mare deficit ingens
 Fluctibus, hauritur modico cum stilla pugillo.
 Persarum regem linquens ad castra profugi

Caesaris, huius ego despectum et inutile tantum
 Mancipium existo, pribecum ut caetera turba.
 Castaldus regerit: Si te turbamque relictam
 Tecum mancipio regi submittis Alano,
 475 Ille tuum factum multo cumulabit honore,
 Donatum vita atque opibus venerabitur amplis.
 Non ea conditio Turcis oblata placebat,
 Suntque mori potius, quam iussa subire parati.
 Non (Ulmannus ait) nova res est, Christicolarum
 480 Si de gente viri, patria pietate negata,
 Turcarum imperium moresque fidemque sequantur:
 Ex Turcis factos mameluchos tota vetustas
 Non habet exemplum, tanta est constantia Turcis.
 Interea furtim Monachum prece supplice Turcus
 485 Sollicitat, ne se tanto in discrimine vitae
 Versantem letho sinat occubuisse cruento.
 Si me (ait) incolumem cincta dimiseris arce,
 Caesaris ut portam possim contingere celsam,
 Iuro, animum illius tibi conciliabo vicissim,
 490 Ut prisco ornatum te rursus honore coronet,
 Dux sis et regni, tantum revocato remotum
 Filiolum regis, peregrino milite abacto.
 Plurima sollicito Praelatus pectore volvit,
 Quanta sit invicti maiestas Caesaris, orbis
 495 Cuius totius pars maxima subiacet armis,
 Ut procul existat Fernandus, opemque, libenter
 Cum velit, adversum nequeat cito mittere Turcum.
 Luxurians vero si hic longius haereat agmen,
 Omnibus exhaustum videt iri sumptibus urbes:
 500 Ergo illi in Turcis spes firmior esse videtur.
 Exin molitur cum Turcis pangere foedus.
 Viginti usque dies fluerent tres, miles ab armis
 Abstinet amborum assensu, Fratrisque Scythaeque.
 Clam victum Turcis Monachus transmittit ad arcem,
 505 Quaque potest pressos iuvat omni ex parte frequenter;
 Denique Castaldum precibus sine fine fatigat,
 Ut sinat illaesos ad propria tecta reverti,
 Id fore confidat factum nec inutile regno.
 Castaldus Monachum quo semper haberet amicum,
 510 Ex re consilio sumto consulta probavit:
 Sic tamen, ut positis Turcus discederet armis,
 Quo se testetur certo velut indice victum.
 Quaestor ubi imperium rapuisse advertit Alanos,
 Haec perturbato memoratur corde locutus:
 515 En tot convivas mensis accumbere nostris
 Iussimus, exclusi vix admittamur ut ipsi.

498 hic E heic

His actis, defert ea Protheus omnia Turco,
 Mittit et extemplo, quas porrigat ille, tabellas
 Turcarum domino, sceleris veniamque precatur,
 Caesaris imperio spreto quod Alana vocasset
 120 Castra, quibus regni demens tribuisset habenas:
 Dummodo magnanimi mitescat Caesaris ira,
 Facturum sese parvo post tempore, eodem
 Germano pulso, queat ut sine clade potiri.
 125 His ita firmatis Geticum ruit agmen ab arce,
 Qua via tuta fuit; iussi comitantur euntes
 Tercentum Hozogii, multam fugientibus escam
 Clam Monachus plaustis atque arma latentia misit.
 A tergo sequitur fugientes Blassius, heros
 130 Eximius, minor haud ducibus virtute vetustis
 Bellandi, pugnax quos Graecia protulit olim,
 Vel Phrygia aut mundi decus indelebile, Roma.
 Troianis Hector, Danaïs hic alter Achilles,
 Gloria regnorum, si prisca resurgeret, esset.
 135 Cumque hoc Horwathus Franciscus milite lecto,
 A fronte occurrit Lossonci turba potentis,
 Hi Turcas profugos ingenti strage fatigant.
 Nec minus obsistunt porrectis fortiter armis,
 Crebras fundentes displosa pixide glandes
 140 Atque venenatas nervo stridente sagittas.
 Blassius in dextro pede telo fixus acuto
 Accepit vulnus, sed non lethale, doloris
 Praeteriti signum praebet modo gressus euntis:
 Vix tamen ex mille evaserunt atque trecentis
 145 Tercentum, reliqui gladio periere fameque.
 His Ulmannus adit caesus crudeliter Albam.
 Finis erat belli, populos mox inde reverti
 Ad sua cogeant immitia frigora brumae.
 Urbs servanda datur de campo nomen habenti,
 Praesidiis, victu bellicae instructa paratu.
 Occurrunt salvis matres puerique maritis
 150 Gaudia testantes animi sermone datisque
 Dextris, amplexu contactisque ore labellis.
 Pars alia infelix funesto Marte perempti
 Fata viri luget non admissura medelam
 Solamenque mali, foedis secat unguibus ora.
 Dulcis amator ubi es? quae te tenet invida tellus,
 Aut tua quis tumulis exanguia membra cavatis
 155 Mandabit, iustis consueto more peractis?
 Languida vix postquam tribuissent membra quieti,
 Vulnere diducta monstrant liventia veste,
 Utque truci dederint hosti pro vulnere vulnus.

556 unguibus W ignibus

Exin ereptae monstrantur ab hoste rapinae:
 Hic ferrugineum vagina protulit ensem,
 565 Aut scutum parmamque brevem vel ahaenea vasa;
 Ille aurum vestesque auro argentoque rigentes
 Ostentat, capitis nec non velamina Teucrū
 In nodum flexu varie sinuata rotundo;
 Faustiter ad Lippam cladis monimenta peractae
 570 Plurima venturos servantur ad usque nepotes.
 Ordine iam dudum Lippensia scripserat acta
 Castaldus regi, simul ut discedere Turcos
 Incolumes passus, dederitque abeuntibus arma,
 Coepissetque novum cum Caesare cudere foedus
 575 Astutus Polypus. Rex facto territus isto
 Indoluit multum; regni impendere ruinam
 Totius Ungarici videt emissaeque cohortis
 Perniciem certam, Scythico dominante tyranno.
 Ergo putat melius fore, si crudeliter unus
 580 Multorum scelerum bellorumque occidat autor:
 Nunciat extemplo, quam primum coede cruenta
 Affectum Monachum vitali exterminet aura,
 Ac, nisi perficiat, Castaldo saeva minatur.
 Arx est, Alvintzum cives dixere priores,
 585 Ismaron et Rhodopen uvis praedulcibus aequat,
 Foetus ager circum, nec longe distat ab Alba.
 Huc ubi progressi noctem statuere per unam
 Haerere, ac tandem proficisci protinus Albam,
 Qua tunc concilium, de regni ut rebus agatur
 590 Servandis, procerum Ungariae generale vocarant.
 Hospitium subiere unum, domus una duobus
 Communis, distincta tenens habitacula, habetur,
 Quorum quod minus est, Monachus, maiore tributo
 Castaldo, tenuit, facti cladisque futurae
 595 Ignarus, si quis forsan monuisset amicus,
 Fideret haud nimium, detexissetque latentes
 Insidias, tamen haud monitori credidit ulli:
 Seu quia promeritam poscebant crimina poenam,
 Sive salus regni fato penderet ab isto.
 600 Ad coenam Monachus Castaldum forte vocarat,
 Splendida quo fessas reparent convivia vires.
 Ante sed edicunt, utriusque ut miles ab arce
 Dimissus rectis contendat cursibus Albam,
 Arcta sit arx quoniam, et cui desit copia victus,
 605 Quo macie imprimis miles confectus egebat.

589 Qua E Quo
 594 facti E fati

600 Ad coenam — cf. Poet. Min. V. p. 390

Visa sequi Tiberina phalanx sed tardius, ut quae
 Sponte moram traheret, primos dum navita coetus
 Trans freta piscosi vectaret classe Marossi.
 Morbum alii simulant, temulentia fictaque multos
 Consulto ad sepes prostratos perque plateas
 Pulvere foedatos suscepto a calle retardat.
 Nox erat, et coelo radiabant astra sereno,
 Cum luxu peragi coepisset coena superbo.
 Aurea pendentes circum laquearia lychni
 Totius irradiant penetralia lumine tecti,
 Stant super instratam praegrandia pocula mensam,
 Picta typis variis, solido quoque cantharus auro
 Exhaustus toties implentū brachia lassat.
 Tota domus numeris resonat fidibusque canoris.
 Saepe bibunt, haustoque optant cratera salutem:
 Ut nova Fernandi Superi bene coepta secudent,
 Dentque, diu regnum tranquilla pace gubernet
 Bellorum toties agitata hinc inde procellis.
 Talia dum iactant, media inter gaudia saepe
 Pectore Castaldus suspiria duxit ab imo,
 Saepe viri clades animo multusque recursat
 Regis honos, subsit quantum repetitque pericli
 Et sceleris, facinus quod si hoc admiserit atrox,
 Publica quidve salus et regia iussa requirant.
 Ut tamen occultet conceptum pectoris aestum,
 Laetitiam vario conatur fingere vultu,
 Corporis et gestu, risu verbisque facietis.
 Haec reliqua inter ait: Non te regni angulus huius
 Fas est ut capiat nimis arctus alatque regentem,
 (Parce precor laxa verissima voce fatenti)
 Tanta tua est virtus graviumque peritia rerum,
 Candor, relligio morumque insignis honestas,
 Ut te mirentur caesar regesque ducesque,
 Denique Romuleas tua fama est nota per urbes,
 Dignus es, ut sacris modereris legibus orbem
 Papa potens, trifido redimitus tempora serto,
 Accendasque animos regum, quo rursus adorent
 Proni clavigero sacrata altaria Petro.
 Cardineus quoque testis apex baculusque verendus,
 Quem tibi Romulea nuper dedit urbe ferendum
 Successor Petri, sic caesare constituente.
 Ipse licet Monachus nil verbis gratius istis
 Audierat, Papae ad fastigia siccus anhelans:
 Subrisit tamen, ac pudibunda voce decenter
 Eximium verbis delatum amovit honorem,
 Semper contentus fuerit quod vivere paucis,
 Unde sit et monachus factus, se castra secutum
 Sorte magis fati, quam spe maioris honoris.

655 Finis erat coenae, cum iam nox humida coelo
 Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
 Inde thoro surgunt, ad propria tecta reversi
 Heroes Monacho grates cras ferre parati.
 Mane dolum ad finem iam iam deducere iussi
 660 Bis quinque Ausonii strictis mucronibus adsunt:
 Ante fores currus stabat, celeresque iugales
 Albam Iuliacam Monachum vectare parati,
 Stabat et Ausonius pulchro ordine miles in armis.
 Ventum erat ad limen, pulsatur ianua Fratrís.
 Quid cupiant, (puer inquit forte intus oberrans).
 665 Adsumus, hi referunt, extremam voce salutem
 Dicturi, siquidem properanter abire Viennam
 Cogimur ad regem, Quaestor fortasse relatu
 Si quid habet dignum, per nos effecerit apte.
 Mox puerum Monachus portam reserare iubebat.
 670 Irruit horrendo ceu turbine rapta iuventus
 Armorum ingenti strepitu vultuque minaci,
 Adgressi gladiis fodiunt truduntque trahuntque,
 Traiiciuntque truci miserandum pixide pectus.
 (Legerat infelix missam tum forte sacerdos)
 675 Territus auxilium voce implorabat Iesu,
 Horrendumque gemens fatalia debita solvit.
 Sed neque defuncti rabiens a corpore miles
 Abstinit: mutilatum hinc inde in sanguine truncum
 Volvunt, ac odium strictis mucronibus explent.
 680 Insultantque alacres, laceros iuvat ire per artus
 Pressaque calcato vestigia sanguine tingi.
 Mollia dissolvunt et cervicalia cultris
 Scrutantes, inter lateat ne pecunia plumas.
 Quodque nefas gravius, fluitantia vulnera tabo
 685 Iniectis onerant pennis, deformeque corpus
 Non bene compositis riget inclementius alis.
 Circulus, heu capitis venerabilis illa corona,
 Ordinis indicium, dextra insuper auris adempta est
 Ense truci, et Fernando regi missa repente.
 690 Perque dies septem decies dehinc triste cadaver
 Consilio procerum iacuit, dum certa voluntas
 Decernat regis, qua condi debeat urna.
 Post grave olens multisque scatens prae vermibus Albam
 Iuliacam vectum media tumulatur in aede,
 695 Marmor ubi positum monstrat vestigia facti.
 Quisquis es ista legens, pius esto, Deumque timeto;

664 puer ... oberrans E *uncos om.*

654–655 nox humida — Verg. Aen. II, 7–8

663 Ventum erat — Verg. Aen. VI, 45

Nulla potest cautos astutia fallere Divos,
Nec scelus ultrici sine poena enorme patrari.
Auri sacra fames et opum immoderata cupido,
Ingenii proprii fiducia maxima et ingens
Ambitio reliquis cupiens excellere regno,
Dictaque fallaci toties periuria lingua,
Certe alias praeclaris dotibus excellentem
Heroa infami merserunt crimina letho.

Crudelem Monachi coedem flevire Liburni
Praecipue, quorum fuerat de sanguine cretus,
Hungara nobilitas etiam, Tiberinus et augur,
Qui necis illatae studiose inquirere causam
Iussit, et exclusum ferali anathemate regem
Hostem habuit, donec multo scelus aere piaret.
Gaudebant, quorum, conficto crimine, vitae
Atque opibus laqueos et retia falsa tetendit.
Sunt, patrem regni, sunt, qui dixere tyrannum.

Post coedem inquit Castaldus, ubi aera reposta
Regia serventur, locupletis viscera regni.
Distrahit aeratis clausum Mammona capistris.
Pars data militibus, pars regi cessit Alano,
Maxima Castaldi privatos ivit in usus.

Mortales, opibus nimium ne fidite fluxis,
Ante diem vestri quibus insidiantur alumni,
Vel famuli aut fures, vitaeque pericula summa
Audent pro modico mercede inferre latrones.
Haereat in summo thesaurus vester Olympo,
Depositumque sinu foveat, cui summa potestas,
Nullus ubi fur est, nec edens aerugo metallum.

6. Liber tertius

Continens historiam de capto Themesvaro et interitu
praestantiss<imi> herois Stephani Lossoncii etc.

Postquam a terrifico res Transilvana tumultu
Consilio potius sano quam Marte resedit,
Arcerentque Scythas glacialis frigora brumae,

⁷⁰¹ reliquis W reliquos
Ad calcem libri W Finis libri secundi

⁶⁹⁹ Auri sacra fames — Verg. Aen. III, 57

⁷²⁵ Nullus ubi — cf. Matth 6,20

arg. E: Argumentum: Comitia Poseniensia. Themesvarum per Turcos captum. Suprema fata
Stephani Lossoncii

5 Hybleas ut apes, hiemis quae tempore in antro
 Vimineo clausae moestissima murmura miscent,
 Nec nisi florigero per pascua vere volantes
 Depopulantur agros, ac implent nectare cellas.
 Convocat Ungariae proceres Fernandus ad urbem,
 Dicitur Ausonio quae de Pisone Posonum.
 10 Urbs ea fluminibus parte una stringitur Istri,
 Haud procul in specula vicina arx adiacet urbi,
 Unde cavis possunt transvecti classibus hostes
 Arceri iaculis altoque in gurgite mergi.
 Huc et legati Dacorum e gente profecti
 15 Promptius accelerant, quorum prudentia regno
 Profuit, infaustam fortuna urgente ruinam.
 Nomine nobilium Franciscus Kendius ibat,
 Vir praedives opum, cui subiacuere potentes
 Multis cum populis arces, solusque valebat
 20 Consiliis sensus animosque inflectere vulgi,
 Unius ad placitos agerentur ut omnia nutus.
 Pro Siculis Iannes missus cognomine Kõmõn.
 Ante alios celebres cunctis ex urbibus ibant
 Saxonice aetate graves facieque verendi
 25 Patres, praeclara nullis virtute minores:
 Andreas Byrckner, iudex tum regius urbis
 Hermanni, rerum multarum doctior usu.
 Pellio Mediensi Simon delectus ab urbe,
 Perpetuam cuius laudem benefacta merentur
 30 In patriam, siquidem res incrementa sub ipso
 Publica promeruit, leges dum condit honestas,
 Et custos aequi, et pietatis amator habetur,
 Estque bonis tutor, facientibus impia terror.
 Benknerum misit praeclara Corona Ioannem.
 35 Nota viri pietas templique scholaeque ministris
 Illius, atque aliis, quos dura momordit egestas;
 Hos aere et victu nonnunquam et veste iuvabat.
 Bistricia missus Matthias Saxo vocatus,
 Recti adeo semper studiosus, vulgus ut ipsum
 40 Matthiam, norit qui dicere vera, vocaret.
 Schesburgo Paulus Bolkatsch cognomine dictus
 It comes, ingenio vir praeditus usque sagaci,
 Ut cum grammatices penitus foret inscius artis,
 Multa tamen poterat sermone referre Latino
 45 Dicta bene, ex usu tantum ipsi cognita longo,
 Interdum et doctos nodosis fallere gryphis.
 Denique Christannus Pomarius additur istis,

9 Ausonio W Ausonia
 22 Kõmõn E Kemény

4-5 Hybleas ut apes — cf. Sr 134—135

Quo non in tota regione notarius alter
 Doctior, et regni qui consuluisse rogatus
 50 De cura melius posset patriaeque tuendae.
 Hi sese insinuant regi, patriaeque salutem
 Eius tutelae dedunt, preciosa ferentes
 Munera de fulvo pulchre fabricata metallo.
 Rex praeclarorum motus virtute virorum
 55 Canicieque gravi, verbis habituque decoro,
 Omnia, quae peterent, successum habitura spondit.
 Quisquis adhuc fuerat de nobilitate superstes,
 Pannonicae gentis flos hic comparuit omnis,
 Regiaeque Ungaricis stipatur curia divis.
 60 Consona deposcunt procerum suffragia rexque,
 Ut Themesi ulterius teneat Lossoncius arcem,
 Sitque comes tutorque plagae murusque fidelis,
 Trans vada piscosae quam possidet accola Tissae:
 Solus enim tanti censetur idoneus, hostis
 65 Qui vires possit victrici frangere dextra.
 Idque usu notum, vix dum bene fervidus ensis
 Hastaque Bistonio tepefacta cruore refrixit.
 Laudis adhuc aures famam sensere recentis,
 Votaque magnatum in triviis sparsique favores
 70 Nondum animo exciderant: habet ingens gloria calcar,
 Eximia et crescit virtus ex laude bonorum:
 Ut saturata ferax foecundis imbribus arbor.
 Ergo magnificus quamvis non inscius heros
 Venturae cladis capiti instantisque pericli
 75 Torporem ob procerum, quos tempus perdere frustra
 Norat cunctando, auxilium dum ferre necesse est.
 Non tamen ob patriae detrectat adire salutem,
 Quae ferat eventus dubii discrimina belli,
 Pro patria quin vitam et regis amore profundat,
 80 Supplex hoc solum petit, ut cum coniuge prolem,
 Imbellem turbam, clementia regis amico
 Respiciat vultu, servetque favore paterno:
 Si visum id Superis, potius se occumbere velle,
 Quam dulcem patriam sceleratis prodere Turcis.
 85 Annuit optatis rex servantissimus aequi,
 Prolixo heroem verbis affatus amicis,
 Auxiliumque iubet sperare in tempore promptum,
 Turcica si rabies inimica paraverit arma.
 Quove minus dubitet, procerum fit vaivoda voto
 90 Dacorum Andreas Bathorus, quem sumptibus armat,
 Adversisque iubet regni succurrere rebus.
 Insuper Ungariam si Thrax invadere tentet,
 Aut natum, aut regem socios, promittit, haberent
 Absque mora belli, quorum res Ungara ductu
 95 Propitio insidiis et proditione careret.

Venerat huc cum fratre tribus non visus ab annis
 Maximus Aemilius patri, secumque ferebat
 In nostra nunquam visum regione elephantem,
 Quem dederat dono rex Lusitanus eidem,
 100 Cum gnata quando connubia laetus iniret
 Caesaris Ausonii: dictu mirabile monstrum.
 Vidi ego, prospiceret vitrea rex quando fenestra,
 Indicio pecus admonitum demittere sese
 Supplicis in morem regique decenter honores
 105 Exhibuisse, velut toto quem ex agmine nosset
 Summum, cui tribui reverentia debeat uni.
 Dentibus ex ima tellure revulsit eburnis
 Proceram et vasto praegrandem stipite quercum.
 Hausit aquam, longa quam deinde promuscide rursum
 110 In populum vomitu late diffudit agrestem.
 Hunc niger hamato cum ferro tunderet Indus
 Acrius, extarent ut adacti stigmata ferri,
 Non ullum vulnus reliquum surgentibus astris
 Nocte intempesta patuit neque vulneris index.
 115 Pollicitis abeunt magnis a rege refecti
 Ungariae proceres, spe sola adversa levantes.
 Prae reliquis, cui maius onus, Lossoncius heros,
 Incubuit, patrias propere remeabat ad arces,
 120 Coniugis alloquio postremo usurus amicae:
 Dilectisque vale extremum dicturus alumnis.
 Quem non blanda nurus potuissent verba movere,
 A coepto quibus est avertere saepe maritum
 Conata, aut lachrimae sobolis questusque profundi
 125 Servorum, post se quos ad tutanda reliquit
 Viscera, progeniem charam sociamque iugalem.
 Permanet immota mente imperterritus heros,
 Publica privato praeponere doctus amor
 Commoda et utilibus constanter rebus honestum.
 130 Iamque Themesvaro dux inclitus imminet agro,
 Lectorum iuvenum cuneo stipatus equestri,
 Quisque ducis nomen meruisset habere potentis,
 Ardua et ad quaevis dignus peragenda vocari.
 Undique visendi studio Themesina iuventus
 135 Circumfusa ruit, populique auditur ubique
 Laeta viri reditum vox excipientis ad arcem:
 Hospes ades gratus, princeps mitissime, nobis,
 Tu patriae pater es, tu libertatis avitae
 Vindex et morum pulcherrima norma bonorum;
 140 Tu legum custos, scelerum rigidissimus ultor.
 Ordinat, obsessis fore quae cognoverat usu,

123 questus W quaestus

131 nomen meruisset — Ov. Fast. II, 200

Omnia prudenter, quantum mora parva sinebat.
 Caesar at Odrysius vehementi percitus ira
 Ad Thamesum propter rem non feliciter actam,
 Quodque laboranti Ulmanno praesto esse negasset,
 115 Exuit officio Beglerum et honore ducali,
 Ac successorem bassam designat Amathum,
 Ad quem sic Caesar fremebunda voce locutus:
 I, pete Pannoniam, fatis melioribus usus,
 Urbibus et populis commune intendito lethum,
 120 Quicquid et est reliquum nostro servire repugnans
 Imperio, quo non toto orbe potentius ullum
 Et populo atque opibus pollet, cui denique Divos
 Successus constet toties tribuisse secundos.
 Arte leonina vulpinaque impiger usus
 125 Mancipium in numerum gravius constringe redactum.
 Expugna ante alias Themesinam protinus arcem,
 Illatamque meis illic ulciscere cladem.
 Nec populi interitu quidquam moveare cadentis
 Ante arcem, quando gravis oppugnatio fervet:
 130 Magna etenim magno non absque labore parantur.
 Dummodo Lossonzum ferrato compede victum
 Aut saltem ex humero caput illius ense revulsum
 Adspiciam, satoremque meos hac coede furores.
 Ullus ab incepto non te remorabitur hostis,
 135 Moldavi retrahent Dacos rigidique Valachi,
 Quo patriis exire minus de finibus ausint
 Laturos auxilium pressae violentius arcis.
 Ex alia arcebit Germanas parte phalanges
 Dux Alibassa potens, cui paret regia Buda.
 140 Nec desiste prius coepto, quam funditus hoste
 Deleto insigni victor potiare triumpho.
 Dixerat: imperiis ultro servire paratum
 Gestibus et verbis Amahatus bassa spopondit.
 Hinc centum armatis instructus millibus atque
 145 Sex decies petiit Themesina audentius arva,
 Obvia vel flammis gladio aut delere paratus,
 Ut simul Ungarico tandem cum nomine pessum
 Omnis eat populus, regioque subacta feroces
 Turcarum accipiat mores, ceu Graecia ritus
 150 Barbaricos sequitur cultu viduata paterno.
 Bombardae numero centum et ter quinque trahuntur,
 Certius ad metam doctae torquere sagittas,
 Cum digno in tanta et tali obsidione paratu.
 155 Iam prope constiterat Turcarum exercitus arcem
 Et populabundus per agros hinc inde vagatus

146 Amathum E Amhatum

175 petiit W petit / S ex petit in petiit corr.

Palantes aditu populos arcere laborat:
 Quando foris degens vicinas pervolat oras,
 Conquiriturque dapes, atque omnia digerit apto
 Ordine, queis cives pressi caruisse nequibant,
 190 Heros magnanimus, cui dum saeva agmina Teucrum
 Obsidione altam cinxisse innotuit arcem,
 Haud ratus ultra cunctandum, deliberat arte
 Qua tuto medios possit transire per hostes
 Solarique pios socios, absentia multum
 195 Quos afflixit heri desideriumque parentis.
 Tres secum famulos rheda ductabat eadem,
 Qui monuere ducem, ne saeva per agmina vectus
 Sponte sua accersat sibimet sociisque periculum,
 Quando extra possit multo felicius arcem
 200 Liber agens dubiae sociū succurrere sorti.
 Ad quos fatus ait: Non me revocabitis unquam
 Proposito, vel si subeunda pericula mortis
 Mille sient: etenim pro charis vulnus amicis
 Et patria acceptum decus immortale meretur.
 205 Arx homines quotquot tenet intra moenia clausos,
 Tot mihi filiolos illic superesse recordor,
 Quorum quisque suam putat ex me stare salutem,
 Dicor eis murus, populi servator, asylum,
 Horum vel minimum sceleratis prodere Turcis
 210 Infandum scelus est et atroci morte piandum.
 Illic, fatorum veluti decreverit ordo,
 Aut vivam, aut moriar. Quae me prius inclita tellus
 Pro patria immensos vidit tolerare labores,
 Haec eadem excipiet, gremioque exangue fovebit
 215 Post obitum corpus, cineri inferiasque parabit.
 Dixit: et albenti praecingunt tempora filo,
 Inque orbem tereti mitra redeunte capillum
 Occultant, Turcis similes armisque habituque
 Hostibus et mediis immisti hostilia torvo
 220 Ostendunt vultu, fictoque furore vagantur.
 Indicium longa hasta dedit venientis ad arcem
 Herois rubro reliquum velamine vincens:
 Erumpunt alacres famuli, dominumque receptum
 More triumphali Geticum duxere per agmen.
 225 Convocat extemplo cunctos ex ordine cives,
 Quosque allexit eo precium, stimulavit et ardens
 Gloria, quae bello victrici et Marte paratur.
 Hos affatus ait: Cari, mea viscera, fratres,
 Quae modo sit rebus nostris fortuna, videtis,
 230 Dum Thrax immanis nos obsidione fatigat
 Exitium vitae rebusque inferre laborans,

231 Exitium vitae E Exilium vita

Insignemque armis opibusque evertere gentem:
 Vos ergo decet esse viros, nec cedere pugnae,
 Publica namque salus vestris consistit in armis,
 213 Uxores, soboles araeque focique, parentes
 Illa, quam dabitis pugnando, sorte fruentur.
 Hostes ut numero, sic nos virtute valemus;
 Non ita quod pridem victoria parta probavit,
 216 Arvaeque caesorum spumantia sanguine Teucrum
 Et vix dum in cineres collapsa cadavera putres
 Contestantur: idem vos et maiora movere
 Pro patria impellunt et Christi nomine bella.
 Ex vestra fuerint, iuro, quaecunque salute,
 219 Me curaturum, communia utrisque manebunt
 Omnia in adversis rebus pariterque secundis.
 Si quos ambigui frustraverit alea belli,
 Tamque pia in caussa dederit succumbere letho,
 Martyrii capient coelesti in sede coronam.
 222 Protinus inter se populus coniurat amice,
 Et capita exitio, si sors id postulet, offert
 Pro grege Christicolum et sacro pro nomine Christi.
 Quingentos equites Lossoncius acer habebat;
 A campo nomen sortitus ad usque ducentos;
 225 Dat Gabriel totidem clara de stirpe Perenus,
 Sex decies Simon dictus cognomine Forgatsch.
 Tercentum Hispanos heros Don Gaspar habebat.
 Germani centum, Sclavi venere trecenti,
 Pixidibus docti fixam contingere metam.
 228 Tercentum Ungarici pedites: exercitus omnis
 Conductus precio aut Themesina lectus in arce,
 Constituit numero tria millia pene virorum,
 Si tamen a summa quingentos demseris ista.
 Ergo ubi dispersi volitabant moenia circum
 231 Turci, Christigenum gaudentes sanguine pasci,
 Protinus egreditur dux inclitus, atque lacessit
 Intrepide Turcas, qui vel venientis ab umbra
 Terrentur fugiuntque retro, caesique frequenter
 Irremeabilius subierunt passibus Orcum.
 234 Lux ubi quarta iubar spargebat Olympo,
 Accessit demum magna comitante caterva
 Dirus Amath, Stygio quem Daemona verius Orco
 Dixeris egressum aut Furiarum ex agmine monstrum.
 Fortiter effusis pulsantur moenia telis,
 237 Continuo tremūt omne solum, coelumque remugit
 Murorum ingenti propugnaclumque ruina.

246 quos E quas
 271 Amath E Amhat

270 magna comitante caterva — Verg. Aen. II, 40

Fumat ager picea circum caligine septus,
 Eripuitque oculis lucem; fragor horridus aures,
 Dirus odor nares (nimium res noxia) laesit.
 At contra cives magna virtute resistunt
 280 Hostibus, arma armis et pila minantia pilis
 Obiiciunt, graviterque pari pugnatur utrinque
 Marte diu, nunc huc, nunc lubrica vertitur illuc
 Ambiguo eventu ludens victoria belli.
 285 Hispani pugnam cum demum animosius urgent,
 Nicopolisque cadit bekus, selectaque passim
 Turba armatorum vitam exhalavit in auras,
 De muro pavidi relegunt vestigia Turci.
 Deficeret pulvis cum bombardalis Amatho,
 Bassa Anatolinus veniens alimenta ferebat
 290 Pulvere cum multo, desperatamque catervam
 Reffecit, et vires macie squalentibus addit.
 Dux ubi destitui videt auxiliariis arcem
 Armis et victu nervisque nomismate belli,
 295 Quod nec militibus stipendia menstrua fessis
 Solveret, inque fide firmos retineret avita,
 Denique sulphureo quod pulvere in arce carerent,
 Vade (ait ad scribam), fili dilecte, meorum
 Verborum interpres legatusque esto fidelis,
 300 Haecque meas famulis memora servantibus arces,
 Spem primam posuisse Deū, posuisse secundam
 Horum in praesidio vitae rerumque mearum.
 Ergo arces gazamque omnem et quamcunque supellex
 Possidet ampla domi, pro pignore, flagito, ponant.
 305 Aeraque comportent, quibus auxiliaria cogant
 Arma cito, mediaque iuvent in morte manentes.
 Haec ubi fatus erat, iuvenis non impiger, aequa
 Usus fortuna dum flammeus igne coruscat
 Aether, et horrendo quassatur terra tonitru,
 310 Nocte intempesta per Turcica castra profectus
 Orat opem, dominoque iubet succurrere, cui iam
 Exiquam praeter spem non spes ulla supersit.
 Certatim incumbunt operi, commissaque servi
 Effecisse student, mox ingens aeris acervus
 315 In fiscum herois pressam defertur ad arcem.
 Cumque hinc inde legunt, conquiruntque agmina, multi
 Confluxere viri, quos sors tristissima tanti
 Moverat herois, contraque armaverat hostem.
 Sed fuit optato fortuna noverca labori.
 Nam cum Thodt Michael paucis comitatus ab hoste

288 Amatho E Amhato
 319 Thodt E Thot

220 Obrutus inque fugam versus foret, occupat ingens
 Horror, et coepto reliquos desistere cogit.
 Arietat interea Turcus vehementer in arcem,
 Moenia prosternitque solo, per aperta frequentes
 Infusi loca caeduntur, retroque coacti
 225 Exululant, altoque trahunt vix vulnere gressus.
 Civibus haud quidquam vis obfuit improba Teucrum,
 Importuna fames adamantina pectora fregit.
 Auxilii cum spes obsessis nulla maneret,
 Difficilique fame nimium premerentur in arce,
 230 Ad summum unanimes convertunt vota Tonantem,
 Ut deploratis pergat succurrere rebus,
 Post tot militiae curas tantosque labores
 Defunctorum animas laeta ad consortia regni
 Colligat aeterni, vitae tribuatque coronam,
 235 Frigore quae nullo, nullo marcescit ab aestu.
 Festa dies aderat divo sacrata Iacobo,
 Cum Procyon foetos maturis frugibus agros
 Torret, falcigerosque gravi premit igne colonos,
 Postremo statuunt conatu invadere muros
 240 Hac ratione, velint periisse ut funditus omnes,
 Aut frustra toties oppugnata arce potiri.
 Bellicus exoritur vario certamine clamor:
 Tympana cum lituisque strepunt, ululatibus aether
 Arduus impletur, pavor undique et undique planctus.
 245 Cana velut virides dispersa pruina per herbas
 Mane novo obducit spatiosi iugera campi:
 Haud secus occisi crudeli vulnere Turci
 Sanguine spumantes texerunt ossibus agros.
 250 Ast insana velut cum fluctibus aequora turgent,
 Succeduntque aliis aliae sine fine procellae,
 Navita, quantumvis bonus excellensque magister,
 Mergitur attamen, et ponti petit ima profundi:
 Sic respirandi cum copia nulla daretur
 255 Civibus, exteriore urbis de parte fugati
 Urbem arcemque inter sita propugnacula prensant,
 Unde nec ulterius poterant procedere ad arcem,
 Ne sumptis animis vestigia flectere retro:
 Protinus immensum clamorem tollit Amathus,
 260 Quo suadet, nudam dedant ut moenibus arcem,
 Nec sint propositi posthac velut ante tenaces,
 Fortunae indultum sat virtutique fuisse
 Hactenus, at deinceps fatali obsistere legi
 Velle repugnando, sapientum haud esse virorum.

326 vis E vix

357 Ne E Nec

358 Amathus E Amhatius

365 Zanchyacum becumque fidem cum Caesaris offert,
 Uti erga soleat qua mansuetudine victos.
 Verborum tamen his nihil invictissimus heros
 Flectitur illecebris, muris infractor ipsis.
 Cum sic unanimi populus sermone locutus:
 370 Dedere arcem, quam cogit ineluctabile fatum
 Linquere, ter miseram nec tecum perde catervam.
 Ut fortes decuit, contra pugnavimus hostem,
 Nunc fortuna magis, ratio quam sana sequenda est;
 Armis emerito contenti simus honore,
 Interdum vincit, qui caute cesserit hosti.
 375 Non deerit nobis occasio iustior olim,
 Audaxque erga hostes animus maiora movendi,
 Diluet acceptum virtus animosa pudorem.
 Sollicito vulgi dux pectore verba volutans
 Ingemit, atque altum celat sub corde dolorem,
 380 Quam sit nulla fides Turcis bene norat habenda,
 Fallere Christicolae pietas quibus esse putatur,
 Quave fide, repetit, se vulgo obstrinxerit ante,
 Ipsis communem vitam cum morte futuram
 Promittens: sola hac motus ratione petitam
 385 Concessit Turcis princeps industrius arcem,
 Cum quater octo dies gravis oppugnatio durans
 Constantis fidei per cuncta pericula cives
 Vexatos arcem iam deseruisse iuberet,
 Inque unum septem sphaeratum millia acervum,
 390 Quas non infecto contorserat impetu ad arcem
 Agmen Cyclopum, passim collecta fuissent.
 Ne definito a Turcis dux exeat arce
 Tempore, frugilegi votis ursere coloni,
 Donec dispositis componant omnia plaustris.
 395 Si natale solum dulcem patriamque relinquunt,
 Plus iusto satis esse putant, subducere gazas
 Cuique lubet, Scythico ne fiant praeda furori.
 Suadebant istis alii contraria votis,
 Nimirum quibus ars Teucrum fraudesque dolique
 400 Constabant melius, nulloque in foedere constans
 Et diuturna fides, ne si cunctentur abire
 Temporis in puncto praescripti, foedera rupta
 Causentur, pactumque prius mora parva retractet.
 At dux, ima cui penetrabant viscera vulgi
 405 Vota precesque, diem producit ad usque sequentem
 Discessum, ac tepidis veluti gallina sub alis
 Exiguos pullos fovet, et comitatur euntes,
 Unguipedumque avium rabiem pugnando repellit:
 Haud aliter socios summo servare periculo
 410 Conatur ducis impavidi praesentia fida.

Mane novo iubet instructos hoc ordine cives
 Prodire, ut toto sint ipsi ex agmine primi;
 Parte ab utraque opibus currus gradientur onusti,
 Qui sint praesidio, si vim tentaverit hostis,
 423 Pone sequi pedites, medio manet agmine ductor,
 Ceu cor in humano consistit corpore, membris
 Distribuens reliquis motum vitaeque vigorem.
 Quinquaginta extra Turcarum millia stabant,
 Praedam expectantes rabidorum more leonum,
 424 Distribuuntque acies aliter, quam iusserat heros.
 Una parte locant cum curribus agmen inerme
 Indigenū, procul aque sequente cohorte sequestrant.
 It medios inter reliquo cum milite Turcas
 Undique ceu muro cinctus Lossoncius heros:
 425 Hinc Amath, inde latus Kazon claudebat euntis.
 Mox ex composito vis saeva paratur ephebis,
 Totus et infelix exercitus undique carptim
 Vertitur in praedam, coepitque molestius angi.
 426 Armiger hic domini iuvenis Thomoraeus ab hoste
 Vincula comprehensus subit exitiosa scelesto.
 Haud mora, magnanimus princeps incanduit ira,
 Ultroque ardentis accendit ad arma cohortes:
 Hic hostis periisse fidem pactumque videmus,
 427 Est operae precium, ne Marte cadamus inulti,
 Pro patriae vitam iussi finire salute.
 Nec mora, fulmineis invadunt ensibus hostes,
 Quaque ruunt, strages fit ubique miserrima Teucrum,
 Pugnando donec defessi vincula collo
 428 Accipiunt, pulchramque petunt per vulnera mortem.
 Ante alios tereti zanchyacum traiecit ense
 Dux, iacet ingratam multo cum sanguine vitam
 Eructans inter gemitus saevosque dolores.
 Saucius et multo iam vulnere tardus ad arma
 429 Zanchyaci demum laqueos incurrit avaros
 Heros illustris. Fera postquam pugna quievit,
 Ipsum terribili sermone affatur Amathus:
 Cur, immunde canis, diuturni tempore belli
 Ausus es invictis occurrere Caesaris armis
 430 Totque necare viros, quorum vel sanguine regnum
 Armipotens potuit, non arx haec una, parari?
 Cui dux intrepidus: Canis es; tibi dextera fallax
 Mensque parum fidei memor est, non foedera Caesar,
 Nec pacta ulla colunt, quos vestit purpura, bassae.

422 aque E a que

426 ex composito W excomposito

446 Amathus E Amhatus

434 ne cadamus inulti — cf. Ov. Fast. II, 233

Ante id si scissem, longe sub Tartara plures
 455 Agmine de Scythico misissem vindice dextra.
 Bassa furens regerit: Memori stat mente repostum,
 Sub iuramenti specie deceptus ut Ulman
 Per vos Lippensi veniens ex arce dolose
 Fas et ius contra spoliatus adiverit Albam:
 460 Illa parit vobis ingens iniuria damnum.
 Tunc dux, cui vocis dolor atrox abstulit usum
 Ex tot vulneribus, quo non moreretur inultus,
 Sanguine permistum violento phlegma screatu
 In faciem torvi proflabat ab ore tyranni.
 465 Mox bassae monitu caput a cervice resectum est
 Nobilis herois fama super aethera noti.
 Ossa domus celsae supra pinnacula figunt
 Denudata cute, at crepitanti stramine pellis
 Distenta ad magni defertur Caesaris aulam.
 470 Caetera pars, truncus, bibula tumulatur arena
 Hortatu bassae: virtus et in hoste meretur
 Eximium decus incorruptaque nomina famae.
 Hoc tamen illachrimans doluit crudelis Amathus,
 Quod non multiplici confossum vulnere vivum
 475 Caesaris ante truces valuit producere vultus.
 Ipse etiam Aenotriis heros huc missus ab oris,
 A campo nomen referens, furialibus armis
 Becum ubi truncasset, peltata per agmina currens
 Mergitur in Crisio gravibus depressus ab armis.
 480 Commemorant alii praesens fugisse periculum
 Hostile extra agmen cursu properante remotum,
 Sed cum Lossonzum captum aut cecidisse notaret,
 In vita voluit non amplius esse superstes
 Hoc aerumnarum socio vigilante perempto.
 485 Pugnam ergo renovans medios furibundus in hostes
 Fertur, ibique cadit flammantibus obrutus armis.
 Batyanus (vice in arce comes) Wolfgangus ab hoste
 Cruribus usque ad utrumque genu mutilatus acerbos
 490 Ante arcem reptans cruciatus pertulit, usque
 Dum pelagi Phoebus radios immergeret undis,
 Quove mori posset, cives sic voce precatur:
 Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
 Coniicite, o socii, aut crudeli absumite ferro,
 Quando aliter nequeo miserandam abrumpere vitam.
 495 Plebs urbana omnis sedes repetivit avitas,
 Iussa frui priscis cum libertate statutis.
 Bassa expugnata Kazon fit praeses in arce.

458 ex arce W arcet S arce

473 Amathus E Amhatus

471 virtus et in hoste — cf. LS 36

Hic quos praeterea truci inclementia Martis
 Heroes, dignos aeterna laude referri,
 Abstulerit pro aris iustissima bella gerentes
 Proque focis, tenui nequeo comprehendere versu,
 Opto tamen, vivant aeterna in sede beati,
 Militiaeque actae gravis immensique laboris]
 A Christo capiant aeternae praemia vitae.
 Illustres animae, quae dum pia vita manebat,
 In terris patriam saevo servastis ab hoste,
 Sacra fides vestro stetit inviolata labore,
 Vulnera vestra nitent radios imitantia solis,
 Martyras eximios inter dum ducitis aevum,
 Vivite iam coelo, meritis laus debita vestris
 In terris semper vestro cum nomine vivet.
 Omnibus, ut dictum est, hoc ordine rite peractis,
 Ingeminant omnes repetitis vocibus Alla,
 Alla colunt fictum quo numina vana Deorum.
 At rex Germanus, percepta strage potentum
 Delecta cum plebe ducum, deflevit amare
 Heroum sortem, quibus haud succurrere quivit
 Undique districtis obstantibus hostibus armis.
 Quo tamen eximios digna mercede labores
 Lossoncii regis clementia sacra coronet,
 Quas non ut proprias habuit dux inclitus arces
 Ante hac, sed tantum contra servaret ut hostem,
 Perpetua dedit uxori pro dote duabusque
 Ex ipsa genitis natis, unde illa mariti,
 Hae patris agnoscant virtutem ex munere regis.
 Difficile est dictu, quantos Baptista dolores
 Pertulerit senior gemitusque in pectore tristes.
 Continuo incusans Lossoncii funera fletu
 Et reliquū tristes obitus famulumque ducumque.
 Andreas Bathorus Dacorum vaivoda regni
 Indoluit multum, pharetrato obstante Valaccho
 Moldavoque levi, quod opem tribuisse nequisset.
 Quas coniunx lachrimas geminae nataeque dedistis?
 Quos planctus castis tundentes pectora palmis
 Ob patris interitum? Non amplius ulla voluptas
 Vos hoc terreno delectat in orbe morandi,
 Nec lubet aurato vestiri corpora cultu,
 Iam roseos vultus, imitantes ora Dianae,
 Ad gratos iuvenum componere taedet amores,
 Si quid vestra pium iuvisent fata parentem,
 Expertis nondum genialis gaudia lecti,
 (Virginei o rarum decus et duo lumina coetus!)
 Vel pro patre mori res non ingrata fuisset.
 Exigit innocuae iam coniunx turturis annos,
 Inque habitu nigro, consumpta dolore senescit.

Flagitat assiduis, lux optatissima, votis,
 Acceleret, dulces et amicas copulet umbras.
 Ungara flet tellus, flet Transilvania tota,
 550 Italus, Hispanus, Sclavus fortisque Bohemus
 Huius fata viri, cum quo respublica motu
 Christigenum concussa gravi est et passa ruinam.
 Arcem dum Themesi Thrax obsidione molestat,
 Interea Siculū Moldavus rura pererrans
 555 Flamma vastat agros, abigitque hominesque ferasque:
 Ac populabundus late circumdabat arcem
 Tartlen, cui Prasmar nomen gens Hungara fecit.
 Arx est Barcensi non ulla celebrior agro,
 Sat muris firmata lacertosisque colonis,
 560 Nec dulces alibi viva scaturigine fontes
 Ex terra vitreas eructant pulchrius undas,
 Hinc pisces, rubeis imitantes floribus aurum,
 Multos et magnos moderator arundinis haurit.
 Concutit ingentem telorum turbine murum
 565 Barbarus, et contra defendunt moenia cives,
 Inque fugam versos sternunt animosius hostes.
 Pone Ladislaus vicevaida secutus Idenffy
 Exonerat vita pariter praedaeque relictos,
 Multa quibus segnem reddebat sarcina cursum.
 570 Parte Alibassa alia, dissectis testibus Hoerelt
 Quem vocat Hungarico gens nomine, strenuus urbis
 Defensor Budaë, freta trans Titiae ampla manentis
 Pannoniae peramara lues crudeleque monstrum,
 Tigride mobilius foeta, violentius Austris,
 575 Acrius Harpiis, flavis incertius undis.
 Caesaris edicto motus vocat undique Teucrum
 Armatas acies, quibus Ungara vertere regna
 Subque iugum Scythici statuit misisse tyranni,
 Infractas quascunque arces urbesque tenebat
 580 Hungarus affinis contingens rura Poloni.
 Ergo movens multo stipatus milite signa,
 Vesprimum, claram laudatamque obsidet arcem
 Divorum ob cultus et sacri praesulis aulam.
 Crebra per octiduum vehementi saxa rotatu
 585 Fulminat ad celsas, arcis munimina, turres.
 Praefuerat Michael, cui Wass cognomen, in arce,
 Duricie a ferri constantia facta dederunt.
 Fortius infracta dum Turcis mente resistit,
 Complures Stygii truduntur ad antra barathri
 Continuo ad murum de pixide fulmine torto.

569 dissectis W disectis S diseictis
 578 Infractas E Intactas

590 Pectora complentur trepidi formidine vulgi,
 Seditiosa ducem adversus plebsque induit arma,
 Deiciens muro vexilla, insignia belli,
 Urbanisque manus incestat avara rapinis.
 595 Inde fugam clausa subito meditantur ab arce,
 Quos dux ut profugos altis de moenibus arcis
 Praecipitat, membris in partes Marte resectis.
 Post ubi conspexit discrimen adesse supremum,
 Cum gazis si bassa velit dimittere salvum,
 600 Sub iuga missurum promittit Caesaris arcem.
 Annuit optatis, et limina parta subintrat.
 Mox ex composito dimissum praesidis agmen
 Insequitur scelerata cohors, vinctumque reducit
 Omnibus exutum spoliis auroque rubenti
 605 Ante truces bassae vultus, cui crimen inustum,
 Desertis Turcis patrios quod adire penates
 Et cum Christicolis statuisset degere vitam.
 Bassa iubet Turcum, qui vinctum fune trahebat,
 Allisum terrae violento verbere coedi,
 610 Hac ratione scelus cupiens abolere patratum,
 Illic speque ducem detentum pascit inani:
 Sed manet infelix omni spoliatus honore,
 Aut Budae, aut alibi crudeles Bistonas inter
 Impia deplorans mendacis foedera Turci.
 615 Bassa dies Budae quindenos usque moratus
 Pannonios iterum cum milite permeat agros,
 Bellica multa trahens secum tormenta globosque,
 Ac arcem dura Dregel obsidione coarctat.
 Praecipuus custos, summus moderator et arcis
 620 Forte Georgus erat dictus cognomine Zondi,
 Quem patriae testata fides super aethera tollit,
 Ignavoque hominum coetu praestantibus aequat
 Secretum, quibus arma viris victricia nomen
 Et longum peperere decus vitamque perennem.
 625 Aethna velut rapido fervens exuberat aestu,
 Enceladi celebrata rogo: sic missa feruntur
 Arcem terrifico contra fera fulmina motu.
 Impetuosa cohors murum transscendere cursu,
 Pene solo factum lapsu graviore propinquum,
 630 Festinat, pereunt multi, retroque coactis
 Ferventes animi prima cecidere repulsa.
 Barbarus eversam sibi tradi postulat arcem,
 Utque ageret vitae curam propriaeque salutis
 Dux bonus, admonuit, cui talia reddidit heros:
 Sunt dilata diu nimium tua vota precesque,

635 Non fortis precibus miles, nec frangitur armis,
 Ut faciat dicatque aliud, quam suadet honestas.
 Ecce duos habuit iuvenes Zondinius heros,
 Horum erat officium domini vestigia passu
 Concomitante sequi mandataque obire iubentis.
 640 Hos quia ferventi nimium dilexit amore,
 Inter confertos occumbere noluit hostes
 Vique capi iniusta: quocirca convocat ambos
 Ac bassae donat, cupida quem voce precatur:
 645 Egregios animi iuvenes ad fortia facta
 Applicet heroum, discant ut ferre labores
 Militiae atque armis decus immortale mereri;
 Insuper et tumulo condi permittat honesto
 Zondini miserum post tristia funera corpus.
 650 Binos praeterea, quos sors inimica cruenti
 Implicuit belli laqueis, adiunxit ephebis
 Turcarum de gente viros: datur omnibus aurum
 Vestisque insignis, quo munus gratius exstet.
 Haec ubi cum precibus bassae sunt dona relata,
 655 Aurum et opes subito belli instrumentaque cuncta
 In cumulum congesta leves volitare per auras
 Et fluere in nihilum flagranti compulit igne,
 Nec non cornipedem mediam secut ense per alvum,
 Christicolae contra ne Turcus abusus iisdem
 Commodius pugnet, conatus integer heros
 660 In minima voluit nec parte iuvare Scytharum.
 Demum ubi devote vitalem flaminis auram
 In gremium Christi petiit post fata referri,
 Horrisonos inter strepitus cantusque tubarum
 Hostibus obseptus longa stetit arduus hasta
 665 Ante alios, pugnamque urget vehementer: utroque
 Cum pede laesus erat, pronoque attingeret arva
 Pulverulenta genu, non sternere desiit hostem,
 Donec pugnacem liquit cum cuspe vitam.
 670 Finis erat belli, captam Thrax occupat arcem,
 Offertur bassae Zondii sine vertice truncus,
 Cui caput inventum coniungi bassa decenter
 Imperat et digna duce tanto condier urna.
 Facta viri fortis veniens ut nosceret aetas,
 Picta cavum supra suspenditur hasta sepulcrum.
 675 Inde migrans reperit vacuas cultoribus arces
 Sag et Gyarmathium, quas absque labore subegit.
 Ulterius progressa Zoetchen pervenit ad arcem
 Titanum soboles, quam cum diffideret armis
 Posse suis trepidus defendi civis ab hoste,

664 stetit E petit

677 Zoetchen E Zoetehen S Szétsén

680 Prosilit, ac vitam cursu servare citato
 Nititur, a tergo veniens quem Turca secutus
 In partes misere falcato conscidit ense.
 Tam laetis Turcus fortunae cursibus usus
 Hollokö castrum collectis viribus ambit,
 685 Corvina nomen cui factum a rupe videtur.
 Hic duo praefuerant, quorum sententia dispar
 Visa, duces, quos dum discordia, publica pestis
 Et lethale malum civilibus implicat armis,
 Difficilem quamvis captu Thrax occupat arcem.
 590 Post quoque Buyaco simili ratione subacto,
 Praesidiis ubi firmasset loca adepta relictis,
 Cum plausu remeat regalis ad atria Budae.
 Quisque suae monstrans virtutis signa peractae:
 Fert caput affixum verubus sublime cruentis.
 495 Ante triumphales promiscua turba quadrigas
 It, rigidis cui vincta manus post terga catenis
 Non patrios oculis unquam visura Penates,
 Nec fratres sobolemque piam charosque parentes.
 Quove ipsi Mahometh pro re feliciter acta
 Ex spoliis grates et debita praemia solvat:
 Excruciant vario captivas tormine gentes.
 Pars tenet impactum lasciva per ilia ferrum
 A trabe sublimi pendens, cui vita dolorem
 Longa tulit, dilataque mors grave vulnus adauxit;
 700 Pars in frusta cadit grandi dissecta bipenni.
 Cum foret horrenda Mahometo coede litatum,
 Proque suis meritis miles decoratus honore:
 Mollia distendunt Asiano corpora luxu,
 Insignemque canunt nostra de plebe triumphum.
 Talia Teutonicas dum spargit fama per oras
 Tot fusos populos, eversas esse tot arces,
 Iamque exultantem spoliis armisque superbum
 Longe moliri peiora prioribus hostem,
 Rex Ferdinandus, cui res ea maxima cordi,
 705 Ungariaeque salus stetit imis fixa medullis,
 Cogitat, audacis nisi coepta represserit hostis,
 Pannone devicto Germanas saeva per oras
 Agmina Turcarum Rheni potura liquores;
 Quique foris vastet, mox intima viscera regni
 Teutonici ausurum ferro temerare nefando.
 Idcirco patriae memores propriaeque salutis
 Pannonas arma iubet contra producere Teucros.
 Milite praesenti atque auri cum pondere bellum
 Sic promoturum, ne possit iure reprimi.

725 Ductorem belli Matthiam deligit Ordeg,
 Cui feralis datum scelerato a Daemone nomen.
 Alter erat gentis dux Sfortia clarus Iberae.
 Huc equites peditesque ruunt, maiore cohorte
 730 Nemo brevi contra pugnavit tempore Turcas.
 Ast alios alii coëant, dum quisque morantur,
 Innectuntque moras, et commoda tempora fallunt,
 Distractas Alibassa acies cito praepete cursu
 Praevortens infert nil triste timentibus arma.
 735 Lucta diu partes fuit anceps inter utrasque,
 Usque cruenta feris favit victoria Turcis,
 Quali nec cuperent ipsi persaepe potiri:
 Victor enim aequali cum victo clade recessit.
 Matthias vinctus Riphæi ad Caesaris aulam
 Ducitur, et foeda succumbit morte peremptus.
 740 Dux Italus, sedecim censitus millibus aureū,
 Evasit laqueos Fernando lytra ferente.
 Lossoncii casu Matthiae et funere acerbo
 Omnibus incussus terror, via prima salutis
 (Evasisse fuga) certumque putatur asylum.
 745 A campo senior cui nomen fortia Lippae
 Nobilis et Solymos stupefactus moenia liquit
 Indefensa, ferox quae bassa ingressus Amathus
 Imperii rigido cives moderamine frenat.
 Assiduis votis Alibassa rogabat Amathum,
 750 Viribus ut iunctis Szolnocum Agriamque coronent
 Obsidione, omni siquidem dubio absque futurum,
 Ut videant ambas sine defensoribus arces,
 Aut adversantes domitos victricibus armis
 Caesaris imperio cogant servire potenti.
 755 Consilio bassae dirus consensit Amathus.
 Huc ergo versi toto cum robore belli
 Szolnocum dura premere obsidione parabant.
 Eminus armatas cives videre cohortes
 Candida per virides tentoria figere campos,
 760 Cum galeis hastas lunataque signa, tot ignes,
 Astra quot in summo scintillant cardine coeli,
 Quo mage perculsi cives formidine, cedant
 Sponte loco, turpique fugae committere terga
 Tentent, facta viris indigna illustribus ausi.

725 Ordeg E Ördög
 727 Sfortia E Sforzia
 742 Lossoncii E Lossonci
 744 Evasisse fuga E *unci desunt*
 746 Solymos WS Soylmos
 747 Amathus E Amhatas
 749 Amathum E Amhatum
 755 Amathus E Amhatas

765 Szolnoc praeses erat Nyari Laurentius arcis,
 Sexcentos alios decies cum quinque tenebat,
 Qui pariter valido munirent robore muros
 Pollutos contra furtis et coedibus hostes.
 770 Obsidio toleranda diu quaecunque poposcit,
 Non ibi defuerant belli tormenta globique
 Glebaque sulphurea, et quidquid mortalibus esca
 Esse potest, turres atque agger moenia circum.
 Unamines odiis turbans discordia fratres
 775 Diversae linguae fecit morumque catervam
 Distractos habuisse animos: pars una manere,
 Altera conatur profugo discedere passu.
 Turba gravi perculsa metu sub nocte silenti
 Proruit arce, fugam piceis caelantibus umbris.
 780 Tunc quae tuta petant, et quae metuenda relinquunt
 Incerti, quocunque fugae tulit impetus, urget
 Praecipitem populum, serieque haerentia longa
 Agmina prorumpunt, credas aut tecta nefandas
 Corripuisse faces, aut iam quatiente ruina
 785 Nutantes pendere domos: sic turba per arcem
 Praecipiti lymphata gradu, velut unica rebus
 Spes foret afflictis: patrios excedere muros,
 Inconsulta ruit.
 Dux etiam Nyari fugitivi turpe secutus
 Exemplum vulgi munitam liquerat arcem.
 790 Iamque aliquantisper progressus volvere coepit,
 Quam sit turpe viro forti statione relicta
 Praesidium quaesisse fugam mulieribus aptum,
 Quas molles nimium et natura creavit inermes.
 795 Ergo animo statuit loca pristina adire resumpto,
 Solus cumque aliis audendo animosius hostem
 Vincere, vel victus pulchro succumbere letho
 Nomen et aeternum praeclara morte mereri.
 Mane novo facti nil conscia turba patrati
 800 Moenia iam propius cursu tendebat ad arcis,
 Quos habeant visura animos viresque coloni.
 Ast vacuam inveniunt ubi defensoribus arcem,
 Acrius instantes transscendunt illico muros,
 Cumque viro forti dum praelia comminus urgent,
 805 Obsistuntque alii, quos dux revocaverat, hosti.
 Arx capitur duce capto, turbaque cuncta resistens
 Oppetit atrocis discrimina tristia mortis.

775 animos W animimos

778 piceis W picieis

786 patrios muros E patriis muris

792 fugam E fuga

779–787 Tunc quae ... ruit — Lucan. Phars. I, 490–498

810 Hac praeda exultat pubes Titania adepta,
 Turgentesque animos fastu ad maiora parabat
 Damna, manusque truces et atroci coede cruentas
 Totius belli cum robore cumque paratu
 Terrifico excipiat memorabilis Agria bello,
 Victaque Bistonio submittat colla tyranno.
 Ista quidem furiis gens exagitata feroci
 815 Mente volutabat, votisque petebat avaris;
 Nescia saepe suis fidentem viribus hostem
 Irridere Deum penitusque evertere, quicquid
 Molitur coeco praeceps audacia vultu:
 Quam leviter Boreas stridens immitior alis
 Per vacuum molles rotat hinc inde aëra plumas,
 820 Aut leve suspensae filum resecatur arachnes,
 Agria quod docet a rabie defensa Scytharum.

7. Liber quartus

De rebus ad Agriam gestis. Anno 1552.

5 Bella Gigantaeos imitata furore tumultus,
 Vi magna et Superum fraudesque dolosque repressos,
 Hungara quid virtus bello, concordia quidve
 Assiduo valeat coniuncta labore, minisque
 Nescia mens unquam diris et verbere frangi,
 Vulgus et assuetum monitis parere regentum,
 Numine divino fretus memorare Camoenis
 Incipiam: nostris Deus annue Maxime coeptis.
 10 Ut gentem Pharaon delere paratus Ebraeam
 Innumeros armabat equos currusque hominesque,
 Quos in Erythraei linquebat gurgite ponti,
 Et Dominum adversus meditatis excidit ausis:
 Haud aliter contra Christum progressa colentes
 Colluvies Mahomet retro pavitantia flexit
 15 Terga, illic caesa maiore satellitis ala.
 Quas tibi victori tanto pro munere grates
 Summe Deus referam? qua vestra encomia lingua
 Eloquar heroes? quorum non profuit uni
 Virtus vestrae urbi, nec solum Pannonas armis
 20 Reddidit immunes et libertate beavit,
 Sed tot communi populos sub morte iacentes,
 Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.

812 colla W collo

820 suspensae filum WE suspensa filum

arg. E: Argumentum: Res ad Agriam gestae anno 1552

19 vestrae W vestra

25 Ac Christi quotquot nomen coluere per orbem,
 Hac Mahometigenum funesta clade moventur,
 Ut contra pergant audentius ire Gigantes
 Robore confisi praesenti et numine Christi,
 Exuperant cuius mortalia robora vires.
 Mi licet ingenii mediocre nec adsit acumen,
 30 Deducamque humili salebrosum carmen avena:
 Attamen ostendam gratae vestigia mentis,
 Dum cano divina partos virtute triumphos,
 Accendoque alios, quibus uberiora supersunt
 Dona, Deum ut tanto pro munere laudibus ornent,
 35 Efficiantque, opus hoc memori celebretur ut aevo,
 Et toto maneat vivatque superstes in orbe.
 Agria non adeo praerupti in culmine montis
 Est sita, praecipiti fossa undique et aggere cincta,
 Clara sacerdotum Papae decreta sequentum
 Relligione, furens sacra dum venalia vulgus
 40 Miratur, fictisque Diis cumulabat honores.
 Nunc et in aeternum memoranda strage Scytharum
 Nobilis et fama totum vulgata per orbem.
 Vix scio Christicolas inter toto orbe cruorem
 Hostilem maiore siti felicius haustum.
 45 Nec capita in sulcis peplo turrita colonus
 Plura alibi curvo fodiens egressit aratro.
 Arx ea post Petri tristissima fata Perenni
 Fernandi subiecta iugo mansuescere cultu
 Coepit et in superas assurgere celsius auras:
 50 Namque fuit curae Stephani commissa Dobonis
 De Ruzska, heroi nulli virtute secundo,
 Sive togae reputes, sive aspera tempora belli.
 Ille viri fortis speculum, nomenque ferebat
 Militis, audentis graviora pericula mortis
 55 Pro patriis subiisse focis regnique salute.
 Franciscus datur huic Zay collega laborum,
 Consilio bonus et vir praestans fortibus ausis,
 Qui tamen ex iussu Szolnocum regis adivit
 Paullo post, ut ibi dux sit moderator et arcis.
 60 Hunc Stephanus Metskei mox in statione sequutus
 Fit socius tibi, magne Dobo, tecumque labores
 Militiae duos mensura dividit aequa,
 Et decus aeternum victricibus obtinet armis.
 Hos iurare duces rex sacra in verba coëgit
 65 Antistesque vigil templi Nicolaus Olahus,
 Quem penes est tacitae secreta includere chartae
 Consilia ac regi dare praematura roganti.
 Ergo fide obstricti promittunt omnia regi,

70 Quae fortes decuisse viros pia munia possunt,
 Quasque vices fortuna inimica vel aequa tulisset,
 Invictis statuunt animis perferre libenter,
 Donec vitalis ferat artubus aura vigorem.
 Moenia firmabant arcis, dum commoda pacis
 75 Tempora securis placidam tribuere quietem,
 Saxorumque orbes et quae super eminus hostem
 Tela petant, altis murorum turribus aptant
 Non ignava duces atque ocia prava secuti.
 Iam non obscuro vaga murmure fama susurrat,
 Quam nece crudeli Lossoncius occidit heros,
 80 Ac multas Teucrum rabies absorpserit urbes,
 Et procul exilio damnatos ire colonos
 Iusserit a patria, et plus quam servilia collo
 Vincla pati matres puerosque coëgit inermes:
 Hinc facile observant, quae sors mansura sit ipsos
 85 Ulterius, Furiae si sic impune vagentur,
 Nec quisquam opposito submoverit obice Teucros.
 Cum vero exiguis spaciosam viribus arcem
 Non satis ex omni munitam parte viderent,
 Mittitur ad proceres Metskei, quo sedulus oret,
 90 Contra communes ut eant audentius hostes,
 Et populum iungant, qui servet idoneus arcem,
 Communem patriae nidum, si ducere vitam
 Incolumes cuperent, si religiosa Deorum
 95 Tempia velint Mahometi a labe intacta manere,
 Et sudore frui partis, si denique mores
 Barbaricos nollent legesque subire nefandas,
 Quas inter pietas et honestas pulchra sepulta est.
 Ad quem Szixoviae tum coetus forte coactus
 Hungariae procerum morosa voce locutus:
 100 Quod si avido pingues hausistis gutture carnes,
 Iuscula nunc etiam, par est, ut amara bibatis,
 Si percepistis fructum, et tolerate labores.
 Cur humeros oneri placuit submittere tanto,
 Quod superet vestras adverso tempore vires?
 105 Hoc satis indigno responso nobilis heros
 Delusus remeat, fertque altum pectore vulnus.
 Praesidium ignavi sociis quia ferre recusant,
 Fidendum docet esse Deo, cui vincere iuxta est,
 Sive sit imbellis, seu praestans robore miles
 110 Pluribus aut paucis comitatus castra sequatur.
 Nil prius interea rex prudentissimus egit,
 Tempore quam quod opem maturo mitteret arci.
 Imperat extemplo, ut collectis undique turmis
 Heroes adeant Agriam, praesensque periculum

115 A patria et propriis cervicibus ense repellant,
 Si vitam cuperent gaza cum divite salvam,
 Et nomen clarum cum nobilitate tueri
 Vellent, id summum discrimen poscere belli,
 120 Hoc amor in patriam et reverentia debita amicis,
 Hoc regique Deoque fides iurata requirat.
 Primus erat Gaspar dictus cognomine Petö,
 Qui quater huc decies equites in castra ferebat,
 Zoltaus alter erat Stephanus, qui milite et ipse
 Multo succurrens vacuam muniverat arcem.
 125 Istis Gregorius quoque Bornemisza vocatus
 Additur, a vini quod prorsus abhorreat usu,
 Dux peditum fortis quinquaginta atque ducentum.
 Epperies, Chesmarck, Leitschovia, Bartpha, Cibenum,
 Chassa, Sarosch cultuque Varallia cognita Divum,
 130 Et comitis tumulo cui dat Zapolya nomen,
 Pixidibus doctos effundere tela Ruthenos
 Complures misere, quibus latera ardua circum
 Pendebant gladii oblongi lataeque secures.
 Tunc Dobo magnificus solerti indagine mentis
 135 Omnia rimatur, quae commoda noverat arcis,
 Accivit tredecim vicina ex gente chirurgos,
 Tres fabros ferri, lanios advexerat octo,
 Et qui triticea niveam de messe farinam
 Conficiant saxo versato hinc inde molari.
 140 De grege foemineo bis septem, cura coquendi
 Quis data panis erat, pueri matresque fuere
 Quadraginta et quinque una, quos arctior intus
 Obsidio clausit, quarum loca aperta ruinae
 145 Obstructa adsurgant operosis nocte lacertis,
 Craticiosque fimo corbes et pumice duro
 Completos, dulci vacuataque vasa Lyaeo
 Obiiciunt, sterilis turgentia pondera glebae.
 Litera missa venit per ineptum adducta colonum
 Praefectis Agriae supremi nomine bassae,
 150 Plebe duces coram quam cum vulgare iuberent,
 Hos imo patuit tenuisse in viscere sensus:
 Bassa Anatolinus, cui magno nomen Amatho,
 Quem penes est animum sapienti flectere voce
 Caesaris irati et motos sedare tumultus
 155 Sopitosque iterum ad notas accendere pugnas,
 Per mare, per terras populos urbesque subegi
 Caesaris imperio, toti pavor anxius orbi,
 Eximiis Agriae praefectis opto salutem:
 Vos ego in invicti persona Caesaris hortor,
 160 Re bene librata vosmet dedatis et arcem,
 Atque fores ultro venienti pandite bassae.

Si mea profectum lucrentur vota cupitum,
 Caesareum (iuro) prece conciliabo favorem
 Omnibus, intactae res vestrae et vita manebunt.
 105 Salva et ab antiquis libertas regibus arci
 Tradita durabit, vosque hoste tuebor ab omni.
 Utile consilium sin sanaque iussa furenter
 Negligitis: summi vos obruet ira monarchae,
 170 Mersosque immani mittet sub Tartara letho.
 His nihil illecebris invicta minisque movetur
 Heroum legio, sed atroces fortius audet
 Irridere minas ac insultare tyranno.
 Publica militiae decernunt commoda leges,
 Quas habuisse ratas truculenti tempore belli
 175 Porrectis spondent dextris, reverentia pacti
 Quo maior maneat, vulgique tenacius imo
 Pectore condatur, nec fas sit rumpere cuiquam.
 Humano illae ipsae scribuntur sanguine leges:
 Scilicet adverso si scripta adducat ab hoste
 180 Donaue fucatis quisquam suspecta loquelis,
 Illico inauditum cum scripto et munere misso
 In tenues abeat consumptus ab igne favillas;
 Alter in alterius ne sibila murmuret aurem
 Furtim, sed mentem vocali gutture prodat,
 185 Neve lacessitus quidquam respondeat hosti;
 Namque hominum blandis capiuntur pectora dictis,
 Aucupis ut dulci illaqueantur voce volucres.
 Hostibus obsessam qui dandam suaserit arcem,
 Sive minor fuerit, seu conditione supremus,
 190 Illius astrictum frangatur cannabe guttur.
 His ubi firmassent adamantina corda statutis
 Insidias contra vimque execrabilis hostis,
 Divina veluti latuere sub aegide tuti.
 Semivir extemplo pernicibus advolat alis
 195 Innumeris ductans famosum cladibus agmen;
 Hic Albae Graecae et quos Sinderovia nutrit,
 Turci aderant torvi, Segedinaque iugera frenans
 Imperio Kamberbekus Mustaffaque bekus;
 Hic et Araslanbekus et Halombekus habebant
 200 Agmina sidereas imitantia lumine flammis.
 Huc et, Amathe, tuas, dux implacate, cohortes
 Extrudis numero viginti millia quinque.
 Tantis exiguum cingunt legionibus arcem.
 Turritis campi radiabant aequora peplis,
 205 Quam procul humanus potuit pertingere visus.

182 tenues W tennues
 190 cannabe W canabe
 201 Amathe E Amhate

Quique prius strages late fecere seorsim
 Cum populis amplas delendo potentibus urbes,
 Invadunt unam modo iunctis viribus arcem.
 Tum Zoltay Petöque bonus Phigedusque Ioannes
 210 Cum Stephano Feketö cincta simul arce ruebant,
 Quos equites centum, quibus intermista pedestris
 Turba fuit partim, ferventi mente secuti,
 Comminus oblongis tentantes praelia contis
 Cum tereti clava falcato et acinace multos
 215 Teucrum ad Tartareos mittunt de gente recessus,
 Et charos praeda socios locuplete revisunt.
 Tres super acclives bombardas attrahit Alpes
 (Regia qua sedes vicinior imminet arci),
 Budensis praeses, novies et verberat ictu
 220 Arcem fulmineo, cumque opportunior esset
 Is locus ad cives turbandum glande sclopeti.
 Comminuunt, rapidae quaecunque incendia flammae
 Haud facile evitant, sublimia tecta domorum
 225 Templorumque ruunt, luxu domus ante superba
 Picturisque nitens nudato tegmine squallet.
 Haec ideo facies inducta inamoenior arci,
 Quo contra urgentes possint urgere sagittas
 Turcorumque globis crebros eludere iactus.
 Nec concepta pios spes cives ista fefellit,
 230 Artifici siquidem contorta labore Dobonis
 Tela rotas, moles quibus aenea fulta iacebat,
 Dissecuere, globis tormenta petita inimicū
 Dissiliunt, pariterque trahunt in fata magistros.
 Excubiae vigiles hinc inde locantur in arce;
 235 Unanimi sensu tenet intima tecta, cor arcis,
 Dux Dobo praecipuus, partes instructus in omnes
 Milite nutanti subito succurrere cornu.
 Exteriora alii triplici distincta tenebant
 240 Circuitu loca consilioque armisque potentes
 Heroes, quorum vigil in statione repertus
 Quisque boni ducis actaque militis ardua gessit.
 Aenea commissum tormenta vibrare Doboni,
 Qui longe reliquos illa praecelluit arte.
 245 Parte alia rabie non inferiore tonabat
 Arzlan bombardis ad divae virginis aedem.
 Prorumpunt iterum maiora prioribus ausi
 Heroes: Zoltay, Petö, Phigedusque Bayque
 Franciscus, quos dum numero praestantior ambit

209 Tum E Cum

211–212 quibus ... partim E *uncis includuntur*

215 Tartareos W Tartariis

247 Zoltay S Zoltay / Bay E Zay

lantzarum legio, atque dolos sensere paratos,
 250 Alata incolumes referunt vestigia ad arcem.
 Post triduum Furiis ducunt ultricibus agmen
 Constans Beglerbek et Daemone peior Amathus.
 Auctior adiecto fulgebat milite campus,
 Candida nil praeter tentoria praeter et hastas
 255 Et capita inflexis Teucrum circumdata peplis
 Aspexisse datur: non plures Ismarus uvas
 Aut tulit Hybla favos, nec habent tot Gargara messes.
 Fortibus ista viris quamvis inferre stuporem
 Agmina quivissent pomposo instructa paratu:
 260 Haud trepidat muro constantius agmen aheni.
 Ad sex usque dies portas non clauserat arcis,
 Postquam cinxissent truculenti moenia Turci.
 Tantum mens generosa potest assueta Tonantis
 Supremi robur Scythico perferre furori.
 265 Continuis tredecim resonant tormenta diebus
 Undique contra arcem valido vibrata tonitru:
 Dixisses isto coelum terramque ruinam
 Fulmine, laxata mundi compage, minari.
 Dux Dobo, cum reliquis paribus virtute catervis,
 270 Quae potuit propius proiecta allambere flamma:
 Tecta casasque humiles stabulariaque alta ferarum,
 Omnia cum foeni (comburi iussit) acervis
 Iniectum et madidis extinguere pellibus ignem.
 Interea trabibus palisque immensus hiatus
 275 Obstructus veteris redit ad primordia formae.
 Aenea nec cives tormenta remissius urgent,
 Oppositisque globis hostilia pila retundunt.
 Nil quicquam heroum cum ferrea pectora frangi
 Terribili bombardarum clangore viderent,
 280 Cum scriptis subito cinctam legatus ad arcem
 Mittitur, obsessos verbis qui mollibus oret,
 Ut dedant, fidei confisi Caesaris, arcem.
 Subiiciunt igni scriptum, fumoque perustae
 Chartae legati nasum implevere cavatum.
 285 Subdola dum nihil hac etiam gens promovet arte,
 Mente furens statuit deiectum ascendere murum
 Et victos penitus ferro delere colonos,
 Ut sua quemque ferox rabies ultrixque cupido
 Infestis contra gladiis armaverit hostem.
 290 Viginti arx fuerat, minus uno, obsessa diebus.
 Septem et viginti Turci legere cohortes,
 Quas alacri muros cogunt conscendere saltu,

252 Amathus E Amhatus
 264 perferre E praeferre
 272 comburi iussit E *uncos om.*

Ut capta insani bacchentur in arce licenter:
In tenues donec redigantur cuncta favillas.

Ex nostris dux, cui dederat vigilantia nomen,
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes
Aggere conspicuus; stat circumfusa iuventus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.
Cum sic orsus ait: Gens indomita Hungara, bello
Gentibus inferior nullis, censuque superbo,
Sola cruentatis occurrere comminus hastis
Ausa Getis invicto et Marte parare triumphos,
Hunniadis quod gesta probant, duo fulmina cuius
Viribus Europae: Mahomethus et asper Amurath
Devicti toties acie cessere cruenta.
Nos eadem maneat cum nunc discrimina belli,
Atque salus patriae nostris commissa sit armis:
Virtutis memores pugnemus strenue avitae
Contra abiuratum Christi pietatis et hostem,
Qui leges et iura abolet, cui maxima cura
Blasphema summum voce incestare Tonantem,
Quem potius Satanam carnalis imagine massae
Vestitum credas, orbis commune flagellum.
Horrendum immensa voce Alla Alla Alla boabunt,
Et numero plures venient armisque minaces,
Non animo bellum pugnaci urgere parati;
Proditione, dolis fallacique hactenus auro
Imperii late fines auxere scelesti.
Nunc animam veluti diversis artubus unam
Dum gerimus clausam, mensque omnibus una, vel hostem
Vincere, vel victos succumbere fortibus armis,
Arte mala falsi solita feritate remittent,
Cumque animis pavidis sub verbere mucro tepescet.
Dux pugnae est IESUS, nobis socia arma ferentes
Angelici summo fundentur ab aethere coetus,
Quorum praesidiis sumus undique ut aggere cincti,
Excutient in nos contortum missile ferrum,
Ut praeter vacuas nil verberet ictibus auras.
Quae vastum contra parvum Davida Cyclopem
Zebaothi manus instruxit victricibus armis,
Et Pharium regem rubri obruit aequoris unda,
Qui Iosuae pugnans Gedeonis rexit et ense,
Nos quoque pugnantes sacra pro lege iuvabit,
Cum volet ipse, etenim robur non desit avitum.
Inter pugnandum aeternas spectate coronas,
Militiae sacrae precium, vestrasque putate
Uxores natosque ad sidera tendere palmas
Atque opem et auxilium a vobis ceu poscere divis.
Si victi sub iura Scythae venietis iniqui:

329–330 parvum Davida — I. Sam 17,1–54

340 Vos vestra tota cum posteritate luetis
 Desertae patriae poenam, vos gentibus orbis
 Invisum cunctis et detestabile nomen.
 Aut merces hodie bellorum, aut poena paratur.
 345 Nonne mori satius, vitae quam ferre pudorem?
 Sic fatus, validis concussit viribus hastam.
 Stant avidi pugnae cincti radiantibus armis
 Tutores Agriae, prae se manifesta ferentes
 Signa animi impavidi, obfirmata mente parati
 Vincere vel mortis constanter adire periculum.
 350 Iamque aurora diem radiis praecesserat ortum,
 In castris fremuere examina murmure Teucrum,
 Amplexuque vale sumunt tribuuntque vicissim.
 Cum subito insonuere tubae clangore, strepuntque
 355 Tympana ferali stridentia murmure, et ingens
 Auditur fremitus Turcorum Alla Alla boantum.
 Appositis partim conscendunt moenia scalis,
 Pars ferro murum subvertere tentat acuto,
 Pars humeris subeunt, cratis veloque laborant
 Praetento murum fodientes reddere tutos.
 360 A tergo bassae magnis clamoribus instant,
 Collaudant alacres, impellunt verbere segnes,
 Pro fessis vegetos, pro laesis robur habentes
 In tam funesta cogunt succedere pugna.
 Intus in arce manens animosius arma repellit
 365 Heroum coetus, positasque ad moenia scalas
 Mox cum conscensis alto de culmine muri
 Praecipitat: primi lapsu attrivere sequentes.
 Desuper et flammis et magnae fragmine molis
 Et sudibus crebris et adusti roboris ictu
 370 Percussae cedunt crates, frustra que labore
 Exhausto fessus repetit tentoria miles.
 Atque ubi successus nullos sensere laborum,
 Dant cuidam blando scriptas sermone pagellas
 Praefectis sine momento ulteriore ferendas.
 375 Illi nec missam contrectavere papyrus,
 Verba nec (ex pacto) pergunt audire ministri,
 Sed cogunt partem legatum absumere chartae,
 Et reliquum quod erat subiectis urere flammis.
 Qui duro tandem demissus carcere scriptae
 380 Asseruit verba haec inserta fuisse liturae:
 Scilicet Arzlanbek, aliorum nomine bekum
 Bassarumque, Agriae dominos orasse benigne,
 Ut dedant arcem, nec atrocem Caesaris iram
 Illius blando cuperent praeferre favori.

372 successus **W** successu

345 Sic fatus — Verg. Aen. II, 50

155 Neve subesse putent fraudem, procul inde catervam
 Spondet ducturum, dum salvi ex arce profecti
 Ad tutas remeent sedes portumque quietum.
 Ipsos Lossoncii si mors indigna moveret,
 160 Cunctando scirent fatum cumulasse cruentum
 Armataque manu Scythicam invasisse cohortem.
 Arcem si vacuam linquant, radicitus imo
 Ex fundo versam velit extirpare, timeri
 Nec queat hinc aliquis violentior impetus hostis.
 165 Obtulit et se ipsum tantisper pro vade, donec
 Incolumes procul avecti loca tuta frequentent.
 Si quos signa sequi iuvet inclita Caesaris, amplo
 Se conducturum precio: sin tecta reverti
 Ad propria intendant animos, fore, munere ut aucti
 170 Laudeque multiplici decorati et honore recedant:
 Irritent porro si Caesaris arma potentis,
 Victricesque manus malint praeponere paci
 Oblatae, scirent victis crudelia quaeque
 Supplicia impendere necis plaustrumque malorum,
 175 Quantum nemo queat verbis memorare disertis
 Aut animo saltem satis evoluisse sagaci.
 Ad Turcas reditum dum differt nuncius, ira
 Commoti fundunt vibrata pixide grandes
 Assueta feritate globos, non moenia cives
 A iaculis immunes conservare valebant.
 Cum subito effosis sub humo latuere cavernis
 Missile securo spernentes pectore plumbum.
 Flagitiosus homo, Stephanus Citharaedus, et audax
 Repperit arte viam, qua proderet hostibus arcem.
 Namque is post primam duplicari omnino repulsam
 Menstrua militibus voluit stipendia Teucrum.
 Complures alios ea coniuratio cives
 180 Implicitos tenuit, iamque omnibus ultima clades
 Accumulata foret, nisi fraus scelerata laborque
 Impius aetherea virtute repressa fuissent.
 Proditor extra arcem veniam poscebat eundi,
 Ceu velut infestis cum Turcis comminus hastis
 185 Fortunae tentare vices victorque reverti.
 Detexere dolos alii, qui saepe notarant
 Per tenuem muri rimam excepsisse loquelam
 Turcarum atque ipsis responsa dedisse vicissim.
 190 Quare ad torturam raptus meditata fatetur,

385 catervam E catervas
 388 Lossoncii E Lossonci
 391 radicitus E radicibus
 407 vibrata E vibratos
 421 velut E velit

Quem de sublimi suspensum stipite foeda
 Morte necant, sociis mutilatae faucibus aures.
 Post oritur gravius maiusve priore periculum.
 430 In mediis etenim templi penetralibus ingens
 Copia sulphurei concepto pulveris igne
 Aestuat, ac imo mox fundamenta recessu
 Eiicit, ingenti sonitu penitusque revellit.
 Qua subita multae pecudesque virique ruina
 435 Obtriti pereunt, cives vehementius angit,
 Quod non, unde haec sint incendia, discere possunt.
 Intus adesse rati socios, qui turpiter auro
 Corrupti flammis tentent subvertere muros.
 Hoc insperato Teucrum gens omnis hiatu
 440 Excita confusum diro movet ore tumultum,
 Ocius et circum cursando moenia clamat:
 Vicinus, ambustum iam proruet agmen ab arce,
 Victorumque pati leges cogetur acerbis.
 At Dobo cum reliquis seu propulsare periculum,
 445 Sive mori digna nece forti heroë paratus
 Voce manuque armat socios, primusque ruentes
 Telorum ingenti cumulo de moenibus hostes
 Corporis atque animi mirando robore pellit.
 Quamvis viginti cum pulvere quatuor igne
 450 Vasa absumpta forent, nil decessisse ferebat,
 Quod toleraturis hostilia tela noceret.
 Hoc satis ancipiti victo domitoque periclo
 Caucasei fratres fossas implere profundas
 Contendunt sectis de duro robore ramis
 455 Saccis inflatis congestaeque aggere terrae,
 Quo fulcro innixi transcendere moenia possint.
 Ad fossam cives avertere iacta parati
 Cum pice succendunt sulphur stupamque comantem,
 Nutrimenta ignis, lateque incendia miscent.
 460 Materiem quibus iniectam exussere cavernis.
 Gregorii ante alios solers industria multum
 Profuit; ille etenim mortalibus abdita priscis
 Vascula in exitum mire fabricaverat hostis,
 Flammivomasque rotas picea pinguedine inunctas
 465 Per medios hostes rapido volitare meatu
 Compulit, exustae quibus interiere catervae
 Tot numero, Turci sint haec ut voce professi:
 Non opus humanis inventum viribus illud,
 Sed supera ostensum solis Agriensibus arce,
 470 Quem toties IESUM tremebunda voce vocarent
 Esse Deum, cuius (victoria) numine parta

439 insperato W in sperato
 471 victoria E *uncos om.*

Christicolis fuerit, non vanum et inutile nomen
Conficti idoli, falso velut ante putassent.

475

Hinc nihilo rabies Turcarum segnius ardet,
Arte artem cumulant, fraudem miscentque furori.
Iam sub humum occultas ferro excidissee cavernas
Pertentant sulphurque cavis ignemque latebris
Abdere, quo validi subvertant moenia muri
Dissultu, inque arcem per apertas ire ruinas
480 Victores possint victosque extinguere ferro.
At dolus hic etiam defensorum arte repertus
Viscera perterebrare soli petrosa coëgit
Igneque supposito fodienti occurrere turbae,
Quo dolus elusus reditu simul arcuit hostes
485 In terrae venis fumo flammaque necatos.

490

Conantur precibus, quos vincere Marte nequibant,
Sollicitare iterum: ne res et corpora perdant
In seipsos nimium crudeles, sed mage pacem
Accipiant certam cum spe maioris honoris.
495 Mulcibero missas pro more dedere pagellas
Heroes, visu indignas lectuque putantes.

500

Post aliam fraudem commenti blanda loquuntur
Verba ad inexpertum vulgus sermone Latino,
Ungarico partim, Germano Russiacoque,
Instabiles alias animos inflectere vulgi
Pollicitis magnis studia in contraria promti.
Vox ea Sirenum ne plebis personet aures,
Tympana ferali impedierunt murmure, et ingens
Inflatum cornu lituique tubaeque canorae
505 Heroum suasu resonare per aethera iussae.

510

Octobri bis sex exactis mense diebus
Bassae viginti compellunt octo cohortes
Oppugnare arcem, quae impigre iussa sequentes
Ingenti tentant conscendere robore muros,
Sed virtute ducum cedunt populique repulsi,
Vulnera nil praeter referentes dedecus atque
Turpe, infelicis iustissima praemia pugnae.

Postera lux rediit, procures vehementius urgent,
Extremum Teucris pergant finire laborem,
Iam fore victores, cum muri immensus hiatus
Hinc inde ingressum pugnantibus offerat ultro,
Confectos macie cives fractosque labore
Non gladios versare manu, non corpora posse
Amplius hostili (velut ante) opponere turbae;
Umbras, non homines vivos potuisse videri.
Inflammant alia cives ex parte cohortes,

Ultima sustineant durae certamina pugnae
 Pro se, pro fidei sociis arisque focusque;
 Momentum restare breve, in quo meta laborum
 520 Fixa sit, insignes post bella datura triumphos;
 Quid vires valeant inimicaque tela Scytharum
 Hactenus expertos, dum affecti coede cruenta
 Interiere fugae atrox cavere periculum
 Semineces: pugnae nunc nunc incumbere tempus,
 525 Quando Deus faveat coelestia et agmina coeptis.
 His avidi pugnae persuasi praelia tantis
 Continuant animis, prius ut lusisse putentur.
 Hic quoque foeminei vidisses agmina coetus
 Comportare strues lapidum et dare tela maritis
 530 Ac super hostiles multa vi spargere turmas,
 Quae furor arma dabat, celsi de culmine muri.
 Exoritur cunctis animosior impetus, et iam
 Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
 Incipiunt torquere, trabes decora alta domorum
 535 Deiectae Teucrum ceu fulmen colla premebant,
 Subsidiisque aucti pars altera promere ferrum
 Audet et infestis pugnam instaurare sagittis.
 Anceps lucta diu nimium fuit aspera utrisque
 Partibus, ante arcem caesorum corpora Teucrum,
 540 Sanguine luxuriante solo, procul arva tegebant;
 Intus ab inflicto ceciderunt vulnere cives.
 Est neque concessum salvos a clade manere
 Ipsis praefectis: manibus pedibusque cruentus
 Dux Dobo pugnabat; pugno violentius ictus
 545 Amisit Phigedus dentes ex ore molares;
 Dexterâ Gregorii telo manus icta volanti,
 Pöteus et Metskei saxorum fragmine laesi.
 Hos omnes plagis decorat perhonestâ cicatrix.
 At Deus et melior cum causa Agriensibus ingens
 550 Invictumque alto praeberet robur Olympo,
 Brumaque Riphæo stridens Aquilone rigeret
 Intolerabilibus permisto frigore nimbis:
 Marte fatigati longo cessere retrorsum
 Absque lucro Turci infinita incommoda passi.
 555 Amathum lachrimantem indignantemque locutum
 Praefecto Budae memorant: Cur me huius iniquae
 Infaustaeque ducem voluisti existere pugnae?
 Omne prius bello nomenque decusque paratum
 Infami aspersum macula modo concidit, aetas
 560 Diluet acceptum nec serior ulla pudorem.
 Tu vires falsis Agriae extenuando loquelis
 Caulam arcem dixti; paucos et prorsus inermes,

535 ceu W seu
 555 Amathum E Amhatum

Persimiles pueris intus residere colonos,
Qui nostri adventus famam tolerare nequirent.
Si mea quae spirant vere praecordia dicam:
Non tales unquam nos invenisse fatebor
Heroas, qui sic animis ferventibus ausint
Excipere et robur nostri contemnere belli.

Huius funestae fera post certamina pugnae
Hostili ex numero quidam sic ore locutus:
Vos ego laude reor dignos, quod fortiter arma
A patria et proprio repulistis atrocia collo,
Ludite victores, armisque abscedite tandem,
Hinc nos fata fugam moliri immitia cogunt
Trans Tanaim, patriaeque procul Maeotidis undas
Cladibus innumeris pressos et mille periclis.
Acceptam ulturi stragem veniemus, amoeni
Quando vere novo pubescent gramine campi.

Nec mora, succensis castris arva igne coruscant;
Maturare fugam certatim quisque laborat
Territus, immisso Superum de sede pavore.
Panduntur portae, iuvat ire et Turcica castra
Desertosque locos; hic arma relictā
(Sic celeri suadente fuga) praedamque receptam
Victrix sulphureo cum pulvere turba reportat.
Tercentum toto perierunt tempore belli
Christicolae, totidem numero quoque vulnera passi.
Tanta sed ex Turcis nunquam sunt agmina caesa,
Tristius ad fauces neque missa frequentius Orci.

Agria sollicito nimiumque pavore molesto
Exonerata Deo grates ex pectore toto
Exultans egit, divinoque omnia nutu,
Humana non facta manu, neque militis ense
Liberiore animo linguaque professa diserta est.
Millia bis sex tormentis emissa globorum
Composuere instar praecelsi montis acervum,
Bombardasque graves extorta ab hostibus arma.

Quatuor his ita dispositis misere ministros,
Qui nova vulgarent Fernando gaudia regi.
Ut vires Teucrum diuturni tempore belli
Fractae conciderint, Hunnorum ut maxima virtus
Fulserit in pugna, quam non fraus ulla minaeque,
Nec vis aut precium potuit depellere Teucrum
Recto a proposito patriaeque salutis amore.
His et inauratum vexillum traditur una
Budensis bassae, superati certius hostis

563 Persimiles W Persimilis

575 patriaeque W patriique

590 molesto W molesta

582–583 Panduntur portae — Verg. Aen. II, 27–28

Indicium, Scythicae et varia ornamenta catervae.
 Attulit ista pio legatio gaudia regi
 Maxima, ob id magno missos affecit honore.
 610 Donat et auratos, regale nomisma, florenos
 Centum cuique, rigens velutumque insuper auro.
 Hoc etiam laeto rumore refectus Olahus
 Aurea legatis donabat pocula faustis.
 Saxonicae princeps et maxima gloria terrae
 615 MAURICIUS, fuerat qui tunc cum rege Viennae,
 Hac fama laetus donabat cuique seorsim
 Centum Iochimica dictos a valle taleros.
 Interea Turcas pulchra legione secutus
 Ex Agria Stephanus Feketus, quo castra locassent
 620 Visurus gelidae duro sub tempore brumae;
 Propitiant Deo fugitivos fertur in hostes,
 Prosternitque alios, alios in vincula missos
 Divite cum spolio fraterna ad castra reportat
 Militis egregium nomen praestantis adeptus.
 625 Finis erat belli, Dobo dux industrius orat
 Regem, difficili varioque labore gravato
 Ad proprios liceat tandem remeare Penates,
 Quo reparet vires, dilectae et coniugis ora
 Cum charis videat natis, dulcique fruatur,
 630 Quem modo victori peperisset gloria, fructu.
 Metskius haec eadem votis poscebat avaris.
 Rex bonus, arx fido ne defensore careret,
 Sforciadum de stirpe satum succedere iussit
 Dux tibi, magne Dobo, simul ut tua fortia facta
 635 In defendenda miretur et arce sequatur.
 Sforcia iam claves Agriensis ceperat arcis,
 Dum sic Metskiaeum dictis affatur amicis:
 Te rogo per patriae et Fernandi regis amorem,
 640 Pristina per binos fer tantum pondera menses
 Officii, assuescam donec, qua debeat arx haec
 Arte regi, belli et quid tempore pacis agendum,
 Quippe ea te docuit rerum experientia rectrix,
 Idque tibi ad priscos magnum decus addet honores.
 Postquam transacti duo menses forte fuissent,
 645 Gregorius potator aquae provinciae et arcis
 Fit praeses, veteri quem dicunt nomine banum.
 Praemia militiae dederat rex ampla Doboni,
 Imperet ut Dacis, de septem nomina castris
 Qui modo nacta gerunt, intra silvasque morantur,
 650 Montibus aëriis, aequant qui sidera, cincti.
 Addebat pariter regni vexilla Quirinus,
 Prolixe et patriae commendans voce salutem,

640 assuescam W assuetam

Hortatur simili pugnet virtute deinceps
 Pro patria sanctaque fide regisque salute:
 Nec dubitet regem fidum fore semper amicum.
 Cui Dobo: Praesentem cupio sic degere vitam,
 Dulcis eritque mihi, si maxima gessero bella,
 Aut etiam moriar pro rege arisque focusque.
 Rex alios merita quoque pro virtute coronat
 Munere multiplici, quorum felicibus ausis
 Agria salva manet Dominoque volente manebit.
 Praedia largitur vili de sanguine cretis,
 Et celsis aequat ducibus, quos dextera victrix
 Ignavo a vulgo secrevit et inclita virtus.
 Nullus erat, durae caperet quin praemia pugnae
 Digna sat, umbratus civili tempora quercu.
 Metskei invidit soli sors aspera fructus
 Militiae dignos toleratorumque laborum.
 Cum patriae fines et dulcia viseret arva,
 Incidit in pagum, cui Warkon rusticus asper
 Attribuit nomen, vix ulli cognita sedes
 Ante nefas ibi patratum caedemque cruentam.
 Huc ubi delatus tenui stipante caterva
 Insuetum per iter, loca plena latronibus, ire
 Noluit auxilio comitum nisi septus amico.
 Agricolas orat, Baccho tum forte madentes,
 Addant ut comites deserta per aspera ituro
 In patriam, a coepto ne tramite devius erret.
 Illi indignantes inter se murmura miscent,
 Verba nec ingrati admittunt surda aure precantis,
 Sed magis extento cumulant convicia rictu,
 Quo probro affectum dira in certamina cogant.
 Dux importunis dum truncos vocibus urget,
 Intentatque minas et atrocia verbera pigris:
 Ex improvise praegrandem latro securim
 In caput herois valido libraverat ictu.
 Verbere post stratus subit atrae vincula mortis.
 Saeva viri clades et mors indigna movebat
 Multos, in sontes gladios strinxisse colonos,
 Ac scelus ulcisci funesta clade nefandum.
 Undique cognati veniunt, veniunt et amici
 Coniuge cum chara tumultum exangue cadaver.
 Inferiae patrio postquam sunt more solutae,
 Arce in Cepsensi mandatur corpus arenae,
 Divo ubi Martino sacra condita visitur aedes.
 Hic mea stet sicco tantisper in aequore puppis,
 Dum fera tempestas insanaque murmura ponti,
 Neptuno moderante fretum, feritate remittant.
 Tunc Zephyris iterum laxabo vela secundis,
 Ac primis maiora canam, melioreque Musa,

Confisus Christo, pertexam fortia facta
 Heroum Ungariae, si vitae longior usus
 Obtigerit, viridemque aetas matura iuventam
 Percoquat, et rerum maiorem ostenderit usum.
 705 Quod superest, summum peto supplice voce Tonantem,
 Auferat aut ultra fatalem proroget iram,
 Nostris commeritam vitiis, dum summus et imus,
 Neglecta pietate Deique timore supremi,
 Delitiasque turpes perituraque gaudia ventris
 710 Sectamur, poenasque inter ridemus atroces,
 Divinasque minas hominum figmenta putamus.
 At tu summe pater, nostri patriaeque misertus
 Ardentes odiis animos bellique tumultus
 Comprime, civilis satis est iam sanguinis haustum.
 715 Arcigeri teneant Euxini littora Thraces,
 Militet ad Rhenum laxis gens Teutona braccis,
 Nos inter quorum saevissima bella manemus
 Ceu manus imposita incudi, cui desuper ingens
 Malleus incumbit, pressamque gravi obterit ictu.
 720 Regem cum populo serva, defende, gubernas,
 Ut faciant dicantque tuo non dissona verbo.

8. Liber quintus

Anni 1552, <15>53, <15>54, <15>55, <15>56. Reditus Germanorum
 et Hispanorum militum in Germaniam, qui duce Iohanne Baptista
 Castaldo ad occupandam Transsilvaniam venerant

Postquam terribili fatoque peremptus acerbo
 Occubuit Monachus, Themesique arx alta maneret
 Turcarum subiecta iugo desertaque Lippae
 Moenia, Germani patrios repetisse Penates
 5 Contendunt, quos hic ferme altera foverat aestas;
 Sive quod insueto victu regionis et aura
 Corporibus minus ipsorum clemente videbant
 Maiorem sociū morbis periisse catervam,
 10 Quodque per Hungarici venissent iugera regni
 Aestate in media, duos cum fervidus urget
 Sirius agricolas, ubi parcis guttura lymphis
 Aegra siti relevare datum, quod rarus inundet
 Planiciem immensam viva scaturigine rivus;

709 Delitiasque ES Delicias
 Ad calcem libri W Finis libri quarti

arg. Germaniam M Transilvaniam

6–13 Sive quod ... rivus — Verg. Aen. III, 137–142; cf. RP II, 109–122

15 Seu quia non possent defectis sumtibus aera
 Promissa hospitibus stipulata solvere dextra.
 Irrita fallaci incidentes debita dica
 Perfidiam ob procerum, sitis implacabilis auri
 Quos ab rege data iussit fraudare moneta
 20 Lancigeram pubem privatoque abdere fisco.
 Adde, quod innumeris opibus Quaestoris onustus
 Ante trucidati Castaldus sponte paternos
 Arsit adire Lares raptoque in pace potiri.
 Denique regnicolae crebris a rege petebant
 25 Votis, retro vocet peditum ex regione cohortes,
 Velitibus missis, quorum foret amplior usus
 Eiusdem linguae cognati sanguinis Hunnis.
 Intulit impuros regno gens Teutona mores:
 Scorta sequi, summum probro incoestare Tonantem,
 30 Vulnera perque crucem Christi maledicere, stultoque
 Incaluisse mero, madidamque cruore machaeram
 Ob res saepe leves in viscera stringere fratrum;
 Huius inexplata ingluvies quaeque obvia victu
 Non alias notum in precium succrescere fecit,
 35 Quae mala adhuc hodie non emendata supersunt.
 Haud ea quod famam memoro traducere gentis
 Teutonicae cupiam, cuius vulgata per orbem
 Clara viget virtus: veris nam dedita sacris
 Numina vana Deūm pestem velut horret iniquam,
 40 In verbis factisque tenax candore refulget
 Sincero, hospitibus peramanter tecta ministrans.
 Quicquid et ingenium humana et solertia quivit
 Proferre in lucem, vitae quod serviat usu,
 Soli huic debetur, verae et virtutis alumnae;
 45 Degeneres saltem taxo, qui castra sequuntur,
 Moribus obscoenis noti vitaeque ferina.
 Hinc ubi propecti patriam loca grata revisunt
 Charos amplexuri exoptatosque parentes
 (Gens antiqua potens armis et ubere gleba,
 50 Ausonii domina imperii, si quod tamen usquam
 Restat adhuc Romae nomenque decusque prioris),
 Pars magis artificii, quam bello quaerere victum
 Sueta manu Iazygum septem dispersa per urbes
 Haesit, ubi egregias exercet et excolit artes,
 Foedus amicitiae sacra per connubia iungens
 Indigenis certam sedem posuitque manendi.
 Rex pius Aeneadam regni committit habenas

21 trucidati **Z** trucidalis

29 stultoque **Z** multoque

35 memoro **MZ** memora

44 qui castra sequuntur — Lucan. Phars. X, 407

Illustri fortique viro, quem Ruszka, Doboni,
 (Foedere connubii civilibus addita turbis
 Longa per indignū retinet cōmmercia mores)
 60 Patria progeniuit, quod nuper ab hoste triumphans
 Ingenti Ungariam terrore metuque trementem
 Pacasset, servans Agriensem strenuus arcem.
 Curarum datur huic socius graviumque laborum
 65 Hydropotes Paulus, summi qui praesulis Albae
 Officio gaudens oracula redderet augur.
 Franciscus pariter, stirps quo se Kendea coelo
 Tollit, et exultat genus hinc et ducere nomen.
 Praeter enim populos, quos constringebat acerbo
 70 Imperii nodo, thesauros dives habebat,
 Ingenteis opibus Pelopem, Croesum anteit auro.
 Tres hi delecta patriam cum pube regendam
 Accipiunt, ultro gens Transilvana capessit
 Iussa ducum, laetisque [ducum] fovebant omina coeptis.
 75 Arx est Bistricio nimium contermina tractu,
 Bethlenam dicunt, dabat haec tum sola receptus
 Imperium placuit quibus excussisse Dobonis.
 Magnifica hos inter de stirpe Patochius ortum
 Franciscus ducens cito milite sedulus arcem
 80 Munierat, fidensque loco contempserat hostem.
 Non tulit ulterius Dobo dux seu vaivoda regni
 Paucorum scissam studia in contraria mentem,
 Milite per regnum rauco mox aere coacto
 Cingit, et admotis bombardis atterit arcis
 85 Moenia, sublimes nutant cum milite turres.
 Wolfgangus tulit interea socia arma, paterna
 Sorte cui melior pars maior et obtigit arcis,
 Absternius, forma praeclarus et inclitus armis,
 Nec minus his animus sua defensare paratis
 90 Acer erat. Crebris hostilia castra sclopetis
 Dimovēre loco, discerptaque viscera in auras
 Hinc inde effusa de pixide glande volabant.
 Demum ubi murorum vix propugnacula cinctos
 Protegerent, rerumque gravis stimularet egestas,
 95 Deditur arx hosti. Praefectos compede vinctos
 Ausonium ad regem mittit Dobo, protinus unde
 In patriam rediens firmata pace quievit.
 Magnates per eos nihil est memorabile gestum

70 *marg.* M Anno 1553 obsidio Castri Bethleni per Dobonem in Transilvania

73 lactisque ducum Z lactisque

79 fidensque Z fisisque

82 Milite Z militem

84 nutant Z nutans

85 Z *versum om.*

87 Absternius M Absternus

90 discerptaque Z disceptaque

100 Amplius. Insuetis onèrabant censibus urbes
 Pastoresque sacros; lateque effusus amoenos
 Proculcabat eques sata laeta boumque labores,
 Ruricolos misere vexans ubi Saxona pubes
 Sedem habet, immenso victum consueta labore,
 Fraude sine alterius detrimentoque, parare.
 105 Sic fit, ubi plures dominandi munere functi
 Regna aliena tenent, rabidorum more luporum
 Depascunt miseram plebem, penitusque medullas
 Ossibus exsugunt imis et viscera nudant.
 Nec bene grex modicus multo custode tuetur.
 110 Occidit hoc etiam Franciscus Doctor in anno,
 Pontificum canones hominumque edicta docere
 Asuetus, Medjesch cui patria praebuit ortum.
 (Quam diversorum corrumpit cura cocorum,
 Iuscula quisque suo dum vult servire palato.)
 115 Is fuit et Muschnae divini pastor ovilis
 Voce tenus, non re, studiis addictior aulae.
 Est locus, indigenae Colosum dixere Monostrum,
 Clausenburiacae propior confinis et urbi,
 Huc ubi delatus cura vigilante pararet
 120 Ad Ferdinandum cursus intendere regem,
 Ut qua trans silvas regio sita lege, doceret,
 Commodiore regi posset: delubraque Divum
 Antiquo ritu desertae et cultibus arae
 Imbui honoratis cupiensque, volensque potiri
 125 Praesulis officio sacrumque antistitis Albae.
 Ante iter aggressum crudelia verba minasque
 Sparserat in vulgus: Patrias si prospera sedes
 Cernere fata dabunt, quaeque abdita pectore volvo,
 Vota ac effectum fuerint sortita benignum,
 130 Sacrificum uxores iuga sub truculenta remittam
 Pastorum, curvo fodiant ut vomere terras
 More boum, rigidis sic pressa licentia nodis
 Desinet, inque auras genialis flamma recedet.
 Sed Deus illius stultos compescuit ausus,
 135 Cursibus in mediis metam statuitque furori.
 Ante diem, quo iam compostis rebus abire
 Mente volutabat, tacitae sub tempore noctis
 Triste nihil metuens, sponda resupinus eburna
 Occumbens longos pulsabat pectore ronchos,
 Namque manu famulum fauces obstruxit et ora
 140 Turba ferox, vitaeque usum violenter ademit.
 Instinctu cuius facinus memorabile et atrox
 Sit factum, nulli licuit cognoscere certo.

105 rabidorum Z rapidorum

109 marg. M Obitus tristis Francisci vicarii Albensis et pastoris Muschnensis

127 dabunt M dabant

Suspicio interea est cum praesule laeva Dobonem
 Procurasse nefas; corpus miserabile templi
 Illius ante aram lapidis sub mole sepultum.
 Divitias rapuit proesul, nihil abstulit ampla
 Congerie ex tot opum miserabile vulgus amicū,
 Qui meritis fuerant consanguinitate propinqui.
 Sic propriis nimium qui fidunt viribus, atque
 Se contra posuere Deum, verbique ministris
 Illudunt, fato periisse videmus acerbo.
 Quique suis temere sufflati nisibus audent
 Coelicolum dictis factisque lacescere regem
 Turpibus, et sacris indicunt bella ministris,
 Horribili et tragica succumbere morte videmus
 Quotidie, tamen haud tragici fera pectora casus
 Percellunt hominum, iaculata nec aethere summo
 Fulmina, sive capax vel corruat orbis et Orcus.
 Hanc post Franciscus Forgathius abbatis arcem
 Imperio tenuit nutu clemente Iohannis
 Ungariae electi regis, quem munere tanto
 Ob decus eximium coluit virtutis et amplas
 Ingenii dotes, rerum quo praestat et usum;
 Oenotrias adiit propius lustravit et urbes,
 Ut varios hominum mores tractusque locorum
 Disceret, et Musis excultum pectus haberet.
 Nec spe frustratus tantum profecit, ut omnes
 Cognatae superet gentis varia arte coevos.
 Hinc divū auspiciis ad summos vectus honores
 Committit tacitis regni secreta libellis,
 Doctiloquo responsa ferens poscentibus ore
 Principis ex iussu: post hunc in honore secundus,
 Dii faciant, multus longo ordine sitque peritus.
 Interea nascens vitiata pestis ab aura
 Immani rabie, nulla arte obstante medendi
 Consilioque fugae, late depascitur urbes,
 Pannodacas tristi et miseranda strage cohortes
 Horrendo absorbens letho: quae creditur annis
 Viginti nostros temerare reversa Penates
 Plerumque ac multo saevire atrocius, ortus
 Si viresque malo trux det Moldavia primos.
 Saepius execranda lues ventura sinistris
 Omnibus praedicta fuit, fatumque dolere
 Visus ab insuetis rerum errans legibus ordo.
 Horribili primum tellus concussa tremore
 Sede locoque altas imo fulcimine turres
 Movit, et in planum magnos decurrere montes

168 coevos M coēnos

Praecipites iussit. Roseos caligine vultus
 Sol ferruginea obduxit, tam triste perhorrens
 190 Aspicere exitium; densantur in aëre crassae
 Atque putres nebulae, torpentia membraque somno
 Inficit attracta exitialis faucibus aura;
 Spectra quoque humanos ludentia inania sensus
 195 Functorum circa deprensa sepulchra vagari;
 Tristiaque ignavus ferali carmine bubo
 Fata querebatur, miseris mortalibus omen
 Dirum funereo ducens modulamina fletu;
 Nocturnique ululare canes per compita passim
 200 Auditi horrendum; tabesque miserrima primum
 Attonito pastore greges oviumque suumque
 Prostravit, iuga dum pascentes celsa pererrant.
 Exonerata semel speratis fructibus arbos
 Flore novo exultans poma immatura ferebat,
 205 Rubraque mense datum est Octobri cernere fraga;
 Serius et solito serpens seclusus ab antro
 Vulnificus viridisque latens sub vepre lacerta
 Buffoque stellatus maculis algore peribant.
 Arte malum cives furtim occultare volentes
 210 Pectora ne reliquū trepidus percelleret horror,
 Quattuor ex omni legerunt plebe maritos,
 Ut tabe infectos potuque ciboque levarent,
 Sanaque porrigerent vim contra pharmaca morbi:
 Nocteque sub coeca face non praeunte, sine ullo
 215 Splendore, inferrent exanguia membra sepulchro.
 Ast veluti rupto cum fuderit Aeolus antro
 Ventorum insanas acies, ruit effrena frenis
 Turba relaxatis, annosaeque robora silvis
 Ingenti strepitu summa radice revellit,
 220 Horrifer aut Boreas stridens immitior alis
 Flaventes viridi campo prosternit aristas:
 Haud secus invasit saevi vis ignea morbi
 Tecta domosque altas. Non sors, non obstitit aetas
 Cuiusquam aut sexus: silvis agrisque viisque
 225 Corpora foeda iacent, tumulo conduntur eodem
 Vir, mulier, pueri malasque intonsa iuventus,
 Fortis et imbellis, locuples pauperque, superbus
 Atque humilis, bene doctus inersque, urbanus, agrestis.
 Tum devota Deū pastor delubra subire
 Crebraque cum lachrimis suspiria fundere ab imo

192 attracta M attractac

195 Tristiaque M Tristitiaque

208 Arte Z Ante

225 intonsa M intona

215–216 cum fuderit Aeolus — cf. Verg. Aen. I, 81 sqq.

230 Pectore semianimi vulgo praesente solebat,
 Mitiget ut votis crebrisque precantibus iram.
 Numina magna vocans meritos indicit honores:
 Di prohibete malum, saevumque avertite casum,
 235 Et placidi servate pios. It scissa per urbem
 Virgo comas, iuvenum rapidos non amplius ignes
 Corde fovens moesto; non vox lascivior usquam
 Increpuit cytharae; non indulgere furenti
 Turba mero festas neque ducere visa choraes;
 Sed velut hiberno nimborum frigore laesae
 240 Impediuntur apes patriis excedere tectis,
 Pumice rimoso latitant et murmura miscent:
 Haud secus obscuris ignava per otia tectis
 Invisam tardo labentem tramite vitam
 Fallebant. Quosdam morbi vis saeva coëgit
 245 Sublimi cecidissee loco, vel funeris ense
 Esse sui authores, laqueoque innectere collum.
 Pars Furiis agitata aegros per devia gressus
 Lustra tulit, silvisque animam exhalavit opacis.
 Heu genus invisum morbi et lachrimabile fatum,
 250 Non charos uteri genetrix moribunda labores
 Pignora, non dulces vicinus adire propinquos
 Audebat, coniunxque virum, vir coniugem amatam.
 Hinc sparsae voces: utinam Mavorte cruento
 255 Tela inter mediosque hostes profundere vitam
 Pro patria liceat sacrisque et legibus, aris,
 Hinc decus et longos mansurum nomen in annos
 Surgeret, occasusque malum commune levaret.
 Dira lues late caepit diffundere vires,
 Praecipue quod opes, irritamenta malorum,
 260 Invexere domo, vitiatique tabe cubarent
 Strata super, partoque haeres tegetetur amictu.
 Ante alios foeto turgentes viscere matres
 Partu vicinae, innuptae puerique puellae,
 Aequantes oculis flagrantibus ora Dianae,
 265 Lethifero infectae fatum subiere veneno.
 Multi oculis capti vitam caruere per omnem
 Usura lucis, vestigia caeca regentes
 Errantesque gradus bifidae fulcimine furcae.
 Saevitia ex morbi iuvenes florentibus annis
 270 Tempora cana gerunt populataque crania villis,
 Dicitur ex lachrimis extremo in agone cruentis
 Virgo rigasse genas. Quis caetera denique fando
 Explicet? Aut planctu queat exaequare dolorem?

264–266 flagrantibus ... oculis *Z om.*

267 regentes *Z sequentes*

Pugnatum arte diu, varia et ratione medendi
 Vim morbi contra: ruta addita tristis aceto,
 Angelica et radix et pimpinella palato
 Ingesta, interdum et ceduarum credita putres
 Pellere vi nebulas, quaeque est pars ventris echidnae,
 Theriaca innumeris morborum accommodata telis.
 Vix ubi tabifica provincia peste quieuit,
 Immutare statum regni procerum inclitus ordo
 Indomitumque parat vulgus, vox omnibus una:
 Regia cum gnato coniux revocata revisat
 Altricem terram, regnique gubernet habenas.
 Id simul irata Solymanus voce iubebat
 Absque mora fieri: renuentibus irrogat atrox
 Tristeque supplicium certam patriaeque ruinam.
 Adde, quod imperium vaidarum immite coegit
 Aversos habuisse animos populumque ducesque.
 Auri sacra fames et opum furiosa cupido
 Fasque omne abrumpens, iniuria visque tyrannum
 Intoleranda premens immensa mole laborum
 Imperiis tandem casum fatalibus adfert.
 Ne vero Ausonio rege ignorante retractent
 Promissamque fidem fallant, aperire parabant,
 Quae per legatos rebus sit causa novandis.
 Hermannus ante alios fuerat scriba inclitus urbis
 Thomas Bomelius, praestans virtute fideque
 In patriam et meritis, coram sic rege locutus:
 Maxime Romulidum ductor, qui legibus orbem
 Hesperium cohibes, quem maxima regna verentur,
 Imperioque suo parent ac iussa facessunt,
 En tibi mancipio devincti nomine regni
 Huc missi, celeres ferimus commissa per auras,
 Non tua respuimus sine causa sceptrum rebelles,
 Iuratae memores fidei coelestis et irae
 Saepius immissae violata ob foedera regum.
 Nos toties scriptis verbisque minacibus urget
 Horridus Euxini crudelis et accola ponti,
 Eius ut imperii, te spreto, iussa sequamur,
 Quando is Pannoniam victor ferme occupat omnem,
 Vicinosque iugo frenet graviore Valachos

277 putres M Patres

284 Altricem Z Actricem

288 immite M immitte

290 *arg.* M Ao. 1556 regnum Transylvaniae a Ferdinando ad filium Ioannis regis deficit

295 Promissamque M Promissaque

302 *arg.* M Legati ad Ferdinandum missi exponunt causas defectionis

312 frenet Z fremit

290 Auri sacra fames — Verg. Aen. III, 57

Moldavosque truces, quorum undique cingimur armis
 Ceu fera in umbroso stipata indagine saltu.
 315 Nulla dies transit, nostris quin saevus ab oris
 Praedam raptor agat, ferro et flamma omnia vastans.
 Tu procul existens non tempore mittere iusto
 Arma virosque potes, legio vel si qua propinquans
 320 Turbatas cupiat defendere ab hostibus oras:
 Astu perfidiaque ducum, dare iusta negantum
 Praemia militiae, magnis revocatur ab ausis,
 Sicque perire fame vel turpi vivere raptō
 Cogitur, aut miseros promissis fallere cives.
 325 Hinc vox indigenū impatienti corde profecta
 Saepius auditur: Praestat tolerare Scythorum
 Atrox imperium, quam gentem aluisse voracem
 Plus nimium, cui vix regni suffecerit esca
 Uberis, ingluviemque queat satiare nec Ister
 330 Fluctibus in liquidi mutatus pocula Bacchi.
 Mente tenes memori, dum nostris miles in oris
 A te missus erat, quanto sit patria damno
 Affecta et gravibus terra Hungara pressa ruinis:
 Lippa, Themesvarum, Zolnok vicinaque circum
 Oppida Threicii fauces subiere tyranni.
 335 Est nec adhuc finis, neque meta modusque malorum,
 Tu nisi opem tuleris. Quare, rex magne Quiritum,
 Consule, quid sit opus facto! Si nostra tueri
 Fato obstante minus tecta irrequieta valebis,
 340 Nostrosque exhorres casus gentisque ruinam
 Praecipitem: rerum permitte invadat habenas
 Regia cum nato coniunx. Ea proderit olim
 Regno resque tibi forsā, connubia iungent
 Inter se quando tua filia rexque tenellus.
 345 Praestita utrinque fides, spes certa, uti fecerat ante,
 Dixerat. E celsa rex contra sede profatur:
 Non vestrum affecto regnum, velut ulla parentur
 Lucra mihi, magnam spaciosi legibus orbis
 Qui freno partem, vestri sed motus amore
 350 In libertatem regnum asseruisse volebam
 Faucibus ex Scythicis, dextraque potente tueri.
 Res ea constiterit quanto mihi summa labore
 Ac precio, nostis: vitam si mille per annos
 Exigerem terris, regni censuque quotannis
 355 Et reliquo reditu ex pacto de more potirer,
 Non tamen aequaret lucrum insuperabile damnum.
 Nil minus interea dum vel mihi sola superstes
 Vestis erit, nostramque vel unicus occupet arcem

314 in umbroso M inumbroso

346–355 Non vestrum affecto — v. Monumenta com. H. III. p. 546

Nummulus, haud modo dum temerarius abstrahat error
 Iusto proposito fideique tenore prioris.
 Caesare Turcarum pariter cum rege Polono
 Regalique nuru pactum de rebus iisdem
 Sancire institui, quo nondum rite peracto
 Durate, et rerum nihil immutate priorum.
 Postquam legati patrios tetigere Penates,
 Conantur procerum dubiique haerentia vulgi
 Pectora in obsequio retinere fideque priori
 Nec quicquam, pauci multorum exempla sequuti,
 Utile quod fuerat, magis antetulere decoro.

At Dobo Dacorum princeps et vaivoda regni
 Insidias metuens procerum confugit ad arcem,
 Quam dixere novam; vix hac munitior ulla
 In regione manet (Quaestoris condita sumptu
 Atque gravi cura, Monachi qui nomen habebat);
 Vel quia congesto consulte parceret auro
 Cultor opum, bellicque exponere nolle in usus
 Incertos; seu quod nondum promissa tulisset
 Nuncius aera, quibus se rex obstrinxerat ante
 Romulidum, gravis aut esset quod Kendius author,
 Qui pariter praeerat regno vice-vaivoda, motus,
 Divitior reliquis opibus vulgique favore.
 Illi quando parem non viribus esse videret,
 Maluit intra arcem latuisse et habere receptus.
 Obsidione premunt arcem, bis millia quinque
 Ex Transalpinis socia arma tulere Valachis.
 Dux fuerat belli Balassa animosus et astu
 Melchior insignis, summos qui victor honores
 Promeruit, toties Geticum quod fuderit hostem.
 Cuncta licet, suadet quae sors asperrima belli,
 Vique doloque ageret, nil promovisse valebat
 Incepto, cum non muris tam fideret amplis
 Virtuti ac propriae variis exercitus heros
 Fatis, divino semper praesente favore.
 Paulus et Absternius praesul dignissimus Albae,
 Qui fuit Albana praesul postremus in aede,
 Ob tennes regni reditus Cererisque Lyaeique
 E decimis quondam sacris pars debita mystis
 In nutrimentum regalis iure culinae
 Instituit, fisco subrepta pecunia Christo
 Saepe fit, humani tenuere quod ante plebani.
 Hic Gyaluensem obtinuit studiosior arcem;

359 Iusto Z Insto

369 marg. M Obsidetur Dobo in Szamos Ujvar

393 marg. M Bornemisza

400 Gyaluensem M Gjaloensem

Conciliante fide incolumis liberque Quiritū
Regis adit sedes, magnis ubi honoribus auctus
Thure calere facit Nitriensis episcopus aris.

405 Arx nova dum premitur dura obsidione, vocatur
Petrovius capiens reginae nomine regnum,
Ipsiusque loco dat iura, fidemque coëgit
Transylvaniacam firmam iurare cohortem.
Mittitur ex statibus legatio splendida regni
410 Regalem petitura nurum cum prole reverti
In regnum properet, fuit unde remota scelesti
Vafricie Monachi, solioque insidat avito.
Regia Sauromatū tunc in confinibus uxor
Exul erat, natique vicem casumque suorum
415 Exiliique moras gravis errorumque labores
Corde premens alto patrias aspirat ad oras.
Kendius ante alios magna comitante caterva
Nobilium fidi legati munus obibat,
Divite praecinctus cultu, quem deinde sequuntur
420 Saxonica de gente viri, quorum inclita virtus
Non regno tantum, sed late innotuit orbi.
Hic Augustinus, iudex primarius urbis
Hermanni, Hedwigus, reliquos qui rite praeibat,
Acer eques sapiens, maculosae tegmine lyncis
425 Corpore praecinctus, quem plebs pariterque senatus
Servatorem urbis patriae patremque salutat.
Heu atavi felix superesto memoria nostri!
Ipse Coronaea delectus ab urbe Iohannes
Ibat Tarthlerus, fortunae agitatus iniquae
430 Casibus, aspersos fraterna caede Penates
Natorum cernens facinus crudele suorum.
Ingenua MILES proficiscitur urbe Nicolaus,
Egregium exemplar verae et virtutis imago,
Iustitiae cultor, pacis studiosus amansque
435 Veri, non victum solitus conquirere damno
Alterius, pingues sulcabat vomere terras,
Iura simulque dabat priscorum more Quiritum,
Consilio promptusque manu Mediensibus ante.
Ex Scytulis Paulus cognomine Betzkus ibat,
440 Aevi maturus, non infima fama suorum;
Vaivoda trans Alpes habitans PETRASKO nivales
Caesaris edicto centum cum millibus idem
Radit iter; fertur, reginaeque obviis ultro
Quin et Alexander, Moldavae voivoda gentis,
445 Huc agmen socium pharetrata plebe ferebat.
Barbara progenies nostris fuit addita turbis,

411 insidat Z insistat

416 magna comitante caterva — Verg. Aen. II, 40

Ut prope Tokajum niveis tentoria velis
 Erigeret, validoque arceret robore gentem
 Germanam, faustis si forte resistere coeptis
 Reginae vellet salvumque vetare regressum.
 Heu genus invisum superis, quam millia tristi
 Multa dedere neci pecudumque hominumque rapinis
 Late infestantes loca, ubi seges ubere gleba
 Pinguis luxuriat, per amoenaeque pascua, campos
 Exhilarant ditantque suos armenta magistros,
 Qua sita Bathoraeae visuntur moenia stirpis
 Nobilitata tholis heroum et fata triumphis.
 Hic (scelus infandum) virtutis signa vetustae
 Dimovere loco, quae quondam maximus heros
 Bathoreus Stephanus Divum sacraverat aris
 Sospite pro reditu ex campis a pane vocatis,
 Sexaginta gravi cum Teucrum millia bello
 Fudisset, victorque nigrum misisset Avernum.
 Ossa nec in clausis requierunt mortua tumbis
 Inviolata: rubro sculptum de marmore saxum,
 Quod Bathoris cineres texit, tellure revulsit
 Horrida turba, velut cum sus lutulenta in amoenos
 Hortos inciderit, turpi atterit obvia rostro
 Balsama non inter violasque aut lilia servans
 Discrimen, betae precium cum vitibus aequat.
 Tempus erat, precibus cum iam persuasa potentum
 In patriam regina redire pudica pararet.
 Se comites sociosque viae praestantibus addunt
 Progeniti proavis forti de gente Polonūm
 Eximia virtute viri meritisque verendi,
 Quos inter Ligenza prior fulgentibus armis
 Cristisque ac cultu locuplete excelluit omnes;
 Hinc Tarlo, hyppophagos toties qui Marte Gelones
 Straverat, exuviis sese et sua signa sequentes
 Hostis munierat; sequitur simul ipse Procopus
 Et nitidis fulgens Sisinoskius acer in armis,
 Quosque referre mora est. Succedunt ordine longo
 Reginae fuerant qui sortem et castra secuti
 Adversam, rari fidei constantis amici,
 Czakius hos inter primus, Nizoffkius alter.
 Ut vero optati ventum est ad limina regni,
 Turba domi procerum fida in statione relicta

447 Erigeret Z Exigeret

453 per amoenaeque M peramoenaque

456 tholis Z thoris

460 marg. M Kenyér Mezeo

463 in clausis M inclausis

471 redire MZ reditum

Obvia fit regi fulgentibus aere catervis
 Ostentans hilares generoso in pectore vultus,
 Quam faveant reduci, gestu testantur et ore
 490 Plausuque immenso, quo terra polusque resultant.
 Heroes inter, tenera lanugine primum
 Coeperunt roseae cui tum pubescere malae,
 Bathoreus Stephanus, quem Somljo patria alumnum
 Terra tulit: virtute et nobilitate vetusti
 495 Stemmatis excellens, formosus et ore disertus
 Orsus ait: Faustum tibi felicemque precamur,
 Diva, diem, quo te salvam cum prole reductam
 Exilii post tot damna innumerosque labores
 Cernere posse datum; tua quam praesentia cunctis
 500 Grata sit, ex variis regionibus agmina pro te
 Missa docent, patrias reveharis ut exul ad oras.
 Heu quibus aerumnis et plus quam mille periclis
 Oppressi fuimus, pars florentissima bello
 505 Ungariae periit, tua dum placidissima iura
 Reppulit, et rupto peregrinas foedere gentes
 In regni ascivit sortem; nil usque relictum
 Staret adhuc salvum, nisi meta modusque malorum
 Inventus per te posuisset frena furori.
 Parce tuo generi, et propius res aspice nostras.
 510 Quod te, quodque tuum praesenti numine natum
 Respiciat, dexterque eius Deus omnibus adsit
 Coeptis, testatur Monachi tristissima caedes
 Quaestoris scelus ob grande infandumque patratum
 In te progeniemque tuam patriaeque ruinam.
 515 Nosti etiam, quam saeva lues pervaserit omnes
 Iazygum sedes, ubi tristi plurima letho
 Corpora magnorum misere periire virorum.
 His te cunctipotens voluit superesse periclis
 520 Illaesam tutosque alio dare in orbe receptus.
 Ut cum diluvii primaevum fluctibus orbem
 Obruit immensis, Divum pia iussa sequentem
 Tuta Noah fremitus inter maris arca vehebat;
 Et Sodomae tristes inter, pie Lothe, ruinas
 525 Tutus eras, alias sedes peregrinaque tecta
 Quando petis, iussus scelerata excedere terra:
 Sic fuit exilium requies tibi portus et error.
 Respice, diva parens, nostro et moveare periculo
 Innumerisque malis misera patriaeque ruina.
 Non tibi nostra fides deerit, nec amica voluntas
 530 Iussa capessendi, pro voto cuncta cupito
 Res tua succedet: proprio sat patria damno,

513 patratum M paratum
 531 sat Z stat

Sceptra sui regni peregrinae tradere genti
 Quam male sit tutum, sero didicitque videtque.
 Tu miseris sperata salus, tu portus egenis
 Regali cum stirpe manes divinaque nutrix.
 Talibus orantem vultu regina pudico
 Aspicit, obtutuque haeret defixa loquentis
 Ore oculisque, dehinc has rupit pectore voces:
 Vos, mea progenies, animis pugnacibus, Hunni,
 Aequandi coelo, quondam decus orbis et horror,
 Ponite corde metum: mea nam communia damna
 Corda movent, flectuntque animos: miserescimus ultro,
 Fert velut ingenium muliebre quietius atque
 Promptius offensas animo dimittere atroces.
 Non equidem sine mente, reor, sine numine Divum
 Longius a patria tantis erroribus actam,
 Ut propriis edocta malis confidere rebus
 Ambiguus melius scirem gentemque subactam
 Frenare imperio nimis inclemente deinceps;
 Utque Dei viduas erga miserasque relictas,
 Propitium in nobis animum mentemque benignam
 Testatum illustri exemplo quasi redderet orbi.
 Sic Pelusiacas divina puerpera in oris
 Cum nato errabat, donec ferus occidit hostis;
 Sic pius Amramides loca per deserta vocatum
 Haebraeum duxit caetum portumque locavit.
 Notus et exilio Iessides, notus Ulysses
 Et pius Aeneas, maior quorum inclita virtus
 Exilio, quam si exegissent mollibus aevum
 Deliciis tecti aeterna sine nomine nocte.
 Ite, sequar: placido concessaque pectore sceptra
 Accipiam penitus regno devota recepto,
 Dixerat. Ingenti testantur gaudia plausu
 Heroes, laetique omnes paeana canebant.
 Vidisses Hunnos immistis ire Polonis
 Et dextram dextris atque oribus ora decenter
 Iungere et aeternum sese inter nectere foedus.
 Multa, statum regni quae portendere sinistrum,
 Signa notabantur coelo terraque marique.
 Saepius insignem memini praedicere vatem
 Dulcia ad Albiacas modulantem carmina ripas,
 Qui tulit a nigra nomen tellure Philippum,
 Docta per inscriptum quondam monumenta suorum:
 Fausta minus pueri vel regno sceptra futura.
 Huius en ingressu pueri fervente tumultu

539 Hunni **Z** humi

575 en **Z** in

555–556 Amramides duxit — Ex 16

Bellorum multo rorabant sanguine campi
 Pannonici, nocuos gustantes auspicio ausus.
 Hactenus Ismarii iuga nondum passa tyranni
 Compita quam praeceps fatum secumque trahebant
 580 Exitium regnis minitans atque urbibus ignes,
 Agrorum aut pestem, mista cum grandine nimbos,
 Aut hominum tragicas corrupto sidere mortes.
 Coelo immane rubens paulo ante ardere comaetes
 Phoebi instar visus late et diffundere crines,
 585 Usque bis instabiles vaga luna retexuit orbes;
 Imo, quod est rarum, gelido dum tempore brumae
 Sacra redemptoris peragunt natalia Christi
 Christicolae: luna coelo radiante sereno
 Terrifico tremuit tellus concussa tonitru
 590 Coelitus, et tactae ceciderunt fulgure turres
 Illapsaeque urbes, rapuere atque oppida flammae
 Innumerae, quibus in tenues abiire favillas.
 Qui coeli arcanos scrutari et pandere sensus
 Percipiunt, hinc quos rerum casusque futuros
 595 Regnorum norunt properataque fata potentum;
 Talia praedicunt his respondere figuris.
 Urbs, quae Romulaeo celebratur nomine Gracchi,
 Sarmatici caput imperii commune magistris,
 In cineres partem ire sui moestissima vidit,
 600 Ante suburbana indigenae dixere Cleparchum
 Illius gentis lingua vulgariter olim.
 Ipsaque trans Titiae locuples Cassovia ripas
 Tota fere exusta est, leviori superstite parte.
 Nos propius circa, cultissima tecta Cibini
 605 (Delicium quondam veterum nostraeque Penatum
 Gentis inexpansae, colo quod ramusculus ipse et)
 Mulciber horrendo insatiabilis abstulit igne.
 Fama erat expositum spatiosis aedibus ignem,
 Aenea quod vetuit tormenta ex urbe moveri
 610 Indomitum vulgus, Petrovith poscente, novam arcem
 Queis petat obsessam, populos subigatque rebelles.
 Quin et legatos congestis undique saxis
 Plebs furiosa petit, magno et clamore per urbem
 Scomma per obscoenum diductis rictibus egit
 615 Debita poscentes in promptos iusta ministros.
 Hinc irritati sceleris tanti aere magistrum
 Conduxere cocum, famulus qui publicus audit
 Non minus hostis erat: Cuidam is dedit aera puellae,

594 quos MZ quoque

606 ipse M ipseet

613 petit M petiit

614 obscoenum M obscoenam / diductis Z deductis

Infandumque iubens scelus imperterrita patret,
 Crimine quae tandem vulgato triste subibat
 Supplicium, authoremque mali scelerisque magistrum
 Detexit: variis quem coeco in carcere poenis
 Ante diu tortum miserando occumbere letho
 Impia carnificis manus immitisque coegit.
 Improba dum scelus hoc patraret in urbe ministra,
 Diversis immensa locis tecta alta relucent,
 Dissiliuntque calore gravi, sublimia passim
 Moenia murorum tristi convulsa ruina.
 Lanigerae incensa pecudes procul urbe vagantes
 Sensere afflari rapidis sua vellera flammis,
 Tuta nec irriguis florens erat arbor in hortis;
 Praecipue vero decora inter avita superbae
 Urbis lignipedum tria monasteria fratrum
 Vulcano ingenti superante fragore ruebant.
 Tunc locus armorum bombardarumque receptus,
 Urbis et extremos servatae frugis in usus
 Igne domus superimposito periere vetustae.
 Suspicio est, istis etiam terroribus urbem
 Officio in prisco regem voluisse tenere
 Fernandum, aut fidei violatae ulciscier atrox
 Infandumque scelus; siquidem cocus ille Viennae
 Legatis fuerat sociatus ab urbe reversis,
 Sed pietas regis, virtus fuerat quoque tanta,
 Nullius ut damno mentem expleat ultor atroci.
 Postera cum roseis lux fulserat orta capillis
 Iamque solo turrez spaciosaque tecta iacerent
 Diruta, fumaretque omnis semiusta supellex,
 Nube diesque foret velut obscuratus opaca:
 Conveniunt tristes fremebundique undique cives
 Attonito flentes damnum irreparabile planctu.
 Pars adiit potior regalis iudicis aedes,
 Urbicolae vulgo Ruffum dixere Iohannem,
 In mediumque vocant: Neu quid formidet iniqui,
 Voce fidem iurant, extraque quod omne periculum
 Sit positus, liberque queat salvusque reverti.
 Vir miser officii cura graviore coactus
 Promissaque fide vulgi comitante corona,
 Vel ducente magis, per compita publica durum
 Calcat iter, propius misere vastataque tecta
 Aspiciens moesto premit altum corde dolorem.
 Demum ubi defessi errabant rudera omnia circum,
 Iamque domo propior iudex intrare pararet,
 Accipit a tergo inflictum grave vulnus, humique
 Sternitur exanimis, caput excerebrante securi.

665 Hinc pecus, indomitum vulgus latebrosa pererrat
 Tecta furens, summisque viris odia aspera movit
 Vociferans: decuit simili succumbere letho
 Et reliquos, qui urbi exitium et mala tanta tulerunt.
 670 Et iam saxa volant torta perniciosus hasta
 Grandinis in morem, missae striduntque bipennes
 In fugitivorum trepidantia terga virorum.
 Pileus his, aliis humero toga fluxit ab alto,
 Quos vectes vix et ferrata repagula tutos
 675 Servabant. Rudis a vulgi graviore tumultu
 Protinus infertur corpus miserabile busto
 Extra urbem (solita est quo turba ingloria condi)
 Splendore absque ullo, quo extremum munus amicis
 Praestatur, placide sine caede et sanguine summum
 Qui petiere diem, et quorum bona fama superstes.
 680 Utque nec alterius saeviret mobile vulgus
 Urbis in exitium, medio crux alta theatro
 Erigitur, meritas reus ut pro crimine poenas
 Admisso luat. Authores tam caedis acerbae
 Demum praecipui tres crudeli ense peremti
 685 Carnificis cecidere manu. Longe obsitus aevo
 Quorum unus fertur dixisse novissima gnato
 Verba haec illachrimans, iussitque ea mente reponi
 Alta ut depositum, utque animi pia signa paterni:
 690 Ne fidas vulgo, est varium et mutabile vulgus,
 Si tibi persuasum facinus commiserit audax,
 Poenaeque persolvenda venit, te deseret, atque
 Ultro accusabit, poenamque miserrimus, alter
 Quam meruit, damno solus patieris acerbis.
 Ille patris collum amplexus perferre paratum
 695 Supplicium optabat, crebrisque et vocibus ursit
 Sanctum obtestando, cui curae iura, senatum,
 Morte pio liceat vitam servare parenti,
 A quo principium vitaeque acceperit usum.
 Laudatus nati affectus, sed lege negatum,
 700 Insons ut sontis poenam pro crimine pendat.
 Ipse etiam iudex tunc Augustinus in urbe
 Hedwigus sedis, populo poscente, supremus
 Eligitur rector, vulgi qui coepta furentis
 Motusque insanos facundo comprimat ore.
 705 Res ea quam primum Petrovii venit ad aures,
 Tam tristem indoluit casum, iussitque repente
 Effosum duci rursum intra moenia corpus,

673 repagula MZ repugula
 680 alterius Z ulterius
 705 Petrovii Z Petrovithi

Delubrum in maius dignaque recondier urna
 Urbicolis cunctis magno et praesente senatu.
 Quo facto conversi animi, compressus et omnis
 Impetus, urbs veteres inter se iunxit amores.
 Fama fuisse necis tam dirae publica causam
 Sparsit Petrovium, multis quod iuvit egentem
 Sumptibus, ac duci tormenta tonantia ab urbe
 Suasit ad Ujvarum, Dobo qua residebat in arce.
 Iamque Colossensem variis cum gentibus urbem
 Regina attigerat pomposo invecta paratu
 Magnatum, regio quos huc diversa coegit
 Ferre gradus, patriisque reducere finibus actos
 Protinus accelerant, cuncti preciosa ferentes
 Munera. Regnicolae placido sermone precati
 Cum puero matri faustum optatumque regressum,
 His se resque suas dubiam patriaeque salutem
 Commendant, animoque ad quaevis iussa paratos
 Rebus in adversis pariter rebusque secundis.
 Longe aliis Saxo, septem qui possidet urbes,
 Munere praestabat: Nam Transylvania dives
 Quicquid habet laudis, seu munimenta locorum
 Magnificisque amplas erectas sumptibus aedes,
 Mundiciem aut intus videas bellique paratum,
 Sive opifex mira quae sedulus extruit arte,
 Hinc merito tribui debere ac posse fatemur,
 Hinc regale penu consuevit iure vocari
 Terrarum hic tractus, quod divite et ubere vena
 Arva ferunt Cererem montanaque iugera Bacchum.
 Ecce nova interea Dobo dux digressus ab arce
 Cum thalami consorte pia puerisque tenellis
 Armataque simul peditumque equitumque cohorte
 Ad patrios remeare Lares post triste parabat
 Obsidionis opus. Quod postquam innotuit aulae
 Regali, proprio cursu mittuntur, euntem
 Qui revocent, reditumque omni caruisse periculo
 Affirmant: Gabriel clara de stirpe Perennyi,
 Czerpius alter erat Nicolaus, praestantibus ambo
 Heroes armis, opibus generisque vetusti
 Laude excellentes. Regalia castra secutos,
 Hos ubi conspexit venientes, substitit heros
 Inclitus, illorumque ad verba precantia dixit:
 Non equidem mereor, tanti mea terga secuti
 Me revocent domini, puerum si mitteret unum

724 animoque Z animosque

732 Hinc Z Huic

738 cohorte M cohortes

739 patrios M patrias

Intemerata fides regis, vestigia prona
 Sponte relegissem, conspectumque ante tulissem
 Ipsius ora meosque oculos animumque serenum.
 (Huius ab exemplo discat quisque esse modestus
 755 Ex humili et tenui sorte ad maiora locatus,
 Nam pellucenti fortuna simillima vitro.)
 Protinus, ut dictam Dobo iussus venit ad urbem,
 Compede constrictus fas contra iusque iubetur
 Abduci inque nova custodibus arce tueri.
 760 Hunc tandem sceleri placuit praetendere finem,
 Fas citra abstulerit quod ahenae ab arce recedens
 Tormenta atque alios habiles ad bella paratus.
 Territa cum gnatis coniunx includitur arcis
 Devensi, largis humectans fletibus ora.
 765 Miles et illusus comitatus signa Dobonis
 Sedibus incertis actus Laribusque vagatur.
 Hoc in conventu nihil est laudabile gestum
 Praeterea, quam quod stabiliri quaeque petebat
 Natio, gauderet, veteres, quibus incola, leges.
 770 Omnia (si fatear verum) sunt rite peracta.
 Hoc solum dempto, crudelis et impia vox, quod
 Nobilium durum votum atque immane poposcit,
 Scilicet ut profugos liceat repetisse colonos,
 Quos domini importuna et iniqua tyrannis abegit
 775 Regali a terra, miserosque affligere stulto
 Arbitrio ceu non homines, sed bruta manerent
 Mancipia aut Scythici graviter captiva tyranni.
 Si cui sit natus, patriis qui finibus absens
 Duxerit uxorem, numerosa prole beatus
 780 Divitiisque auctus, vitam isthic degat honestam,
 Fertur ad invisas prius unde profugerat oras,
 Ni precio ingenti fuerit precibusque redemptus.
 Reddere mancipium quisquam si tale recuset
 Ad triduum, edicto regali et lege coactus
 785 Delictum emendat bis centum enorme florenis.
 Hinc miseris est nulla quies, nec meta laborum
 Speranda agricolis; privata negotia ruris
 Linquere et ad nutus servire iubentur heriles,
 Seu sit hiems durata gelu, vel solibus aestas
 790 Ferveat immodicis, Iove sub pecudum instar aperto.
 Agrestes faciunt operas discrimine nullo
 Temporis aut habita certa ratione dierum
 Festorum: molli vel tunc stabularia coeno
 Incrustant, leporem aut silvis sectantur opacis.

763 *arci* **Z** *arce*

781 *invisas* **Z** *invitas*

788 *iubentur* **M** *coguntur marg. iubentur*

795 Nec datur ulla fame ferme pereuntibus esca
 Ex domini locuplete penu, tam dura Molossos
 Vix sors exercet, cura est neque peior equorum.
 Vi magna obtrudunt putrefacti munera Bachi
 800 Ingenti redimenda stipe, horum si quis ab usu
 Horreat, et liquidas vicini ad fluminis undas
 Fuderit, ut stomachi exitium praesensque venenum,
 Nil minus ad sortem sibi quae cessere bibenda,
 Cogitur invita miser omnia solvere dextra.
 805 Bobus equisque suis nitida praepinguibus alvo
 In stabulis parcunt, alienis dura vehentes
 Pondera iumentis, quorum vix ossibus haeret
 Attenuata cutis, vixque ilia languida ducunt,
 Consuetos praeter quae ferre gravamina census
 810 Coguntur. Tandem plenis ubi nubilis annis
 Filia vel coniunx habitu polienda superbo,
 Non ita stellatis ales Iunonia pennis,
 Haec velut incessu molli lasciva, superbit.
 Nec modo nobilitas, rude et intractabile vulgus,
 815 Virtutum exemplis (quod nobilitatis avitae
 Fons et origo fuit), sed foedo excellere luxu
 Saevitiaque parat, priscos imitata tyrannos.
 At vos, aethereo qui semine ducitis ortum,
 Heroum soboles: vestrorum nomen avorum,
 820 Aeterna decus et partum virtute tueri
 Pergite, ne vestro se degener ordine iactet
 Filius atque nepos, maculis infamibus ausus
 Obscurare suae decora immortalia stirpis!
 Non supra vires miseros onerate colonos,
 825 Meta sit atque modus graviorum fixa laborum!
 Quid prodest homini, si totius occupet orbis
 Divitias, ac pro voto potiatur iisdem,
 Nulla salus animae quod si neglecta supersit.
 Cernitis, ut pereant vetitis bona parta rapinis
 830 Furum et praedonum. Non illis tertius haeres
 Gaudet, et exutum spoliis affligit egestas.
 Ut cum piscis edax, avido simul ingerit ore
 Insidiosa cibus aera occultata, sibique
 Perniciem accersit, grave et insuperabile damnum,
 835 Haud secus aerumnas mille et genus omne malorum
 Accumulant sibi, qui cupiunt ditescere damno
 Alterius, vi sive dolo vel id accidit astu.
 Quid vasta celebres membrorum mole Gigantes
 Saevitiaque animi meruere tyrannide plebem

799 ab usu *M* abusu
 825 prodest *Z* prodesse

825 Quid prodest homini — cf. Marc 8,36

840 In miseram? Oppressi subita periere ruina,
 Horridus e coelo dum defluit imber aperto
 Fluctibus involvens hominum genus atque ferarum.
 Quas Pharaο mediis poenas luit improbus undis
 Saevitiem propter, nimium inclemente subactam
 845 Quod gentem imperio premeret! Crudelibus ausis
 Quid Nero, naturae monstrum deerrantis et urbis,
 Pernicies meruit? Felix et praedo subacti
 Orbis Alexander? Nonne omnia tempore parvo
 Cum gemitu et lachrimis sunt linquere rapta coacti?
 Occupat arca lucrum, mala mens sibi conscia damnum.
 850 Vera loquor, nimium si pondere pressa tyrannum
 Plebs gemat, ac supplex ultricem numinis iram
 Provocet in sontes, patulas Deus aure querelas
 Excipit, adversos illius et opprimit hostes.
 Regnorum hinc oritur mutatio plena periclis
 855 Innumeris, patrio rubet incoestata cruore
 Dextera, iura silent, manibus rapiuntur avaris
 Sudores inopum, Geticis vel Thraces ab oris
 Sub iuga cum dominis mittunt crudelia servos.
 Foecundae est similis pluviae, praepingue riganti
 860 Rore solum (princeps populi nutritor egeni)
 Veris in exortu, siquidem tunc floribus omnis
 Arbor ovat, foetoque viret nova germine tellus
 Anxia sustentans operosi vota coloni:
 Sic herus in plebem cum non dominatur acerbe
 865 More tyrannorum, pietas, pax aurea, leges,
 Divitiae, favor ingenuus, reverentia crescunt.
 Contra, ceu penetrans, quod proterit omnia, fulmen,
 Est populo immittis misero petulansque tyrannus.
 Nota est, ac valde his accommoda fabula rebus.
 870 Aeris inops mulier gallinam forte tenebat,
 Foecundo auratum quae viscere protulit ovum
 Quottidie. Nurus unde domum pascebat egentem
 Defectu absque ullo mediocri vivere gaudens
 875 Frugali et sumptu; sed postquam immensa cupido
 Atque fames animum stimularet et ureret auri,
 Uno momento cupiens ditescere, vita
 Auriparam privat volucrem, scrutatur et intus
 Plurima, quae foeto latuisse putaverat alvo,
 Ova simul: verum voto delusa sinistro,
 880 Non ovum, nec avem possedit avara deinceps:
 Sic bona qui rapiunt simul et semel omnia tristi

852 in sontes M insontes / patulas Z patula
 867 proterit M poterit

869–880 accommoda fabula — Aesop. 58; 59; Av. 33; Heltai: Fabula 95; cf. cum verbis Caroli V-i de Henrico VIII-o dictis (Marczali: Világt. VII. p. 311)

Lege subactorum, sibimetque suisque supremam
 Ducunt pauperiem, atque fame vexantur acerba.
 Ergo agite ante alios, quibus est concessa potestas
 885 Subiectam in plebem, legum melioribus illam
 Frenate imperiis, ne vos gravis ira Tonantis
 Obruat, et faciles clamantibus obstruat aures.
 Et patria extorres Euxini ad littora ponti
 890 Submoveat Scythici iuga sub truculenta tyranni,
 Unde pari affecti poena damnoque malisque
 Non unquam proprias reduces spectabitis oras.
 Aspera si quenquam mea vox et libera laesit,
 Det veniam, quaeso, recte utiliterque monenti,
 Nam volo, sit nostris stabilita licentia dictis,
 895 Effrenis vulgi haud, quod vel dominatur acerbe
 Imperii celsi summa ad vestigia vectum,
 Aut immiti adeo demisso pectore servit,
 Ac veluti sonipes, cum frena soluta remissum
 Excutit aurigam, celerique per arva volatu
 900 Fertur, et evertit volucrum cum pondere currum:
 Effera sic pubes, quam legum nulla coercent
 Vincula, nec monitis sapientum paret honestis,
 In proprium ruit exitium, sibi causaque damni est.
 Iustitiae, moneo, sacras praeceptaque leges
 905 Quilibet observet, nimium non imperet asper,
 Nec nimium facilis agresti indulgeat irae.
 Bis sex zodiaci Titan per signa vagatus
 Labentis spatium cursu signaverat anni.
 Moestus adhuc miseri Dobo carceris antra tenebat
 910 Spemque metumque inter curarum fluctibus aeger,
 Ne Galatam missus, metuit, claudatur in alta
 Turre, Nigri circum quam littoris alluit unda:
 Inde velut Stygio nunquam rediturus ab Orco.
 Coniugis indigna et natorum sorte movetur
 915 Tempora fortunae volvens exacta faventis
 Tantorum misera cum conditione malorum,
 Infelix superat alios dolor ille dolores,
 Si quis in adversis bona perdita mente volutet.
 Ergo animum mentisque aciem sensusque sagaces
 920 Intendit, quonam laqueos evaderet astu.
 Forte puer domino curans mandata minister
 Iunctus erat, qui forte dapes et vina solebat
 Vel mollem stravisse torum aut accendere flammam.

883 fame **Z** fama / vexantur **M** vexatur

886 Frenate **M** Frenante

897 immiti **M** inniti

912 alluit **Z** aluit

915 faventis **Z** foventis

925 Is cameram subter, Dobo quo captivus agebat,
 Esse domum advertit, Cerealia munera servis
 Suevit ubi partiri et edulia caetera pistor.
 Hanc saepe ingressus longo deprenderat usu
 Non adeo angustam rima tenuisse fenestram,
 930 Per quam posset habens nimium non corpus obesum
 Elabi in fossam, quam si superare natando
 Detur, posse nihil temeraria coepta morari.
 Haec ubi herus didicit, mira instruit arte ministrum,
 Extra nonnunquam semotus ab arce vagetur,
 Ceu recreans animum, celeresque emat aere caballos
 935 Vicino in pago, certo quos tempore iussus
 Adferat obscura ante arcem sub nocte colonus.
 Tempus erat, quo rei se occasio iusta gerendae
 Obtulerat, summus cum dux moderator et arcis
 Regis ad edictum adfuerat, custodibus arcis
 940 In somnum et vinum laxata lege solutis
 Liberius solito Dobo vivere more notatus
 Laetitiam insignem simulans cytharasque tubasque
 Increpuisse iubet conductos aere magistros
 Ante fores clausas serae usque ad tempora noctis,
 945 Atria dum resonant confuso plena tumultu
 Laetitiaque fremunt: lecto tabulata sub alto
 Perforat, et fractum se per demittit hiatum,
 Cum prius a pedibus retinacula ferrea acuta
 Rupisset lima, in cameram propiusque fenestrae
 950 Viribus incumbens, puero comitante, per altam
 Liber abit fossam manuum stagnantia vincens
 Littora remigio, promptos ubi iussus habebat
 Mox et agrestis equos, quibus vectus grata petebat
 Tecta soli patrii celeri velocior Euro.
 955 Neve dolus fieret subito manifestior, alti
 Strata super lecti, qua cingi saepe solebat,
 Imposuit vestem adque pedes retinacula spondae
 Ferrea munivitque obiecto ferrea claustro.
 Mane novo madidi digesto munere Bachi
 960 Credula miratur vigilum plebs stridere postes
 Raro, nec verso cum cardine ut ante moveri.
 Ergo per angustam, penetrat qua clavis, ocellos
 Detorquet rimam, stratoque incumbere lecto
 Cum vinclis vestem cernit, fessumque sub ipsis
 965 Indormire putat post longae gaudia noctis.
 Tandem ubi vi postes avulso cardine moti
 Dissiluisse, dolus patuit, timor obruit omnes.
 Attoniti indagant vestigia prona, citatos

924 cameram M caperam

957 adque pedes M atque pedes Z atque pedum

Qua tulerit gressus: sed frustra, mobilis instar
 Alitis ablatu rapido secut aequora cursu.
 Quae mala et insidiae pressere deinde Dobonem,
 Forte brevi referam. Mea nunc contracta quiescant
 Carbasa, prosperior mox cursus aura secundet.

9. Liber sextus

Continens destructionem arcis Kykelleovariensis. Petri Petrovii tempore
 varia acta tam in rep(ublica), quam ecclesiastico statu, ubi primum
 Sacramentarium dogma et error Francisci Stancari in Hungaria
 et Transilvania doceri coepit. Item testamentum et obitum Petrovii.
 Praeterea tragicam historiam Annae Kendiae. Adhaec tristem trium virorum
 illustrium Francisci et Antonii Kendiorum fratrum et Francisci Bebekii casum,
 reginae Isabellae iussu (ob affectati regni suspicionem) clam per insidias misere
 et crudeliter trucidatorum. Postremo reginae excusationem facti
 eiusque testamentum, obitum et sepulturam.
 Annis 1557, (15)58, (15)59.

Arx erat haud longe Mediensis dissita ab urbe,
 Kykelleovaro tribuit cui Coccalus amnis
 Nomen, coenosis circum undique septa lacunis,
 Vlnificis statio serpentibus apta fovendis.
 Hanc olim ex pacto Moldavae vaivoda gentis
 Pignoris obtenuit vice longo et tempore rerum
 Pacificae, aequa feris subiectis iura colonis.
 Namque duces, rebus ne causa sit ulla novandis,
 Inter se foedus confirmavere propinqui,
 Alter in alterius regione teneret ut arcem.
 Ut vero furum speluncaque facta latronum
 Sedibus affinis nimiumque propinqua duabus,
 Saxo ubi vitiferis habitat circumdatus agris:
 Hanc placuit flamma substrato pulvere furtim
 Sulphureo terrae fundamine vertere ab imo
 Reginae, ut perhibent, iussis. Nunc saxea tantum
 Cernitur herboso moles concreta vepreto,
 Setigeraeque sues illic pascuntur et agni,

970 aequora Z aëra

arg. destructionem Z destructio / Petrovii Z Petrovithii / obitum Z obitus / tragicam historiam
 Z tragica historia / tristem Z tristis / casum Z casus / excusationem facti eiusque Z excusatione
 facta, eius / obitum et sepulturam Z obitus et sepultura

7 feris Z fecit

9 propinqui Z propinqua

12 propinqua M propinque

18 illic M illinc

20 Implet ibique ferus tristi aëra carmine bubo,
 (Iste nova locus est pauloque remotior arce,
 Quam Redei Franciscus habet sub lege benigna)
 Plebs prius insano se ubi proluit impia Bacho.
 Oppidulum, quod tum vastata nomen ab arce
 Duxerat, hanc Bebekii quondam generosa Georgii
 25 Uxor habet dono Iani pietate secundi
 Acceptam bello praeclara ob gesta mariti,
 Regalis qui dux erat [erat] et capitaneus alae;
 Excultis post haec habitans celsa atria tectis
 Foeminei gregis excellens decus atque corona,
 30 Cum re cui tribuit Sophiae sapientia nomen,
 Natorum genetrix Niobe felicior alma,
 Quattuor insignis quarum decor ora serenat,
 Mercatu celebri clarum, quo tempore festum
 Regi sacratum Stephano colit Hungara pubes.
 35 Postea siderea conspectus in arce comaetes
 Ardentes vibrare faces, quibus ultima diro
 Petrovii indicio prope fata instare docebat,
 Ille, Petri, regis praeclaro sanguine Iani
 Iunctus, constantes animos mentemque benignam
 40 Rebus in adversis puero matrique probabat;
 Exilii comes assiduus, dum Sarmata rura
 Incolerent, patriis extorres sedibus astu
 Perfidia et Monachi, falso cui nomina fratris
 Indita, crudelis quod haberet corda tyranni.
 45 Quam prius in regnum regina migraret avitum,
 Ipsam praecedens turbata negotia regni
 Composuit, facilesque vias aditusque patentes
 Collectae praebens longo ex errore catervae.
 Neve superstitio confictaque somnia Papae
 50 Humano arbitrio templis explosa redirent,
 Unde novi possit suboriri causa tumultus:
 Caelata indigetum simulacra removit et aras
 Sacrorum ex aditis, quae vulgus agreste colebat.
 Expulit et monachos passim latebrosa colentes
 55 Antra, a convictu vulgi semota profano,
 Ceu gentem ignavam, quae sub pietatis inani
 Praetextu gazis amplas exhaustiat urbes,
 Aera legens fictis hinc inde extorta querelis.
 Aurea quin etiam delubris vasa sacratis

22 insano **M** inano
 32 quarum **Z** quorum
 39 Iunctus **Z** Natus
 44 haberet **Z** habebat
 52 indigetum **Z** indigenum

22 se proluit — cf. Verg. Aen. I, 739

60 Abstulit, accenso solitus quae thure sacerdos
 Ferre aras circum, lustrali et pellere fumo
 Orbis in exitium genios Acheronte remissos,
 Et quas pomposo circum tulit ordine thecas
 65 Sacrificum legio, panis quibus ille retentus
 Furfurea referens Christi sub imagine corpus,
 Divinos tribuit stolidum cui vulgus honores
 Genua solo incurvans infigansque oscula labris.
 Hinc iam conspicitur monachus non amplius ullus
 Sedibus in nostris; si quem fortasse videndum
 70 Ex improvise pueris fortuna tulisset:
 Ceu monstrum invisum magno clamore secuti
 Irrident, pulsumque petunt per compita saxis,
 Noctivagam veluti circumvolitare volucrum
 Lucis aves gaudent atque insultare procaci
 75 Ore et nitentem contra ungue urgere recurvo.
 Quicquid enim scelerum mens iusto tramite aberrans
 Fingere vel fraudem potuit mortalibus aegris
 Certam in perniciem, monachis authoribus ortum est.
 His latebrae errorum scelerumque fuere magistrae,
 80 Litigiosa fori dum iurgia nulla sequuti
 Res propter salvas: nullisque eguere molestae
 Vitae subsidiis mollique quiete beati.
 Nunquam luctifici sensere incommoda belli,
 Sollicitique nihil coniunx puerumque caterva
 85 Quo sit alenda modo, vel qua ratione regenda
 Publica res. Igitur persuasio coeca tumentes
 Ipsorum tenuit mentes, implere sacratas
 Quod valeant leges meritisque acquirere coelum.
 Atque status vitae reliquos duxere profanos,
 90 Quis placuisse Deo queat et sperare salutem
 Nemo animae, vere dicique piusque vocari.
 Esto licet scelerum non moles tanta quietos
 Sollicitet, placidos odiumque nec ira fatiget,
 Vindicta aut rabies adversos armet in hostes,
 95 Atque nefas aliud non commisere pudendum
 Gestibus externis: animus tamen aestuat intus,
 Laerna velut scelerum, caecisque affectibus errat.
 Sunt similes nitido strictis de marmore bustis,
 Picta foris radiant obryzo pulchrius auro,
 100 Intus at exesa putredine plena renident,
 Foedaque contactu horrorem spectantibus augent.

74 insultare **Z** insectare

79 His **Z** Hi / magistrae **Z** magistri

94 Vindicta **M** Vindictae

98 nitido **M** mitido

Despectu absque humiles contendunt esse superbi,
 Divitiis opibusque aucti manuum absque labore,
 Et sine defectu mendici inopesque vocari.
 105 Aspera non ergo Francisci regula sancti,
 Nec tristes vultus inductaque stigmata ferro,
 Nocturnisque preces fusae cum cantibus horis,
 Nec rasmus vertex, pes nudus, cappa dolosa
 Stelligeri cuiquam promittunt gaudia coeli.
 110 Christi opus est meritis, mundi qui crimina tollit,
 Agnus et innocuus fuso et mala nostra cruore
 Abstergit, placans iratum victima Patrem.
 Sic pietas, viguit multos quae ficta per annos,
 Autoresque simul fuco periuri relecto.
 115 Dipnosophistarum spargi tunc noxius error
 Coepit et in morem rabiosi serpente cancri
 Per regnum. Primus male sani dogmatis author
 Calmanchaeus erat, plebs appellare solebat
 120 Mota ob crura loco dextro in coxendice claudum.
 Is commenta legens Ulrici frivola Zvinglii
 Et Carolostadii de significante figura
 Nil nudam speciem, monimentum et praeter inane
 Corporis absentis Christi, dum mystica coena
 Divino ritu cum pane et vino sacratur.
 125 Nititur ergo furens immani turpiter ausu
 Asseruisse, loco coeli in regione teneri
 Certo conclusum Christi venerabile corpus,
 Salvifica unde suis virtute fidelibus adsit,
 Quos fidei robur pia mensque invexit Olympo.
 130 Nec, nisi postremum, manifesta in carne, sub aevum
 Venturum reducem, mundo patiente ruinam
 Ardore immenso in nihilumque fluentibus astris.
 Phoebus ut affixus constanti tramite coelo
 Itque reditque, suis et viribus infima nutrit
 135 Corpora prolificis, foecundoque igne reformat.
 Tunc quoque blasphemus Franciscus Stancarus ore,
 Mantua degenerem quem protulit inclita civem,
 Late invulgabat: nostrae ob contagia poenae
 140 Supplicibus votis Christum potuisse Parentem
 Flectere et iratum motos componere fluctus.
 Verus homo quatenus nostros confluit in artus,
 Ante nec assumptam pro tristi orasse reatu
 Servilem formam, cum nemo existere possit,
 Qui seipsum rogitet, sibi sit mediator et ipsi;
 145 Namque Dei quantum Christus sit vera propago,
 Esse Deum pariter, qui crimine laesus atroci

Exitium intendat lapsis, nec posse mederi
 Culpaē, vestitus nisi fiat carne sequester
 Christus homo, proprioque lavet mala nostra cruore.
 150 His sese opposuit magno molimine monstribus
 Franciscus, patrio de nomine nomen adeptus
 Davidis: tenerum quem zeugma creavit alumnum.
 Viribus ingenii praestans, sermone disertus
 155 Atque animo fidens obiecta refellere doctus,
 Moreque Vertumni varias assumere formas
 Suetus inexplicitis hostem cum stringeret hamis.
 Farre pio docuit Christi venerabile corpus
 Distribui vere, veluti sacra verba fatentur
 160 Unanimi sensu, cum nudi mentio signi
 Haud usquam sacris extet contenta pagellis.
 Quin etiam hoc ipsum corpus sumpsisse iubemur,
 In cruce pro nobis dira quod morte luebat
 Supplicium, existens precium insuperabile damni,
 165 Atque hunc ore pio preciosum haurire cruorem,
 Qui latere ex Christi patefacto militis ense
 Promanans tinxit crucis ardua ligna sacratae.
 Ast hoc non typicum, fuit haud umbratile corpus,
 Sed vivum et verum. Tali ergo quando iubemur
 170 Vesci, quis formam, nisi demens, fingat inanem?
 Praeterea omnipotens cum vectum ad sidera coeli
 Regnet, et aequali sit maiestate verendum
 Cum Patre: innumerisque excellat dotibus omnes,
 Communi quotquot nascuntur lege, veneno
 175 Lethifero afflata scelerati fraude Draconis.
 Namque maris sicco graditur super aequora passu,
 Clausoque exivit propria virtute sepulchro
 Caerea non violans impressa ligamina saxo,
 Seque per oclusas infusum vi sine postes
 180 Discipulis praebet veteri pro more tuendum.
 Denique si placiti genitor decreta supremi
 Ante obitum charis cupiat proponere natis,
 Utitur haud dubia, fallat qua voce relictos
 Haeredes, animum verbis sed prodit apertis.
 185 Quae ratio ergo foret, sua cur involveret atris
 Dicta ultro nebulis, litem sereretque perennem
 Sponte sua, pacis potius cum symbolon illud
 Christicolas inter firmum esse cupiverit author.
 Ut vox praeconis coetu prolata frequenti
 190 Una eademque hominum patulas subit implet et aures,
 Sunt licet innumeri, tamen ex integra tota seorsim

154 animo M animum

190 tamen M tam

155 Vertumni formas — Ov. Fast. VI, 409—410

A cunctis rapitur, per se indivisaque perstat:
 Sic totum Christi sumunt venerabile corpus,
 Non scissum in partes, sacrum libantque cruorem
 Ore fideque pii, nulloque absumitur usu.
 195 Arboreo ex foetu desumptum respice granum,
 Quam sit id exiguum vitaeque vigoris et expers
 Apparens, si oculos aciem mentisque sequaris,
 At vero inspersum terrae cito prodit, et instar
 200 Cespitis in vacuas primum protenditur auras.
 Hinc oritur demum tardis labentibus annis
 Luxurians foliis ductisque ad sidera ramis
 Arbor, purpureis exultans turgida pomis,
 Quam virides circum frondesque comaeque coronant.
 Tam tenui in grano tantam quis inesse putasset
 205 Virtutem, ac patula virides tot in arbore ramos?
 Voce Dei cunctis vires tribuente creatis
 Hoc si fit? Quare haud vox Christi et certa voluntas
 Possit idem, totus cui rerum subiacet ordo?
 Non tamen affixum, ceu forte Promethea saxo,
 210 Credimus id pani, dempto quod serviat usu
 Idololatriae, stolidi ut sensere papistae.
 (Audimus verbum motum, sentimus et illud,
 Praesens quod verbum promittit, credimus esse:
 215 Quantumvis modus effugiat fallatque caducos
 Nostri animi sensus, ratioque deerret ab aequo.)
 Quae sacramentis praesentia et unio divis
 Convenit, hanc animis et fida voce fatemur.
 Nec ratione illud, fidei sed robore firmo
 220 Scrutari arcanum velle ac debere monemus,
 Quando hominum ratio sit coeca inimicaque verbo.
 Post alium errorem figmenta vana refutans
 Vi multa docuit scriptis et voce libellis:
 Distinctam Christum personam a Patris habere
 225 Persona, officium et proprium, quod competat ipsi
 Soli, quo pacto noster queat esse sequester.
 Utque opus hoc ingens et inenarrabile munus
 Promptius efficeret, fuit hoc omnino necesse,
 Esset ut ille Deus Patrique per omnia compar,
 230 Divinam precibus qui iram restingueret, atque
 Aeternam aeternus repararet mysta salutem.
 Adde, quod hunc decuit praesentem corda tueri
 Et gemitus ubicunque graves audire vocantum
 Hosque offerre Deo miserisque exposcere pacem,
 Denique ut e Stygii spoliator Ditis Averno

211 Idololatriae M Idolatriae

225 Versus 212—215 unci inclusi in **MZ** hic sequuntur, at in **M marg.** Hos 4 insere supra post:
 Ido(l)o)latriac

235 Faucibus ereptus letheae et carcere mortis
 Posset inoffensus superas evadere ad auras.
 Ille fuit patribus notus visusque vetustis,
 Quando Deum nemo perfecte noverit unquam,
 Doctore absque isto, coluit neque rite supremum.
 240 Notitia ergo patres summi caruisse Tonantis,
 Pontifice aut Christo solo profitebimur usos,
 Qui secreta sinu ex Patris decreta revelat,
 Solus et humani generisque Deique sequester.
 Consilii magni hinc et foederis angelus esse
 245 Dicitur orator Patris et venerabile verbum;
 Hinc Abraham angelicis sanctum patriarcha ministris
 Farre pio supplex pingui veneratur et hoedo;
 Hinc pius Isacides obitum ante supremaque fata
 Invocat, atque illi dulces, sua pignora, natos
 250 Tutori tanquam verbis commendat amicis,
 Firmi permaneant in relligione nepotes
 Antiqua, pueris benedicat et angelus istis,
 Qui prius eripuit cunctis e casibus ipsum
 Vitae animaeque ferens pacem aeternamque salutem.
 255 Iob vitam in tenebris luctuque miserrimus alto
 Dixit agens: supera, scio, quod meus arce redemptor
 Vivit, is eductum terrae de pulvere vita
 Induet aeterna, immenso et decorabit honore.
 Vi valida Haebreos vasta comitatus eremo,
 260 Tempore nube tegens abeuntia castra diurno,
 Nocte sed ardentis praecessit imagine fulcri.
 Fortius, ut ferrum candens, durissima ligna
 Perterebrat, flamma pariter ferroque ferente
 Coniunctim alternas unito robore vires,
 265 Divina humanae natura ita iuncta figurae
 Fida redemptoris, preciosaque munia obivit.
 Inter et offensum foedatam et crimine partem
 Firmavit medius pacem, litemque diremit.
 Hac aliisque modis ratione refellere falsa
 270 Dogmata conatus verum sensumque tueri.
 Postea difficili longo et certamine fractus
 Approbat errores, quos oderat ante prophanos.

248 Isacides **Z** Iacides

251 permaneant **Z** remaneant

260 abeuntia **M** abientia

269 Hac **M** Haec

271 *marg.* **M** Defectio Francisci Davidis

236 superas ad auras — Verg. Aen. VI, 128

246–247 Abraham veneratur — Gen 22,11–14

248–249 Isacides invocat — Gen 48,8–20

255–256 Iob dixit — Iob 19,25–27

260 nube tegens — Num 9,15–23

Nec secus atque ingens radicitus eruta pinus
 Mille trahit secum frondes, magnoque fragore
 275 Arrectas hominum procumbens territat aures:
 Sic ille a recto deflectens tramite cursum
 Turbavit patriam, multorum et corda piorum
 Reddidit insano et lethali saucia morsu.
 Non hominis docti personam, uti censor iniquus,
 280 Odi, sed per eum sparsus mihi displicet error.
 Ut qui nosse suae poterat moderamine mentis:
 Quaecunque officii tribuuntur nomina Christo,
 Qualia sunt: pastor, mediator rexque sacerdos,
 Propria naturae esse et sic deberi et utrique.
 285 Tempus erat, fessus quo longa aetate supremum
 Sensit adesse diem fati Petrovithus acerbi,
 Quando haec decedens decreta novissima mentis
 Esse sui voluit monumentum et pignus amoris,
 Ac sic reginam affatur sermone pudicam:
 290 Diva parens, rerum tribuit cui maximus author
 Foetam armis gentem atque opibus frenare superbam,
 Te natumque tuum chari post fata mariti
 Obsequio colui fido, tua castra secutus
 Erroresque vagos, rerum nec cura mearum
 295 Sic animo insedit, tua quam mihi commoda cordi
 Successusque boni cursusque fuere secundi.
 Omnia quae teneo, vetitis non parta rapinis,
 Cuncta tibi, caream cum iusto haerede, relinquam,
 Unum orans, si nostra fides constansque voluntas
 300 De te quid meruit, nostrique teneris amore:
 Egregium hunc animi iuvenem mentisque sagacis
 Indole praeclarum, quem morum insignis honestas
 Commendat, simul aequa fides et ad omnia promptus
 Iussa subire animus patiens corpusque laborum:
 305 Boekesium foveas suscepti more clientis.
 Praeque aliis opera illius tuto utere cunctis,
 Sic ubi quid fieri rectumve vel utile poscis.
 Nec, quod ab obscuris, moveare, parentibus ortum
 Principiumque trahat: cuncti nascuntur eadem
 310 Lege homines, veterisque ferunt contagia culpae
 Secum, primorum morbos sordesque parentum.
 Non sapiens quisquam vel dives origine prima
 Nascitur, aut clarum ducat qui nomen ab arte,
 Et nisi quem virtus super aethera vexerit ardens

274 frondes M fraudes

284 deberi Z debere

287 *marg.* M Petrovithi testamentum

303 *marg.* M Bekesch commendatus reginae

314 aethera Z aequora

315 Atque favens coeptis, dexter Deus, obrutus umbris
 Semper erit coecis, fallitque inglorius aevum.
 Hunc effert ingens gestarum gloria rerum
 Marte foris, alium perplexa scientia veri,
 320 Quaeque venit seris prudentia maior ab annis,
 Vel preciosa levans varios medicina dolores.
 Sunt, qui scrutantur tacito labentia motu
 Sidera, naturae secretaque vimque recludunt.
 Historias alii, divorum cura, poetae
 Heroum laudes atque inclita facta recensent.
 325 Multi degeneres proavum decora alta nepotes
 Foedarunt vitiis et delevere nefandis.
 Desiit inque ipsis meritis virtuteque partus
 Nobilitatis honos, atque inclita fama recessit.
 Multi praeterea claro sine sanguine nati
 330 Promeruere suis nomenque decusque perenne
 Egregiis factis, laus quorum aeterna superstes.
 Barbarus haud quisquam est, nisi quem fera vita malique
 Incaestant mores, brutis et agrestibus aequant.
 335 Purpura si celebrem preciosum reddit et aurum
 Quenquam, clarus erit decoratus purpura et auro
 Acer equus pedibus spargens et taurus arenas.
 Simia perpetuo manet, est et simia semper,
 Aurea quantumvis gerat hirta insignia collo.
 340 Est similis statuae cerebro sensuque carenti,
 Qui sine re vanum nomen titulumque superbae
 Nobilitatis habet, maiorum et laude tumescit.
 Primum obscurus erat despectae sortis inopsque
 Iessides, tandem quem fata in sceptris reponunt.
 345 Lanigerum pecus Amramides pascebat opacis
 Silvarum in latebris, populi dux quando vocatur.
 Consul agens curvum fit Cincinnatus arathrum,
 Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.
 Sic res Aeneadam minimo succrevit ab ortu
 Imperium in magnum, dum non genus obicit ullum,
 350 In quo cana fides virtusque animosa niteret.
 Ergo meo, regina, loco tua iussa subibit
 Impiger et fidus, primis mihi notus ab annis,
 Eximia praestans Caspar virtute Bekessus.
 355 Vix haec ediderat, defectae in corpore vires
 Vi morbi vetuere loqui cum plura volentem.

318 veri M veris

339 carenti M carentis

346 Cincinnatus Z Cincimatus

337 Simia manet — Manl. Coll. p. 61

342–343 inopsque Iessides — I. Sam 16,11–13

344 Amramides pascebat — Ex 3,1–10

346–347 Cincinnatus — Lucan. Phars. X, 151–154; Claud. In Ruf. I, 202–203

Cuius post obitum regali splendida pompa
 Exequias iusta et cineri suprema ferebat
 Regia cum nato coniunx totius et aulae
 Principibus, vulgique globo sacraque caterva
 360 Urbe Colossensi, posuitque e marmore saxum
 Ingens in templi parte anteriore vetusti,
 Vexillumque rigens, monimentum, affixerat auro,
 Esset ut aeternum fidei et constantis amoris.
 Cui simul et saxo scripta haec incisa leguntur:
 365 Conditur hoc tumulo Petrus Petrovithius heros,
 Protectorque gubernator, Sylvane, tuorum
 Auspiciis Isabellae hominum. Pia membra quiescant!
 At regina memor voti morientis amici
 Rege satusque puer iuvenem cito transtulit, atque
 370 Hunc amat, hunc summa de re vel pace, vel armis
 Consulit, huic curas et clausa palatia mandat.
 In patriam merita illius regemque Iohannem
 Erga testatum dubiis in rebus amorem
 Sinceramque fidem posthac maiore canemus
 375 Plectro, ubi res propius dabitur pertexere gestas.
 Triste scelusque atrox audaci prodere cantu
 Ordior, eximiis quo gnata parentibus orta,
 Victa dolo Veneris decus irreparabile famae
 Prostituit casti violata lege pudoris,
 380 Hincque luit capitis tristem (miserabile) poenam.
 Non me alio genere miretur carminis uti
 Quisquam, cum mage sit stolidis ardoribus aptum
 Scribendi, meliusque animos effingat amantum.
 Anteaque id fuerit multo iuvenilibus annis
 385 A me conscriptum, doctis heu! rite probatum,
 Nam varia oblectant animos, sic additur auro
 Argentum et nitido radiantes lumine gemmae.

Historia illustrium trium virorum:
 Francisci et Antonii Kendiorum et Francisci Bebekii
 tragicam mortem continens. Anno 1558.

Ex scelere hoc poenaeque gravi post longa malorum
 Atque aerumnarum series authore secuta est
 390 Daemone: quandoquidem adversis adversa cohaerent,
 Nexibus inter se membrorum ut iuncta catena est.
 Ast ea dum meditor populares ferre sub auras,
 Quos subeam invidiae morsus, quantumque pericli
 Olfacio. Quis enim minus aequa impune potentum
 395 Facta insectari dictis mordacibus ausit?

subtit. Z om.
 391 Nexibus **Z** Flexibus
 394 aequa **Z** aeque

Quorum progenies numerosaque turba nepotum
 Vivit adhuc, regnique statu cum principe Apafi
 Iure instauratos retinet cum rebus honores.
 Spes tamen est veniae, quod non livore, nec ira
 400 Affectu aut alio quovis agitatus iniquo
 Ullius insignem cupiam traducere famam,
 Sed verum dicam, vel quae sunt proxima vero,
 Vel quae confictis vesana calumnia verbis
 Annorum serie deducta ad tempora nostra
 405 Persuasit vulgo spargens rumore sinistro
 Candida de nigris et de candentibus atra.
 Nil proavum virtus generosa nepotibus addit
 Laudis et ornatus, pulchrae si nomina famae
 Obscurent vitiis, illis si sponte dedentur.
 410 Maiorum nec obest maculis aspersa nefandis
 Vita piae soboli, recte cui vivere cordi est.
 Quisque suo merito bonus aut infamis habetur.
 Me vulgasse necem satis est, expromere causas
 Facti aliis linquo veras fucoque carentes.
 415 Regia cum gnato coniunx ubi reddita regno,
 Externo placidam speraret ab hoste quietem,
 Ac nusquam arderet civili patria bello:
 Protinus accensi coeca ambitione regendi
 420 Magnates aliquot, quibus ampla potentia et auri
 Maxima vis fuerat, praeclarae stirpis honore
 Magnifico et rerum gestarum laude supremi.
 Horum consiliis, opera studioque fideli
 Sauromatum patrias regina e finibus oras
 425 Attigit, in dominam regni suffecta prioris.
 Foeminei sexus molli fragilique potentes
 Ingenio offensi regisque aetate ferendo
 Sceptra immatura, magnos sibi quisque petebat
 Deferri, elatis animis et pectore, honores;
 430 Scilicet asciti in partem et consortia regni
 Imperium in reliquos dominandi iusque tenerent.
 Ast sibi dum procures praeferri e gente viderent
 Sarmatica, speque exciderent et grandibus ausis,
 Ira odioque velut Furiis ultricibus acti
 435 Intumuere animi, mentemque explere cruentis
 Motibus ardescunt meditata fraude furemtem.
 Nec mora: Caucasei ad speciosa palatia Turci
 Mittunt legatos auri argentique talentis
 Conciliare parati animos aulaeque favorem
 440 Venari orantes se regni in sceptra locari,
 Quando sit imbellis natura et mollis et annis
 Foemina, cui luxur curae cytharaeque sonantes
 Et choreae molles, Veneris fomenta nefandae,

Quae modo praesideat; puerumque Cupidinis instar
 Regalem ingenium matris moresque referre
 445 Lascivos: studiis neque gens asperrima belli
 Pacem amet Hunnorum, segni studeatque quieti.
 Turpe nurum imbellem indomitis dare iura maritis,
 Quos merita extollunt aequataque gloria coelo.
 Ast istud facinus, reor haud sine numine divum,
 450 Arcanique doli, insidiae[que] venere latentes
 Reginae patulas famae velocis ad aures
 Indicio. Siquidem vulgi omnia fama sub auras,
 Quae latuere, effert, coecis immersa tenebris.
 Suspicionem levi fama est et maior inani
 455 Impietatis opus plenum scelerisque nefandi
 Ausos esse nefas: lethali nempe veneno
 Quod vitare meri voluissent pocula Bachi,
 Vitalis quibus exhaustis calor ossa relinquens
 Deficeret, tabesque aegros depasceret artus
 460 Amborum. Memorant proceres monuisse parentem
 Regalem assiduo, dimitteret indole claram
 A se progeniem, illecebris ne turpibus aetas,
 In vitium flecti facilis, capiatur amor
 Foemineo indulgens, scorta inter et otia vitam
 465 Exigat, ignavus ceu Sardanapalus, inertem.
 Quin ipsis detur, quorum spectata sit omni
 Parte fides regno gestarum et gloria rerum,
 Usque probe eductus regale capessere sceptrum
 Possit et utiliter regno servire paterno.
 470 Denique diffunderet nimio quod prodiga luxu,
 Sarmaticas et opes regni transferret ad oras,
 Sceptra Sigismundi affectans post fata Polonum,
 Corripuisse nurum verbisque notasse severis.
 His ira accensam monitis rapuisse sinistram
 475 In partem, referunt, dicta utiliora potentum.
 Protinus infandis coeptisque immanibus ardet
 Obstare insanoque imponere frena furori
 Regalis coniunx. Partes versabat in omnes
 Hinc animum, magno ut statui queat absque tumultu
 480 Caedereque multorum in solos vindicta nocentes.
 Auxerat hunc animi reginae Melchior aestum
 Balassa, accenditque magis sermone furem
 Crebro, cuius erat vinclo sociata iugali
 Filia Toerökio, miserae post fata prioris
 485 Coniugis: hinc odii, hinc et semina prima latentis
 Irae emeruerunt: duo iunctis viribus aequis
 Ac animis, socer atque gener, timuisse priorem

443 puerumque Z puerum
 476 immanibus Z inanibus

490 Coeperunt socerum, crudeli funere cuius
 Damnatam capitis legum censura peremit
 Propter adulterium natam. Hi nunc ergo querelis
 Ardentes reginae animos accendere crebris:
 Urgeat incoeptum, laethoque extinguat acerbo
 Infidos proceres; partem se in utramque paratos,
 505 Seu ducis officio aut impigri militis uti
 Horum opera velit in merita nece perficienda
 Magnatum. Assensu concordia crevit utrinque.
 Nec mora: conventum indicit regina potentum,
 Hortaturque duces, veniant cuncti ocus Albam,
 510 Publica quandoquidem id deposcere commoda regni,
 Quae, nisi suffragiis concordī mente probatis,
 Possit in optatum nemo deducere finem.
 Edicto proceres parent. Regina Balassam
 Consulto Albensi secedere iubet ab urbe,
 515 Usque soporiferae medium vox sedula noctis
 Prodat avis cantu, capitis cui vertice summo
 Crista erecta sedet: laetum victoribus omen.
 Tandem militibus clam nocte redire ducentis
 Per tenuem portam, via qua vicinior aedes
 520 Ducit ad auratas sublimia et atria regis
 Ex campo, ridet variis ubi floribus hortus,
 Francisci nuper Forgachi consitus arte.
 Magnates qua forte die intravere vocati
 Urbem, Bebeccus Kendique Antonius unam
 Hospitii subiere domum, convivia lautisque
 Instaurant epulis, unaque accumbere mensis
 Invitant precibus complures inter amicos,
 Exercentque leves posita formidine ludos
 Gestu animoque hilares, nisi quem male forte momordit
 525 Conscia mens culpa, attonito stimulavit et oestro
 Irrequietum animum, praesens in pectore testis
 Nocte dieque timens divini tela furoris.
 Atqui supremam falsa inter gaudia noctem
 Dum fallunt, nemoque doli metuensque pericli est,
 530 Anxia de adventu tardantis Diva Balassae
 Nutrix, corda metu lacrimisque humentibus ora,
 Multa putans secum confusa mente, fatigat.
 Iamque sibi exitium, quod triste paraverat istis
 Hostibus, inversa sorte impendere putabat:
 535 (Namque animum instabilem norat variumque Balassae)
 Heu me quis casus? quae me aspera fata manebunt,
 Quis gravis excipiet natum dolor? Ultima utrisque

490 Hi M I
 501 deducere Z perducere
 529 *uncos* Z *om.*

Imminet hora necis? Nunc oh fortissime custos,
 Rerum hominumque Sator, quo semper praeside vita
 Amborum incolumis tela inter et arma remansit
 535 Hactenus: oh nostro fer opem et succurre labori!
 Tu dextram armasti Judithae Marte virilem,
 Ut similis capite avulso vino obrutus hostis
 Trunco esset, multaque aspersus caede naret.
 Te vires saevum contra tribuisse tyrannum
 540 Iaëli, prodit sacri pia pagina Verbi:
 Effice, ut imbelli tua quid sacra dextera possit
 Sexu, ut sit notum, quam sit tua cura pupilli
 Ac viduae, quorum tutor iudexque vocaris.
 Vix haec ediderat, tanta comitante caterva
 545 Expectatus adest, mandata subire paratus
 Balassa, observans rei tempora iusta gerendae.
 Mittitur interea fidus speculator ad aedes,
 Qui vigil exploret, num coena peracta quietem
 Attulerit fessis? An adhuc ibi Csakius adsit,
 550 Quem rerum ignarum paulo ante fuisse patebat
 Illic, nec sceleris socium fraudisve magistrum.
 Demum ubi grata quies membris infusa teneret
 Quemque thoro affixum, curarum et mole solutum,
 Protinus armati circum latera ardua ferro
 555 Protectique humeros teretis munimine scuti
 Francisci primum faculis praeceuntibus aedes
 Invadunt Kendii, hospitii quem tecta seorsim
 Servabant, neque cum sociis sub nocte silenti
 Carperat ore dapes, morbo remoratus iniquo.
 560 Ut tetigere fores, subito fit pervia porta
 Clausa seris, multoque rigens chalibe aereque multo.
 Cum subito infusae preciosas undique gazas
 Turbae investigant, loculos hic surripit auro
 Argentoque graves, alius radiantia gemmis
 565 Arma togasque aufert atque aspera cingula bullis,
 Vasaque et impressis caelata numismata signis.
 Ille indignanti similis duro increpat ore
 Hostes, vimque gravem verbis prohibere laborat,
 Aegra thoro vix membra levans suspiriaque alto
 570 Corde trahens, gelida fessum tardante senecta.
 Inde metu trepidans demissa voce precatur,
 In cameram liceat paulum secedere, ventris
 Foedam ibi proluviem queat evacuare gravantis.
 Postquam id concessum: terra videre iacentem,
 575 Intentum et precibus super aethera tendere palmas,

555 scuti **Z** secuti

536 dextram armasti — Idt 12,10—20; 13,1—11

539–540 vires Iaëli — Iud 4,17—24

Ut Deus in seram dilata piacula mortem
 Doleat, ac clemens aeternae gaudia vitae
 Post obitum donet. Nec multum deinde moratus
 Exire intendit populi cogente tumultu,
 350 Cum subito in iugulum praefixa hastilia ferro
 Saevus agit miles, lethale per ardua telum
 Colla volat, factoque volans in vulnere stridet.
 Hinc capiti misero stricti seges undique ferri
 Ingruit, in partes dissectum et concidit ambas
 355 Sanguine humum multo tingens sparsoque cerebro.
 Pars in frusta secant exanguia membra minuta
 Incensi rabie, nec iam cutis ossibus haeret
 Ulla, nec a membro membrum discernere quisquam
 Evaluit, sed erat rudis et sine nomine moles.
 360 His actis demum tecto foribusque propinquant
 Boebekii, potior celsas pars occupat aedes,
 Vestibulum ante ipsum primoque in limine mansit.
 Intrabant alii absque pedum graviore tumultu
 Armorumque sono, sicque exhortantur ab alto
 365 Excitum somno, reginae haud iussa vocantis
 Respuat, arcanis siquidem de rebus habendum
 Regni consilium, cum nox fidissima custos
 Rerum arcanarum resque urgeat ardua regni.
 370 Motus ad haec capit arma amens, et verberat auras
 Ictibus, ac multos violenta morte necasset,
 Ni sermone fidem iunctis et foedera dextris
 Firmassent. Positis ergo radiantibus armis
 Et conferre gradum causasque audire vocantis
 375 Reginae tentat, strictis cum respicit armis,
 Pixidibus facibusque acies astare coruscas.
 Attonitus stupet ille metu, testatur Olympum
 Divorumque fidem, mystam sacra iussa docentem
 Affari ante obitum supremaque fata liceret,
 380 Qui scelus in longam et dilata piacula mortem
 Expiet, ac veniam votis precibusque lucretur.
 Cui mox responsum: Superum contemptor et hostis
 Sacrificum fuerit cum maximus ante virorum,
 Indignum esse cui sacra mystica porrigat author,
 385 Sentiat aetherei sero aut solatia verbi
 Nunc, via cum veniae sit portaque clausa salutis,
 Horum opem et auxilium modo posse huic iure negari.
 Vique reluctantem truduntque trahuntque tumultu
 Horrendo in medium, cui mox caput ense corusco
 390 Decidit avulsum, truncusque miserrimus una
 Fusus humi pedibus fulvas pulsavit arenas.
 Talia dum fiunt, strepitu gemituque tremendo
 Percussus Kendi sese extra Antonius aedes
 Efferrī iussit, gressus tardante podagra.

625 Iamque pedi caligas innectere utrique parabat
 Fida manus famuli, cum talia reddidit ore:
 Eheu dira meis forte cervicibus arma
 Haec quoque ducentur, nulli cui conscia culpa,
 Teste Deo, mens est, neque laesi crimine quenquam.
 630 His sese dictis purgantem et plura loquentem
 Horridus aegra anima medio sermone reliquit.
 Protinus invadunt districtis ensibus hostes,
 Conceptique odii rabiem furiosius explent.
 Ille manus geminas stridentibus obiicit armis
 Tempora cana tegens, ferri ast violentior ictus
 635 Perrumpens geminasque manus humerosque caputque,
 Conscidit in minimas corpus miserabile partes,
 Collapsum multo rubefecit sanguine terram,
 Tectaque foedavit liquido spumantia tabo.
 Postquam nocturnos aurora fugaverat ignes,
 640 Mane novo serpit totam vaga fama per urbem,
 Ut tria magnificum iaceant dissecta virorum
 Corpora sub dio, nec quisquam norit, humanda
 An vero canibus foedisque volucribus esca
 Proicienda sient. Strepit omneque murmure vulgus
 645 Attonitum, factoque isto sibi quisque timebat
 Supplicium diramque necem, miseratus acerbam
 Illorum sortem. Nec non legatus, ab urbe
 Huc Byzantina missus, vestigia tinxit
 Ima cruore pedum, resoluta cadavera calcans,
 650 Insultatque alacris, fremebunda et voce profatur:
 Haud aliter fieri potuit, neque debuit ullo
 Pacto Threicii iuxta mandata tyranni.
 Maxima iam fuerat pars ferme exacta diei,
 Inferias illis nemo tumulumque decentem
 655 Curabat, vulgi cum pars vilissima servi
 Sparsa legunt, tritisque involvunt membra lacernis,
 Iniiciuntque cavo prorsus sine honore sepulchro,
 Non procul a busto Fratris distante Georgii,
 Nullum ubi conspectum est signatum carmine saxum
 660 Vexillumve rigens auro, suspensa vel hasta
 Aut clipeus, veterum monumenta decora parentum.
 Plana tegit tellus, ignobilis urna virorum
 Caede necatorum tristi, quos dira cupido
 Regnandi ambitioque et inexsaturabile pectus
 665 Auro inhians opibusque dolis et fraude parandis,
 Spes hominum fragiles fortunaque lubrica, vanum

642 dio *Z. om.*

648 Huc *M. Hinc*

661 decora *Z. om.*

Consilium, sensus hebetes, prudentia coeca
Immersit letho, nece sustulit atque nefanda.

670 Regia vulgata nece coniunx credere factum
Distulit ulterius, membra usque exanguia praesens
Cerneret, idcirco specula prospexit ab alta
In templo (solita est unde observare virorum
Ritus missificū, Latio dominante papatu),
675 Quam foede occisi gelidae mendantur arenae
Splendore absque duces et ritu funeris ullo.
Obstupuit viso, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, totoque exterrita palluit ore.
Tempore et ex illo vexari languida morbo
680 Coepit continuo sensimque amittere vires,
Stamina dum moriens abrumperet ultima vitae.
Sic quoque Gotthorum cum rex Theodericus ense
Simmachon occisum pallentem misit ad Orcum,
Forte epulas inter dum convivatur opimas,
685 Appositum mensae piscis caput aspicit ingens,
Labra per extabant cuius longi infima dentes
Fronsque minax oculique truces vultusque tremendi.
Territus hoc monstro vultus, atque ante perempti
Ora viri coram se foeda videre putabat,
690 Quae suprema reo fata exitiumque minentur,
Unde impos mentis curisque ingentibus aeger
Concidit, occulto pectus torquente flagello.
Iudeae quoque gentis Aristobulus iniquae
Rex postquam fratrem crudeli et caede necavit,
695 Tot tantosque tulit flammae indelebilis aestus
Pergrave et afflicto tacitum sub pectore vulnus,
Protinus ut nigrum frusta in digesta cruorem
Ore reiectaret, commotaque viscera nisu
Ingenti tundens vix continuisse valeret.
700 At puer egestum promptus deferre cruorem
Ante fores tremulis, patera nutante, lacertis
Effudit partem, fratrisque immiscuit atro,
Infandum terra scelus horrescente, cruori.
Quo viso obstupuit, nimioque evicta dolore
705 Pectora dissiliunt, inque auras vita recessit.
His actis: rerum preciosa atque ampla supellex,
Quosve habitat longos terrarum sub iuga tractus
Turba iobagionum, munitas praedia et arces
Reginae ex voto fisci regalis in usum

684 aspicit Z inspicit
689 minentur M minetur
701 atro Z alto

681–691 Sic Theodericus — Procop. De bello Goth. I, 2
692–704 Aristobulus necavit — Ios. Flav. Ant. 13,11

710 Concessere, dehinc aliis donata, fideles
 Ante fuisse sibi longo quos noverat usu,
 Coniugibus miseris, natorum inopique catervae,
 Vilior et numero pars infima sola remansit.
 At regina timens magnum in regione tumultum
 715 Commisum ob facinus, causas aperire latentes
 Concilio statuit vulgi procerumque coacto,
 Cum sic orsa loqui: Non me crudelis adegit
 Impietas animusque ferox et iniqua tyrannis,
 Talia ut auderem, sed conspiratio facta
 720 Nostri in perniciem per eos casumque meorum,
 Namque sibi tribui petiere a caesare regnum,
 Ferre mei imperii placidissima iura perosi,
 Meque per insidias mixto in cratere veneno
 Tollere cum nato violenta morte pararunt,
 725 Vestibus aut aureis immittere toxica saeva,
 Cincta quibus lento rabies duo corpora morsu
 Tabida conficeret. Dictis quo maior inesset
 Integriorque fides, tria vascula protulit urbe
 E Byzantina convecta, hos nuper in usus
 Intercepta, tamen clam vafro cautius astu.
 730 Neve quis, admonuit, similem ira exhorreat insons
 Nobilium e numero, cum punivisse nocentes
 Sat fuerit, caesoque ingens furor hoste quiescat.
 Dixerat. Incertum secreto murmure vulgus
 735 Obloquitur, non vi, sed lege fuisse rogandum
 Supplicium tam triste reis, vox omnibus una:
 Crudele hoc facinus saevum decuisse tyrannum,
 Non muliebrem animum, mage quem clementia mitis
 Exornet, Superis homines coelestibus aequans.
 740 Fama est, quod fuerit meditati Antonius expers
 Criminis atque insons, sed enim post fata superstes
 Ne manes ultor crudeli vindicet ense
 Fraternos, diramque necem cum sanguine multo
 Restinguat, regno paret inducatque ruinam.
 745 Vix erat emensus spacium breve Cynthius anni
 Ad finem cursus, reginam flectere vitae
 Vis fera morborum fatorumque ordo coëgit,
 Nulli mutandus, muros et ahenae claustra
 Perrumpens, regum ductas ad sidera turre
 Magnatumque domos aequae ac magalia pulsans.

716 *marg.* M Oratio Isabellae ad proceres de causa interfectorum
 724 Vestibus Z Vasibus
 725 Cincta M Cuncta
 739 meditati M meditati
 749 magalia Z magnalia

Ante alios ad se iubet intra tecta vocari
 Balassam; paulum assurgens vix aegra movebat
 Membra thoro, sicque orsa loqui verba ultima dixit:
 Te rogo per coeli nunquam violabile numen,
 Perque sacrum fidei pignus, quo maxima rupto
 Poena reos semper divum ultio et aequa secuta est.
 Cura mei tibi sit chari, precor, anxia nati,
 Hunc ope consilioque iuva, tibi trado potentis
 Imperii sceptrum, iustos adolescat in annos
 Donec, et asuescat regni perferre labores.
 Te penes arbitrium sit, quem damnare nocentem,
 Aut impune voles precibus dimittere victus.
 Nec levis ambitio lucrique cupidine fervens
 Mentis inexpletae rabies te vertat ab aequo
 Proposito; tua, fac, cum nomine facta legantur
 In chronicis, seris laudata nepotibus, utque
 Patroni exemplar per rarum habere fidelis
 Erga inopem, cuius tibi credita cura, clientem.
 Sic tibi Dii faveant, tua coeptaque rite secudent,
 Si memor ipse mei commissa fideliter aure
 Arrecta audieris, sine fraude doloque sequaris.
 Finierat postquam, lachrimis stillantibus ora
 Moesta irrorabat, voxque interclusa quievit
 Faucibus, ac subito vitae calor ossa reliquit.
 Fit gemitus, resonatque ingens plangoribus aether,
 Atriaque horrissona miscentur regia luctu.
 Hi dominam, nutricem alii periisse queruntur.
 Conveniunt proceres tota ex regione vocati,
 Manibus inferias cinerique suprema daturi
 Iusta pio, Divos sincera mente precati,
 Corpus ut aeterna compostum pace quiescat,
 Mens vero aetherei subvecta ad sidera coeli
 Colloquio propiore Dei vultuque fruatur.
 Est ingens spaciosaque educto machina coelo
 Delubrum antiquum, divi Michaelis honori
 Sacratum, huc niveo monimentum e marmore fixum,
 Quo stetit ara loco, procerum fidissima cura,
 Eoas primo commonstrans limine partes,
 Idque cavo iussit tumulto superaddere carmen:

 Non potuit generi virtus praestantior addi
 Nec donis, quibus haec diva Isabella nitet,
 Edidit infantem Iani de sanguine regis,
 Quo duce Pannonii saecula tuta gerant.

752 verba M membra

757 *mag.* M Balassio regina filium Iohannem commendat. / Hunc Z Nunc

790 nitet Hedwig: Cron. fuit

10. Liber septimus

Defectionem Melchioris Ballassae a fide regia causasque defectionis
continens.

Unde septennale bellum exortum est, ac multae arces dirutae,
utpote Dyod, Letha etc. Insuper cruentum proelium ad arcem Haddad
inter regios et Ballassam.

Rebellionem denique Sicularum Transilvanicorum et tragicum casum
despotae

Moldaviensis vaivodae, Iacobi Heraclidis Basilici.

Anno Domini 1560, <15>61, <15>62, <15>63.

Quae mala reginae post fata gravesque tumultus
Bellorum populos fuerint proceresque secuti,
Pene quibus totum discordibus occidit armis
5 Ungariae regnum (nuptae innuptaeque puellae
Ad stupra et caedes raptae, plebeiaque turba
Cum ducibus laqueos durum et perferre Scytharum
Iussa iugum, toto et libertas charior auro
Amissa, ingentes exhaustae et sumptibus urbes,
Dum Ianus bellum rex septennale cruentum
10 Perfidiam gerit ulturus, grassantis et hostis
Vim vi pulsurus), mihi si pia numina Divum,
Expeditam, faveant, serosque docebo nepotes.
Dux erat illustris, cui gnatum regia coniunx
Efflatura animam lachrimis reverenter obortis
15 Tutori veluti fido commisit alendum,
Ballassa. Is bellum regno crudele parantes
Germanos odium ob matris prolisque reductae,
Antonii auxiliis dicti cognomine Székely,
Franciscique Zay, cuius Cassovia fausto
20 Paruit imperio, placidaque in pace manebat,
Crebro ad Kys Vardum victrici Marte repressit,
Iazygiaeque tulit terrae optatissima pacis
Commoda, cum diro vi multa obsisteret hosti.
Ut vero melius mandati munus obiret
25 Officii, in regno vim grandem colligit auri
Reginae assensu, placuit his sumptibus imo
Extrudere a fundo rapidi prope littora Sami
Arcem, quae scutum et ceu murus aheneus esset
Grassantes contra violentis Teutonas armis,

arg. defectionem **Z** defectio / causasque **Z** causaeque / continens **Z** *om.* / Unde **Z** *om.* / est ac
multae arces dirutae, utpote Dyod, Letha etc. Insuper **Z** *om.* / Rebellionem **Z** Rebellio / denique
Z *om.* / vaivodae **Z** *om.* / anno **Z** annis / Domini **Z** *om.*

27 Sami M Sauī

50 Oppidulo a prisco cui nomen Zakmar avitum
 Indidit, unde etiam comitatus Zakmariensis
 Dives agri dictus preciosi et fertilis auri.
 Ergo ubi subvectas ferme usque ad sidera moles
 Aggere et immensis muniverat undique fossis,
 55 Nec deesset Cereris, dulcis nec copia vini,
 Aut aliquid quicquam, quod posset obesse parato:
 A prisci imperioque fideque recedere regis
 Extemplo socias inimicis iungere vires
 Gaudet, et adversum molitus transfuga regem
 40 Pessima quaeque pium, fax belli et origo cruenti.
 Usurpatque sibi propriam, quae sumptibus arcem
 Structa fuit regni ad prohibendum finibus hostem.
 Has etiam vulgi voces spargebat in aures:
 Legittimo haud natum thalamo, sed caesaris astu
 45 Suppositum puerum Scyticae de sanguine gentis,
 Moenia regalis dum cingeret ardua Budae,
 Inguinis obscoeni quod circumcisio monstret.
 Nec fas esse fidem Christi et mandata professos
 Foedera cum reprobis concordia iungere Turcis.
 50 Iure quod obtineat merito, memorabat, et arcem,
 Quando ipsi a multis stipendia debeat annis
 Pro patria et regno res ob feliciter actas,
 Quin etiam, a minerum rivo quae dicitur, urbem,
 Qua nulla uberior nitidique feracior auri
 In patria locuplete locis patriaeque propinquis
 Cernitur, esse sui vi multa iuris adegit.
 Obsequium regi cur detrectare fidemque
 Fallere tentarit, varias vaga fama recenset
 Causas: se praeter nullum agnovisse priorem
 Aequalemve pati voluit, stimulante superba
 Ambitione animum, atque intus praecordia dira
 Torquente invidia, sitis implacabilis auri,
 Tristis opumque fames lucrique cupidine fervens
 Qualibet ex re animus. Verum quodve auguror esse,
 Imprimis timidi quod conscia corda momordit
 Atra trium caedes morsque improvisa potentum,
 Quos supra occisos memoravimus esse doloso
 Ipsius impulsu, moderetur ut omnia solus.
 Ergo ne fato metuens sublatus eodem
 70 Occidat, externi affectavit foedera regis.
 Quem multi metuunt, multos habet is metuendos,
 Cordaque perpetuo male sunt peccata tyrannū:

39 molitus **Z** moliri
 66 morsque **M** morque

71 Quem multi — Publ. Syrus 437; Sen. *De ira* II, 11,4

Ignis inextincti rabies, victurus et omni
 Tempore vermis edax male conscia pectora torquent.
 75 His igitur causis motus, cui tristia bella
 Iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi,
 Aeratis equitum turmis stipatus agebat
 Innumeras praedas oviumque boumque propinquis
 Finitimisque locis, ferroque ignique coegit
 80 In sua vicinos descendere castra colonos
 Pubemque insignem praeda et felicibus armis.
 Auctior hinc animus multoque ferocior illi
 Impetus accrevit, quod opem et socia arma tulisset
 Nicolaus Bathori, reliquis praestantior Hunnis,
 85 Seu mireris opes, sive oppida et agmina plebis
 Ipsius imperiis et sub ditione manentis,
 Vel bene munitam, quae cincta paludibus, arcem,
 Undique ab accessu procul arcet et ammovet hostes.
 Hanc Etschet dicunt, qua non est fortior ulla
 90 Cis freta Bodrogi aut piscosa fluenta Tybisci.
 Inde moras solvit belli, ducibusque coactis
 Cum populo princeps cunctis edicit, ut adsint,
 Armaque crudelem moveant ultricia in hostem,
 Dum levis immensum non flamma erupit in ignem,
 95 Sitque recens et adhuc morbi curabile vulnus.
 Semper eos Divum auspiciis melioribus usos,
 Qui reprimunt vim vi, et pellunt successibus hostes,
 Quam fera quos vexat regnandi et avara cupido,
 Non contenta suis aliena invadere gaudens
 100 Commoda, in immensum litisque extendere finem.
 Ac primum in regno tenuit quas perfidus arces
 Hostis, disiecit, belli domuitque tumultum.
 Arx erat oppidulo Trosch proxima, plano et in aequo
 105 Conspicienda iugo, Iogyam dixere priores,
 Huc inimica cohors patriae regique rebellans
 Confluxit legio; praesens moderator et arcis
 Balthasar Horvathus fuerat, vir strenuus armis.
 Hanc ubi per triduum muris iam poene ruinae
 110 Vicinis animo forti infractoque tremendos
 Adversum insultus servasset, dedere tandem
 Arcem, simpliciterque fidem implorare coegit
 Principis obsessos dubii sors aspera belli.
 Nec spes vana fuit, salvi incolumesque paternos
 115 Dimissi petiere Lares. Arx diruta prorsus
 Edicto regis, nec ibi, nisi signa ruinae,
 Apparet quicquam, lapidumque incondita moles,
 Imo hodie superest factae nec nota ruinae.

82 hinc Z huic

103 Trosch Z Trosk

117 superest M super est

Fama est usque adeo commoto pectore regem
 Hoc fieri voluisse, quod olim glande petitus
 120 Eius ibi genitor grave et immedicabile vulnus
 Hauserit, hostiles voluit dum sistere motus
 In casu simili proceresque domare rebelles.
 Obsidet hinc aliam vindex exercitus arcem,
 Cui Lethae nomen, procul haud quae distat ab urbe
 125 Claudiaca, dirimens Dacos et Paeonas arces
 Ceu limes regni, zeugma, inde est dicta vetustis.
 Nec tolerare diu vires atque arma potentis
 Evaluit regis, sed libertate petita
 Oblataque ultro miles dimissus abivit.
 130 Res hic horrenda et longo memorabilis aevo
 Accidit. Ut primum legio regalis ad arcem
 Irruit exultans, nec iam securi timeret
 Exitium aut aliquem media inter gaudia casum,
 Inventis inhians epulis et dedita luxu,
 135 Cumque alii in terrae penetralibus abdita passim
 Investigarent per tecta domosque vagantes,
 Res alias inter forte et complurima vasa
 Pulvere sulphureo completa fuere reperta,
 Quae dum distraherent incautius, incidit ignis
 140 Scintilla, attactuque afflavit cuncta; fit ingens
 Ruptura et sonitus, liquidas rapiuntur ad auras
 Corpora per partes (dolor heu) discerpta minutas,
 Tectaque pulvere nimbo iacere ruinas
 Inter saxorum, non ullo condita busto.
 145 Hos inter Ianus, qui sic periire, supremus
 Szylvassi fuerat, magnis vir strenuus ausis.
 Fama, per insidias factum id, canit, esse latentes
 Hostis, cor cuius dolor iraque saeva coquebat,
 Quod fuerat capta discedere ab arce coactus.
 150 Hoste ita perdomito concisisque arcibus intra
 Regni septa, animi cursu crevere secundo,
 Ut iam non pigeat virtutis ad alta paratos
 Culmina difficili atque alacri contendere nixu
 (Irritata simul nescit mitescere virtus),
 155 Nec iam adventantem regni in penetralibus hostem
 Expectare iuvat, dum ceu lupus horridus intret
 Septa ovium, foeda iugulet rabieque bidentes
 Innocuas, multa et magalia strage cruentet
 Funereus, pestis pecudum exitialeque damnum,
 160 Sed procul ire foras, animisque ingentibus ausum

125 *marg.* M Letha obsidetur
 150 concisisque Z connisisque
 158 magalia Z magnalia

Naufragium et patriae commune intendere Laethum
 Arcere, et patriis detrudere finibus hostem.
 Ergo huc aere ruit pubes excita canoro
 Effera et extentae stridenti murmure pellis,
 165 Quam strepere horrendum repetito verbere dextra
 Indefessa facit, signum et rata tessera belli.
 Nobilitas primum, patrio quae more tenetur
 Nec precio conducta ullo regalia sponte
 170 Signa sequi et belli capita obiectare periclis
 Pro rege et regni pro libertate tuenda,
 Hinc est, ante alios amplis quod honoribus aucta
 Fulget, et a nullis legum vincitur habenis,
 Libere agit, iuris vinclis ne astringitur ullis,
 175 Ut reliqui cives, quos oppida plana vel urbes
 Incoluisse iuvat vitamque agitare molestam.
 Huc socias vires ingentiaque aera ferebat
 Saxona gens, pacem gaudens proponere bello,
 Multorum patiens onerum toleransque laborum,
 180 Nec minus et bello postrema urgente ruina
 Apta, ubi pixidibus violentum torquet in hostem
 Aeratas glandes, Scyticoque imbuta veneno
 Tela iacit validis inflexo viribus arcu.
 Huc et primipili Sicula de gente profecti,
 Libertas quibus antiquis a regibus olim
 185 Legibus et priscis pariter concessa potestas,
 Immunes onerum gravis haud exactio census.
 Nullaque lex premeret, nato nisi rege recenti
 Quisque bovem daret Ungariae iuga ducere suetum,
 Quem caesum vita pro sospite regis ad aras
 190 Aptabant epulis, faustoque hoc omine laetos
 Imperio regis sese parere probabant.
 At si quando graves oriantur sede tumultus
 In patria, externus aut proelia suscitet hostis,
 Armati coeant omnes, atque agmina iungant
 195 Regnicolis reliquis. Animis et viribus audax
 Hoc genus est hominum, nec vulgus inutile bello.
 Ancipitem longis falcem praefigere contis
 Consuerunt pedites validoque vibrare lacerto
 Hostis in obstantis iugulum, furit ima per ossa
 200 Ferrum ingens, corpusque in partes dividit ambas,
 Sive hominem feriat, pecudum vel dividat artus.
 Umbo equites pictus loricaque fulgida inumbrat,
 Tegmen et aeratum caput undique munit apertum.
 Hic equitum pulchra Gabriel Maylathus et ala

177 proponere Z praeponere

178 patiens Z parcens

205 Sese ostentabat, Fernandi nuper ab aula
 Adveniens patriam Fogarasch invaserat arcem.
 Huc et ab Hozogiis manus inclita venerat oris
 Rascia progenies, non hac praestantior ulla
 210 Rege sub Ungarico tunc plebs apparuit armis.
 Praeterea adfuerant multi, quos aere fovebat
 Menstruo, et ad belli praesentem legerat usum.
 Usque adeo inexpertis rem, Martis proelia, dulcem
 Ausa animis et opum luxu tentare superbo
 215 Nobilium pubes: maiorum quicquid avorum
 Arte laborati, pia cura, nepotibus auri
 Liquerat, inque sui monimentum et pignus amoris
 Servari voluit, belli vertebat in usum.
 Aurea cornipedes mandebant frena feroces,
 220 Insignes phaleris auroque ostroque decori;
 Obducta argento radiabat et hasta corusco,
 Mucroque stellatus gemmis et iaspide fulva
 Balteus et fulvo fabricati ex aere lebetes,
 Ut magis ad lautae convivia tendere mensae,
 225 Sanguinolenta sequi quam Martis signa gradivi
 Rara putaretur bellicque ignara iuventus.
 Iamque Colossensem radians exercitus urbem
 Agmine complerat spaciosaque iugera circum,
 Cum rex vexari morbo spem praeter acerbo
 230 Caepit, apud proceres subnasci ingensque periculum
 De vita ipsius; quasi non mansura superstes,
 Partiri geminas praecepit in agmina partes:
 Scilicet ut vulgus conductusque aere satelles,
 Qui latus ad regis semper praesto esse solebat
 235 Convictu propiore frui, confinia regni
 Hostis ab incursu sumptis defenderet armis.
 Nobilium interea secum subsistere coetum
 Imperat, usque valetudo sperata recurat.
 Tempus erat, Christi sacra quo ieiunia vulgus
 240 Mente colit memori, glacies vixque alta resolvi
 In liquidas undas prodireque floriferum ver
 Gramineusque herbis coepit revirescere campus.
 Franciscum Nemethi Tokainae deligit arcis
 Praefectum, sit ut is dux rector et agminis, ac si
 245 Ipsemet in castris rex praesto fidus adesset.
 Arx iacet aerei suspensa in culmine montis
 Tractu in Szilagio, tellus ubi dives abundat
 Vitibus, umbrosis circum undique cincta frutetis,

215 laborati **Z** laborali
 222 lebetes **Z** bebetes
 228 vexari **M** vaxari

Haddat, cui tribuit nomen feralē vetustas,
 (Hungara vox siquidem bellum signare notescit).
 250 Forte ibi quod clades commissa aliquando cruenta,
 Aut huius fuerit dirum, quam scribimus, omen.
 Huc ubi delatae niveis tentoria velis
 Extendunt, nactaque diu in statione moratur,
 Regales acies, iuvat infestare rapinis
 255 Oppida cum pagis, nec amicus ab hoste furentis
 Vesanique fuit discretus militis ausu.
 Securi interea luxu indulgere superbo
 Gaudebant epulisque meroque vacare calenti.
 Non procul absentes inimici horrere cohortes
 260 Deprensus quisquam, nulli oportuna gerendis
 Mente animoque haesit felixque occasio rebus.
 Nuncius adventum si quis praedixerat hostis,
 Irrisum naso dux suspendebat adunco.
 Nec mora: praesidiis ex omni parte coactis
 265 Ballassa accelerat, Sepusia terra Ruthenos
 Huc cum Germanis positas habitantibus urbes
 Mons ubi Carpathius sublimi vertice coelum
 Incipit exaequans, fortes distinguit et Hunnos
 Sauromatum a gente, auxiliaria misit in arma.
 270 Pixidibus fixam plebs haec contingere metam
 Doctior et gladiis durisque bipennibus hostes
 Sternere. Poeonio pars maior et aptior armis
 Milite constabat, primis qui doctus ab annis
 275 Arma agitare manu et concurrere comminus hastis.
 Haec legio, haec acies duro praecordia ferro
 Undique munierat, muri instar fortis aheni.
 Ut vero roseis vultus atque ora capillis
 Cynthus Oceani rediens eduxerat undis,
 280 Tresque die exorto ferme nituisset ad horas,
 Instaurare dapes et prandia lauta parare
 Intenti: subito cum cursu fessus anhelō
 Nuncius astabat referens, ingentibus ausis
 Hostis ut acceleret propius castrisque propinquet.
 Obstupuere omnes, vix dum sua cuique tributa
 285 Iusta acies statioque fuit, bello aptus et ordo
 Compositus, contra tormenta tonantia et hostes
 Dirrecta, incertis feriant ne iactibus auras.
 Arma, arma inclamant, seque exhortantur et urgent,
 Exiguo numero obsistant ut fortius hosti.

248 Haddat **Z** Haddad
 252 delatae **Z** delati
 254 Regales **Z** Regalis
 264 ex omni **Z** ex omne
 273 primis **M** primus

290 Tunc acie in prima, populi stipatus aheni
 Agmine, prae reliquis in equo altior omnibus ibat
 Ballassa, et pictis late conspectus in armis
 Acer et indomitus, quo spes quoque ira vocasset,
 295 Ferre manum nunquam et scelerato parcere ferro,
 Successus urgere suos, instare faventi
 Fortunae, impellens quicquid sibi summa petenti
 Obstaret, gaudensque viam fecisse ruinae.
 Regali ex coetu viginti quinque ruebant
 Egregii iuvenes extrema audere parati:
 300 Et terrere hostem, et trepidantibus addere robur
 Atque animos sociis molemque avertere belli.
 Hos Nemeth increpitans ferratae verbere clavae,
 Agmina ne scindant, retro cessisse coegit.
 Hoc alii ut videre metu trepidoque pavore
 305 Perculsi, pavitantia vertere terga retrorsum
 Dilabique fuga tentant: non ordo cohortes
 Aut lex ulla regit. Magno clamore secuti
 Victores instant, nudatisque ensibus hostes
 Frusta in multa secant, sanie taboque fluentes
 310 Foedantur campi, saevus magis ac magis horror
 Crebescit propiusque malum est, iam pulvere coelum
 Stare vident, pereunt equites, et spicula castris
 Densa cadunt mediis: it tristis ad aethera clamor
 Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum.
 315 Hic profugi solido argento perfecta relinquunt
 Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
 Auxerat exitium refugis nix aethere ab alto
 Mane novo delapsa, levis vestigia cursus
 Notaque signa pedum referens velut indice certo,
 320 Qua tulerint gressus, quos horrida sentibus arbor
 Antraque et obscuri procul occuluere recessus.
 Symbolon hoc nostris bellicae haec tessera signum:
 Her, her erat, niveis evinctaque tempora pannis,
 325 Quod multi ex nostris signum moremque secuti
 Evasere necem, proque hostibus agmen amicum
 Censiti agnatum strinxere in pectora ferrum.
 Rascia prae reliquis animosius obstitit hosti
 Progenies; Bathorum pariter de sanguine cretus
 Magnifico Stephanus Varadina ex arce ferebat
 330 Belli in subsidium delectae corpora pubis
 Quingenta, atque diu constans et imagine firmus

308 ensibus hostes M hostes ensibus

311 Crebescit Z Crebescit

314 Bellantum M Ballantum

316 pulchrosque Z pulchrasque

315–316 solido argento — Verg. Aen. IX, 357–358

Persistens late strages dabat, isque corusco
 Vexillum radians dissectum concidit auro,
 Cumque suos inter famulos fidissimus unus
 335 Auxilium imploraret heri moribundus, in hostem
 Impete cum valido ruit, eripuisse periclo
 Semianimum satagens; ubi dum bello acrius instat,
 Transfixus procumbit equus, rectorque per armos
 Succisos fusus multa vi praelia miscet,
 340 Usque alium sortitus equum (quem fida ministri
 Dextra laboranti tulerat) retro egit habenas.
 Cui clarum ob facinus, Dacici cum vaivoda regni
 Bathoreus fieret, meritos persolvit honores,
 Dona ferens ipsi preciosa, suaeque vocabat
 345 Extremo servatorem in discrimine vitae,
 Thordensi et camerae praefectum sistit, ubi sal
 Sudat inexhaustis specus densissima venis.
 Dignus, quo memori nunquam fama eximat aevo.
 Hic et Saxonicae gentis dux inclitus armis
 350 Arduus ibat equo, fulvi Simon faber auri,
 Urbe Coronensi missus lateque cruento
 Ense furens, iuvenum fortissima corpora bello
 Prosternens, quaque irruit, impetus agminis illi
 Cedere conspectus globus et rarecere densus.
 355 Hunc alii contra gladios vehementer et hastas
 Torquebant, iaculi sed non vis ulla trilicem
 Hamis loricam capitis neque tegmen ahenum
 Perrupit, duri tantum vestigia ferri
 Aerato umboni repetito ex verbere inhaerent.
 360 Unde redux iisdem lateris circumfluus armis
 Dis grates solvens foribus sua scuta senatus,
 Qua coit, indicium rei gestae suppetit ensem,
 Egregium verae meritis virtutis honorem.
 Hic etiam Paulus, cui clarum Csakia nomen
 365 Progenies peperit: constansque et caedere virtus
 Nescia praecipiti patria nutante ruina
 Fortiter obsistens hosti, volat agmine denso
 Fulmineus, multosque neci dabat ense corusco,
 Usque triumphantis laqueos incurreret hostis,
 370 Qui precio tandem pro libertate soluto
 Salvus et incolumis sedes repetivit avitas.
 Huius consilium prudens atque utile multis
 Si Nemethus, belli ductor, cum plebe probasset,
 Non tantam stragem, nec tot dispendia rerum
 375 Passa procul dubio regalia castra tulissent.
 Fama est, ex acie elapsos patriamque petentes

337 Semianimum Z Sem'animum

376 Fama est — Procop. De bello Goth. II, 24

Vindictae ardentes odioque cupidine matres
 Invasisse viros veribus sudibusve praeustis,
 Utque ita patratas prius ultas esse rapinas.
 380 Tantus foemineas acuit furor iraque mentes,
 Saevitiem catulū superent ut tigridos ample.
 Iamque aderat propior devexo vesper Olympo,
 Quando per ambages retro flexusque viarum
 Victor legit iter, sanie taboque cruentus,
 385 Vix bene tarda trahens suspiria pectore anhelō.
 Ac ubi devictae rediere in castra catervae
 Deserta, extemplo spoliis inhiantque relictas
 Diripiunt gazas, parta exultantque rapina.
 Et quia iam melior fuerat pars acta diei,
 390 Curabant laeti bene gestis corpora rebus.
 Vidisses (dictu res foeda) cadavera collis
 Instar sublimis congesta, sedilia et altas
 Mensas praebere exanimes coenantibus hostes,
 Inter et horrendos gemitus plactusque sonoros
 395 Horum, quos laqueo fortuna adversa tenaci
 Implicuit, dedit et gestare ligamina collo
 Ferrea captivo manibus post terga revinctis.
 Caede tepente solo et fuso spumantibus arvis
 Sanguine (quos durus Mars abstulit ense) virorum,
 400 Quemlibet exactae certamina dicere pugnae
 Audisses, alacri mente ut delatus in hostem
 Multa virū nudo stravisset corpora ferro,
 Obiecto aut clipeo arma et tela minantia lethum
 Irrita per vacuas resilire coegerit auras.
 405 Pars praedam ostendant, siccam fusique per herbam
 Indulgent vino, et vertunt crateras ahenos.
 Collucent ignes, noctem custodia ducit
 Insomnem ludo, ac laeti paeana canebant.
 Mane novo, tenebras sol postquam distulit atras
 410 Aureus, obscuramque solo dimoverat umbram,
 Cuncta ad se patrio ductor vocat agmina sistro
 Balassa. Utque una secum bona parta secundo
 Successu belli portent, hortatur et urget.
 Pars homines, alius vasa aurea frenaque, captos
 415 Cornipedesque acres communem duxit in usum
 Distribuenda, quibus fuerat commune periculum.
 Saxonicae agricolae gentis, quod ad arma coacti
 Venissent iussu regis, coluisse parati

379 Utque Z Atque

380 acuit furor MZ furor acuit *sed* M *super* furor 2, *super* acuit I *notae numerorum inscriptae*

381 Saevitiem Z Saevitia / tigridos Z tigridis

406 ahenos Z ahenas

411 vocat agmina — Verg. Aen. VIII, 696; Lucan. Phars. X, 63

420 Montibus in celsis vineta ferentia Bachum,
 Ultro dimisit, sumptuque adiuvit egentes.
 Nobilitas, multo ludibria tempore passa,
 Non nisi magnifico precio taxata recessit.
 Sollicite inquirens victor Ballassa rogabat,
 425 Quae Bathoris bello fuerit fortuna cruento,
 Vulnere num affectus captusve vel acrius hostes
 Confertos inter pugnas sit et obrutus armis?
 Quem postquam accepit non magno vulnere laesum
 Evasisse fuga, fertur dixisse: dolerem
 430 Ex animo, miles si tam generosus et audax
 Adversi foret aut quicquam perpessus iniqui.
 Hunc equidem agnosco reliquos excellere cunctos
 Usu bellandi, praestanti robore et alto
 Pectore, non ullum fugiens metuensque periculum.
 435 Addo tamen: faustis ille haud successibus unquam
 Bella geret, Turcis cum foedere iunctus adhaeret,
 Christicolae contra feralia moverit arma.
 His actis, Zakmarum adeunt, plausuque frementes
 Exultant laeti, spolioque fruuntur opimo.
 440 Ante pedes regis Nemethus vultumque volutus
 Orabat veniam supplex e clade regressus:
 Securos hostem nunquam potuisse timere
 Dictans, quem numero et rerum locuplete paratu
 Vicissent longe: fore tempus, ubi agmina rursum
 445 Cogere et adversum velit ire audentius hostem,
 Diluere ingentem et fato meliore pudorem,
 Quando sibi nervi preciosa[que] nomismata belli
 Adsint, et conferre manum pudor iraque monstret.
 Eventum belli dubium esse, ac saepe videri
 450 Victores sorte inversa succumbere victis.
 Rex pius, etsi animum clades miseranda suorum
 Angebat multum, civem servare volebat
 Unum qui potius, hostes quam perdere centum.
 Annuit optatis, melius iussitque precantem
 455 Sperare inque fide obsequioque manere priore
 Erga se firmum, tria milliaque adiicit auri
 Signata Ungarici donum preciosius aera.
 Tokaium, veritus, ne offenso hoc praeside miles,
 Lege illi obstrictus, vicino proderet hosti.
 460 Interea implacidum clades accepta coquebat
 Mire animum regis, tantam reparare ruinam
 Qua ratione queat turpemque abstergere labem.
 Mittitur extemplo regalis ad atria Budae

435 adhaeret **Z** adhaerens

451 volebat **Z** solebat

Legatus, passae celeres mandata per auras
 Qui ferat, ut praesto delecta plebe virorum
 465 Adsit, opemque ferat; belli quae postulet usus
 Se curaturum, defectu castra laborent
 Ut nullo, spondet, neu quid venientibus obstet,
 Id fieri quando velit, ac praeceperit ultro
 Threicius caesar, deserti cura clientis.
 470 Ver erat, et pictis pubescere gramina campis
 Laeta apparebant incanaque floribus arbos
 Exultare novis, avidi spes plena coloni:
 Protinus aeratas acies in proelia cogit
 Budensis praeses; ruit hinc Themesinus et arcis
 475 Zolnoki rector, quique altae moenia Lippae
 Imperio bekus cohibet, vicinaque bello
 Colluvies, habilis florensque aetate iuventa.
 Ut coiere omnes, arcta obsidione coronant
 Zakmarum, validisque insultibus ardua tentant
 480 Moenia cum vallo superare. Ter impetus ingens
 Successu caruit, populis obstantibus intus
 Fortiter et multa vi proturbantibus hostem.
 Demum ubi defendi non posse intelligit arcem
 Ulterius victum ob tenuem, neque spes foret ulla
 485 Subsidiis externi, vel proditione timeret,
 Ne insidias struerent clausi intra moenia cives,
 Ballassa, occulte sese subduxit ab arce,
 Ut ferat auxilium desperatisque salutem.
 Ergo habitum assumens, piscator sordidus uti
 490 Quo solitus, nodosaque retia et aera recurva
 Puppe cava vehitur, socio comitante ministro,
 Qui fluctus remo subigat, Scyticaeque peritus
 Interpretis linguae sit, ubi dictaverit usus.
 Quove dolus lateat, frondentibus undique ramis
 495 Praevelat navim, propiusque adlabitur alvei
 Ripis, quas tellus silvestribus horrida dumis
 Vestibat, primoque virens in vere salictum,
 Ut procul observans sulcantem coerula puppim
 Nil fluvio praeter frondes innare putaret.
 500 Inde ubi per medios non ulli cognitus hostes
 Transierat, tutos et haberet in arce receptus
 Etschet, opem implorans praestantem robore pubem
 Signa sequi mandat, suprema in fata parati
 Tendere et a patriis depellere finibus hostem.

480 vallo Z vallum

490 et Z id

496 dumis Z damis

497 salictum Z salicium

498 coerula Z carula

505 Hanc postquam Turci fraudem didicere dolosam,
 Ore fremunt omnes, inflataque pectora nigro
 Felle tument, imis dolor ingens ossibus haesit.
 Cauta velut vulpes, quod retia fugerit hostis,
 Quam primum et retro frena intorquere parabant.
 510 Praedam ex Haddadia coniuncta clade relictaque,
 Aptius ut Budae possint remeare sub urbem,
 Distribuunt sociis; rabies Vulcania celsas
 Aedes absumit, Turcis iaculantibus ignem.
 Rex neque tuta putans periurae foedera gentis
 515 Prorogat adventum, sociasque adiungere vires
 Differt, atque morae nunc hos, nunc obiicit illos
 Praetextus; iuvat et fulvi preciosa metalli
 Mittere dona hosti, factam argentoque monetam
 De solido, Divum quo templa arasque regressum
 520 Reginae ante Petrus Petrovith spoliaverat isto
 Sub fuco, coleret veteris ne idola papatus
 Cum gnato coniux regalis reddita regno.
 Pondus Iachimi retulit formamque taleri
 Aes hoc signatum: effigiem pars quippe rapacis
 525 Una lupi exhibuit, latos arrectus in armos
 Supplex cum luna coniunctum sidus adorans,
 Caesaris auxilium insinuans se exposcere Teucrum;
 Altera plana fuit pars nulla notata figura.
 His rex eximiis ardentia pectora donis
 530 Ira placavit, propriasque redire coegit
 Ad sedes Turcas, ingenti non tamen absque
 Praeda, quam vastans late omnia raptor agebat.
 Ballassa a tergo fugientia castra secutus
 Delecto iuvenum cuneo duo millia Teucrum
 535 Foede occisorum pallentem misit ad Orcum,
 Adque suos rediit praeda locuplete recepta
 Exultans, pariterque animis plebs omnis ovabat.

Siculorum Transylvanorum rebellio adversus Iohannem secundum.
 Anno 1562.

Haec extra Dacici dum fiunt limina regni,
 540 Oppida fumiferis fervent ingentia flammis,
 Indomitusque furit Mavors, populataque late.
 Audaces animis Scituli (quos gente vetusta
 Hunnorum, memorant, procul aut in finibus ortum

510 Haddadia coniuncta clade relictaque Z Haddadiae coniunctae clade relictamque
 525 arrectus Z erectus
 526 luna Z lima
 534 Delecto Z Delectus

Siciliae et traxisse genus belloque potentem
 Atque armis Atilam, regem Hunnorum esse secutos)
 545 Adversum insurgunt regem, repetisse parati
 Antiquas leges libertatemque sepultam
 Vi armataque manu; namque hos graviore tributo
 Censuque immodico dira inclementia regis,
 550 Quorundam ex rabies inhians oppresserat auro
 Implacata ducum, et plus quam servile coëgit
 Ferre iugum miseram sine respiramine plebem.
 Ergo rati tempus, dum sese occasio iusta
 Obtulit hoste foris grassante, movere tumultum.
 Nec mora: praecipiunt, ut ad arma volentibus omnes
 555 Concurrant animis iuvenesque senesque viritim.
 Ardentumque animos onerante ingentibus acres
 Promissis Maylatho, uti fert non incita passim
 Fama, et despota, nuper provincia regni
 Moldavi fato cui cesserat ampla secundo,
 560 Auxilium miseris essent quod ferre parati;
 Et si quem coeptis trepidus dimoverit horror,
 In torto pereat suspensus ab arbore fune,
 Non illi domus aut coniux, aut vita supersit,
 Undique divulgant expressa lege dynastae.
 565 Saxonicas etiam crebros misere per urbes
 Legatos, rudis ut nutantia pectora vulgi
 Impellant, bellum pro libertate gerentes
 Marte iuvent socio: vicinae iniuria genti
 Facta monere alios, simile ut sibi quisque gravamen
 570 Imponi metuat, nisi mox crudelibus ausis
 Unanimi assensu violento Marte resistant.
 Se dignos, quorum sortem deploret acerbam
 Saxona gens, aiunt, rigidis quae non minus Hunnis
 Invisa imperium cogatur ferre superbum.
 575 Hanc penes esse urbes omnem bellicque paratum,
 Tantum acuunt vires, successus fata datura
 Bellum moturis patriae pro lege secundos.
 Cumque rogarentur, coeptum quo praeside bellum
 Urgerent, quibus auspiciis aut castra moverent,
 580 Respondere: Deo id fieri duce, numine cuius
 Propitio leges libertatemque priorem
 Instaurare velint pulchrae aut succumbere morti.
 Saxona gens, qua non est pacis amantior ulla,
 Talia respondit: Nostro decernere voto
 585 Possumus haud quicquam, communia quippe pericla
 Consilium commune petunt; referamus oportet
 Rem totam ad socios, primumque ea scire senatum

Urbe Cibirnsi par est, pendemus ab eius
 Imperio reliquae latis et legibus urbes.
 590 Hinc ubi responsum concordi mente probatum
 Nuncius attulerit, ducent quo fata, sequemur.
 Consulto blanda suspensos voce tenebant,
 Progressum ultimum et usque rei finemque viderent.
 Interea populus nihilo rem segnius urgens
 595 Confluit armatus, manibus gestare bacillum
 Qui poterat puer, aut gressu tardatus anhelus
 Sponte senex veteri pro more in bella ruebat.
 Iamque Segesvarum rura et Kysdensia post se
 Liquere, aucti Cocalumque propinquius amnem
 600 Attigerant Ebbesfalvam, et prope castra locarant,
 Dives ubi et pulchris domus exornata figuris
 Gregorii Apafi cura impensisque videtur.
 Hinc adeunt Bonyham, Vassarhelyioque propinquant,
 Ut se cum sociis iungant, quos ampla Marusi
 605 Littora servabant, ubi Reghen abundat opimis
 Vitibus oppidulum, purusque serenus et aer
 Corpora non patitur crebris tabescere morbis.
 At prius unirent quam castra avulsa, repente
 Nuncia fama venit Maylattum hostilibus armis
 610 Ipsorum invasisse solum, rapere omnia et igni
 Frumenta atque domos exurere, cumque tenellis
 Indigne pueris matres tractare, supremum at
 Ipsis ac dirum exitium intentare putetur.
 Nec mora: praepropere pars frena retorquet equestris
 615 Cursu, grassantem patriis in finibus hostem
 Pellere prompta animis, terrore metuque trementem
 Eripuisse malo turbam praedamque referre
 Raptorum extortam manibus victricibus armis.
 Adventum monitus metuens Maylattius ira
 620 Gentis acerbatæ vestigia flectere retro
 Contendit, cui fit celeri mox obvia cursu
 Delassata phalanx, series non ulla, nec ordo
 Servatus, quemvis vehemens velut ardor agebat
 Anxiaque agnatam gentem et pia cura iuvandi,
 625 Sic ruit indomitus, pugnamque intendere gaudet.
 Cum subito longis concurrunt agmina contis
 Utrunque, ac circum capita it seges undique ferri
 Silvaque telorum, gladiis solida aera fatiscunt,
 Tinnitu et galeae resonant: ferit aethera clamor
 630 Bellantum iuvenum et duro sub Marte cadentum.

588 Cibirnsi Z Cibiniensi
 600 prope Z om.
 612 at Z ut
 614 praepropere M praepopero
 619 ira Z irae

Inde superveniunt pedites, horrentibus hastis
 Quos iuvat aptare et curvas praefigere falces.
 Hos dolor ultricem stimulavit ut acris in iram,
 Acti ceu Furiis pecudumque hominumque secabant
 635 Corpora per medium, penetrabile aeneae ferrum
 Tegmina dissolvit, prolapsaque viscera coecis
 Ex uteri latebris spumantem sanguine campum
 Foedabant. Alios inter fortissimus unus
 640 Maylati traiecit equum, quōque auris operta
 Dextra fuit domini, tegmen dissolvit ahenum.
 Ille ope porrectum famuli auxilioque fidelis
 Vix conscendit equum, et retro vestigia flexit.
 Illi alacres animis saevique ardentibus iris
 645 Instant a tergo, fugientesque acrius urgent.
 Sternuntur refugi, caede omnis semita fervet,
 Luxuriatque solum fuso praepingue cruore.
 Et nisi successus bello nox atra secundos
 Lassatae et vires cursu Scytulum impediissent,
 Aut nulli, aut pauci Maylati signa secuti
 650 Diram quivissent et atrocem evadere cladem.
 Ante alios periit Boyer Ballasius, audax
 Atque animi fidens milesque interritus armis
 Et servi famam nomenque fidelis adeptus
 Perpetuo, dominum quod tristi a morte redemit
 655 Morte sua, pulchrumque obiit per vulnera lethum,
 Excusso cum subdit hero tela inter et hostes,
 Quo fuit usus, equum, terra erexitque iacentem;
 Et Veneti Stephanus, iuvenum pulcherrimus, illi
 Agmine quo toto similis non extitit ullus
 660 Maylatios inter, validi nec corporis artus
 Maiores habuit quisquam, neque pectore robur.
 Parte sed ex alia prostratus vulnere acerbo
 Occubuit ferri quidam faber, ante recurva
 Falce decem dederat qui fortia corpora letho.
 665 Post cladem exactam quoties meminisse solebat
 Siculicae pugnae Maylath, dixisse putatus,
 Non tantos animos tantasque in corpore vires
 Armorumque usum Scythulos habuisse putaram;
 Iuro equidem, nec vana fides, patris esse Gradivi
 670 Reliquias, merito et decus immortale mereri
 Ex iis quemque, ducum seu militis acta probati
 Aestimet, et libra censor perpenderit aequa.
 Haec ita dum fiunt, socii in statione relict
 675 Ad Vasarhelyum, posita formidine et omni
 Cura, plus nimium madido indulgere Lyaeo,

666 Siculicae Z Siculiae / putatus Z putatur

645 omnis semita fervet — Verg. Aen. IV, 407

Ceu Lapythae infrenes, convellere tecta parati
 Nobiliumque domos, non aes, non aurea vasa,
 Nec rerum ingenti precio quaesita supellex
 Insanam rabiem furiosi et militis ausus
 680 Effugere immanes potuit, quia bella vetabant,
 Duraque agrestes damnabant voce [rumores] furores.
 Protinus ex tota populo regione coacto
 Princeps ardebat gentis domuisse rebellis
 Infandos ausus incompositosque tumultus.
 685 Ergo ubi distractas nondum coivisse catervas
 Edidicit, quosdam et patrios repetisse Penates,
 Secureque alios luxu indulgere protervo,
 Ceu nulla immineat metuendum ex parte periculum.
 Quingentos equites, quibus addita turba pedestris,
 690 Praemittebat, erat, vires qui exactius hostis
 Atque animos, omnem explorent bellique paratum.
 Interea reliquis rex cum legionibus haesit
 Expectans Thordae, dum occasio iusta sequendi
 Obtingat, missoque ex milite resciat omnem
 695 Rei seriem pugnaeque modos aditusque patentes.
 Tempus erat, summum coeli rapidissimus axem
 Quo sol attigerat cursu, radiisque per orbem
 Ingentem sparsis duros urgebat agrestes,
 Cum subito incautam regalis turma catervam
 700 Aggreditur, magnoque instans clamore libantes
 Huc illuc acies caedit sternitque fugatque.
 Fit via vi, trepidumque in partes scinditur agmen,
 Evasere fuga pauci, belloque ruere
 Complures, flexis aliqui post terga lacertis
 705 Ad regem summo non absque pudore remissi.
 Maxima pars ultro patrios dimissa Penates
 Attigit, accedente fide, quod bella movere,
 Aut similes nunquam velit attentare tumultus.
 Rex de captivis statuit: radantur ut alto
 710 Vertice de capitis monachorum more capilli,
 Atque nates vestis cingensque tegensque pudendas
 Decurtata siet, miserandae infamia genti.
 Tres habuere manus populataque tempora raptis
 Auribus et truncas inhonesto vulnere nares.
 715 His actis: princeps magna comitante caterva,
 Quanta vix alias unquam vel pace, vel armis
 Stipatus fuerat, sublimem tendit ad arcem
 Schesburgi, Scythulis urbs quae vicinior oris
 Adiacet, estque forum locuples, unde empta reportant

681 furores **Z** *om.*

691 omnem **M** *omne*

715 magna comitante caterva — Verg. Aen. II, 40

720 Omnia, communi quae sunt accommoda vitae,
 Artifices ipsis adsint dum, sitque colendis
 Dedita plebs agris trabibusque addicta parandis,
 Exornata quibus domus et suffulta nitescit.
 725 Huc quoque conductu salvo venere priores
 Prae- medioque viri Sicula de gente vocati.
 Ventum est ad templum spatiosae augustius arcis,
 Concilio in medio procerum tum se arduus infert
 Csakius, arcano cui fas signare sigillo
 730 Regia iussa fuit tacita contenta papyro.
 Ex charta recitans titulos et nota virorum
 Nomina, qui fuerant capita authoresque tumultus
 Luctifici, moxque appensos in carcere claudi
 Imperat atque arcte rigido custode tueri.
 735 Quotidie interea variis cruciatibus intus
 Atque exquisitis tormentis pene necati,
 Cum causis facinus coguntur turpe fateri.
 Corporis ante alios praepollens robore et ampla
 Membrorum mole insignis, animosus et audax
 740 Forte Georgius erat, cui Magno corpus obesum
 Cognomen dederat, dux seditionis et author.
 Hunc prius ignito laniatum forcipe saevi
 Carnificis rabies candentem ferre coronam
 In capite ac manibus sceptrum gestare coëgit,
 745 Demum cum sociis tribus extra ducitur urbem
 Montis in aërei clivum, pro crimine dignas
 Quo consueverunt scelerati expendere poenas.
 Hic resupinus humum tergo languente premebat,
 Astant tortores, longumque per ampla verutum
 750 Terga urgent, dorso propius qua spina cohaeret.
 Consultoque cavent, vitalia membra subiret
 Ne trabs lethalis, dolor ut diuturnus et atrox
 Torqueat, et miseris angoribus urgeat aegrum.
 Ille fere triduum sublimis ab arbore pendens
 755 Horrendos inter gemitus saevosque dolores
 Difficile atraxit vitalem faucibus auram,
 Usque globo moritur per ventrem e pyxide misso.
 Supplicium pariter socii subiere rebelles,
 Mors quibus ingratam abruptit subitanea vitam.
 760 Rex reliquum vulgus validam imperiosius arcem
 Extruere a fundo propria in regione coëgit,
 Praesidioque intus positio domuisse subactam
 Praecepit plebem graviore tyrannide, possit
 Ne similes domita unquam gens renovare tumultus.

724 conductu Z conducto
 739 marg. M Georgius Nagy
 748 verutum M terutum

765 Quove gravis luctus memores tristisque ruinae
 Essent perpetuo, Siculana rebellio nomen
 Arx tenet: Ungarice Székely dixere Tamadum.
 Spe tamen afflicti pascuntur et ubere voto,
 Quod divina manus finemve modumve laborum
 Allatura siet miseris: Deus omnia vindex
 770 Aspicit, iniustis sua stat quoque meta tyrannis.
 Multum etiam mutat longum et variable tempus,
 Inque statum primum vi aut fraude amissa reducit.

Casus tristissimus despotae Moldaviae Iacobi Heraclidis Basilici,
 qui a seditiosis suis militibus ad interficiendum hosti
 nefarie traditus est.

Anno 1563, cum regnum anno 1561 occupasset

Tristia despotae memorabo fata Iacobi
 Basilici, Herculeo qui sanguine duxerat ortum,
 775 Divinumque genus morum probitate fideque
 Sincera excoluit, factisque illustribus auxit.
 Perfida lugubrem cuius Moldavia casum
 Deflebit, dum pontus aquas vehet, aura volucres.
 Moldavia est regio Dacicis contermina terris,
 780 Planitiem in longam porrecta, ubi divite gleba
 Luxurians tellus spatiosis pascua bobus
 Lanigeroque gregi laeta et foecunda ministrans.
 Hinc caput exiniui lunataque cornua tauri
 Est patrium insigne atque opulenti tessera regni.
 785 Hic varios legum populos concordia iunxit,
 Libera vivendi permissa est cuique potestas
 More suae gentis, modo debita munera, census
 Reddat, et imperium ducis ultro et sponte facessat.
 Trux tamen est adeo populus, crudelis et asper
 790 In dominos, dicunt alio quos nomine vaidas,
 Raro aliquis placidam queat ut producere in annum
 Imperitans vitam, nisi caede et sanguine multo
 Foedifragum extirpet genus et crudele boierum
 Atque calugeros fuco pietatis inani,
 795 Qui fraudem insidiasque struunt, sacra iussa docentes.
 Mos est, legitimas si quando vaivoda metas
 Extra coniugii peregrino captus amore
 Prolem ex furtiva producat matre virilem,
 Hancque calugeriis commendet furtim alendam,
 800 Stigmate signatam, certo velut indice natos
 Inter ut agnosci et discerni possit agrestes.
 Tum, sobole desit si successura parenti

767 voto **Z** voto

787 census **Z** census

Legitima in regno, regni hic ascribitur haeres,
 Quem caloesgorum in vaidam censura vocarit.
 805 Ergo ubi despotes patriis depulsus ab oris,
 Argolica instructus lingua peragrasset amoenas
 Ausoniae partes: famamque illustribus actis
 Et virtute ducum summos meruisset honores:
 810 Vulgus Alexandri imperium crudele perhorrens
 Vaidae colluvies et seditiosa baronum
 Despotam patrio certant inducere regno.
 Itque reditque frequens, qui fervida dicta reportet,
 Nuncius, atque animos coeptis audacibus acres
 Promisso auxilio, valida vi pondere et auri
 815 Addat, speque levet mentes meliore paventes.
 Assensum utrimque est: rauco aere coacta iuventus
 Rara quidem numero coit, sed vivida bello
 Dextra viris animusque ferox patiensque pericli.
 820 Huc ruit ante alios ductor fortissimus omnes
 Inclita progenies Lasconum, praebuit ortum
 Cui celebrem, peperitque decus famamque perennem
 Virtus difficili tendens super aethera [virtus] nixu;
 Kezmarckum premit imperio, vicina Polonis
 Martigenis ubi iuncta manet Scepusia tellus,
 825 Bellandi hoc aevo nulli virtute secundus
 Sarmaticos inter procures procuresque Bohemos.
 Huc gente a Sicula pariter cognomen adeptus
 Ibat fulmineis Antonius inclitus armis,
 Pannonicae ductor peditumque equitumque cohortis.
 830 Hostis Alexander ferventes vaivoda volvens
 Conatus animo, prope iam bellicue paratum
 Aspiciens omnem, intrepido sic pectore fatur:
 Nil, socii, trepidate, precor, victoria nostris
 835 Certa erit in manibus, numero superamus et armis,
 Iustitia et causae, imbellis, pavitantis et hostis
 Despectum hoc agmen. Silvas intramus opacas
 Si quando, canibusque feras venamur agrestes,
 Nos numero sequitur grex maior et aptior armis.
 840 Si proavi nostri regem potuere Matthiam,
 Dum patriis nostras desertis finibus oras
 Concuteret bello, quo non praestantior ullus
 Pace armisque fuit, nostro vi pellere regno,

804 caloesgorum Z caluesgorum

819 Huc M Hinc

820 progenies Lasconum M Lasconum progenies *sed super* Lasconum 2, *super* progenies 1 *notae*
numerorum inscriptae

822 aethera virtus Z aethera

827 *marg.* M Székely Anthal

834 erit M erat

841 quo non — Verg. Aen. I, 544—545

Cui calamis cordi sunt docti cura libelli:
 Nostra queat virtus nonne huic obsistere et armis
 845 Prostratum infando et turpi deperdere letho?
 Sic ait. In faciem deflexit lumina Motzogh,
 Belli praefectum quem sic affatur et infit:
 Robore, consiliis, bellandi excellis et usu,
 850 Inclite dux Motzogh, nec me tua certa voluntas
 Rebus in ambiguīs adversa et sorte fefellit
 Unquam; nunc igitur fortis tua dextera bello
 Ingeniumque sagax quid possit iure vel astu,
 Ostenta, in te omnis mea spes et cura recumbit.
 855 Reddidit huic contra: Veniam da, quaeso, loquenti
 Liberius, siquidem cogit me vera fateri
 Res ipsa. Ante tuos praestantes robore et armis
 Ense trucidasti procures, Stygiumque sub Orcum
 Misisti innocuos, illorum ut avarus haberes
 860 Divitias fulvique ingentes aeris acervos,
 Eque suis bobus lucrum preciumque referres:
 Nunc age, cornigeros adversum hostile iuencos
 Agmen proferto! Minus haud tamen ipse virili
 Impavidoque animo pugnas et bella ciebo
 865 Pro te, pro patria sociūmque salute meorum,
 Dixerat. Ille iterum divos per et astra precatur,
 Strenuus esse velit duxque imperterritus armis.
 His dictis, rauco strepuerunt cornua cantu,
 Timpanaque horrendum resono intonuere fragore,
 870 Acris equū fremitus, vox auditurque virorum
 Sese invitantum clamore ad bella secundo.
 Hos metus absterret, spes illos credula firmat,
 Cum subito infestis concurrunt agmina signis,
 Inque vicem gladios praeacutaque spicula tendunt
 875 Marte animoque pari. Laudum his arrecta cupido
 Dat vires, spoliū et robur largitur opimum;
 Libertas aliis toto preciosior auro
 Est cordi, metuuntque, suis ne sedibus acti
 Exilium infelix subeant, fugiantque Penates.
 880 Tum chalybe induti fulgentesque aere Bohemi
 Accurrunt equites, et fulminis obvia sternunt
 In morem, rituque nivis de pixide glandes
 Effundunt teretes, stricti seges undique ferri
 Inque viros et equos laxis furit aspera habenis.
 885 Diffugiunt trepidi, retro et vestigia flectunt
 Iantzari primum, inde sagittiferi Moldavi.
 Militiae princeps, Motzogh, legione suorum
 Lecta equitum sese despotae iunxerat ultro.
 Vaivoda diffugiens vix tandem evaserat atrox
 Exitium diramque necem, extra limina regni
 890 Saevitiam ob pulsus solio sceptrisque paternis.

Hostem post victum et procul ex regione fugatum
 Barbariae immanem gentem rituque ferino,
 Ordine non ullo vitam vel lege trahentem
 Despota aggreditur meliore refingere cultu,
 895 Legibus et latis mores abolere nefandos.
 Nobilium vetitos gladio mulctabat amores,
 Qui, libuit quoties, toties liquere maritas
 Ducebantque alias, divortia crebra novantes;
 Et sacras aedes caloergum opulentaque claustra
 900 Vi valida invasit, multumque hinc abstulit auri
 Arte laborati, et simulacra argentea divum,
 Vestesque excultas gemmis auroque rigentes
 Mystarum induvies sacrum cidarinque bicornem.
 Hoc ex argento pulcras auroque monetas
 905 Cuderat arte fabri, quibus effigiemque suumque
 Inscriptis nomen domitique insignia regni.
 Miles in officio precioso hoc aere retentus
 Sponte sua domino obsequiumque fidemque probabat.
 Plus etiam Hispanis, Italis et fortibus Hunnis
 910 Fidebat, voluit custodesque hosque frequentes
 Corporis esse sui defensoresque salutis:
 His affecta malis tacito Moldava iuventus
 Funere despotae exitium crudele parabat.
 Nec mora: lethiferum sacrato in farre venenum
 915 Turba caleguriū sub relligionis amictu
 Obtulerat fuco, sacrum velut hostiam, edendum
 Despotae; siquidem veteres imitata Pelasgos
 Paschatis in festo convivia lauta parare
 Consuevit, vescique una et considerare mensa
 920 In fidei signum sincerum et pignus amoris,
 Hoc olim bimari quod fecerit orta Corintho
 Plebs (memorat), sacer et Melchisedechus, Abramo
 Dum pia farra tulit Laenei et munera Bachi.
 Ille dolum monitus sensit, primumque iubebat
 925 Suspecta authores attingere dona palato.
 Hoc pietatis opus dignumque exposcere honorem,
 Praegustent, si epulas ipsi et sacra munera libent.
 At pudor atque metus sceleris sibi mensque nefandi
 Conscia suffudit vultus atque ora rubore.
 930 Extemplo turbati animi et vox faucibus haesit,

899 caloergum Z caluergum

922 memorat Z memorant

923 Laenei Z Lyaei

924 iubebat M videbat

925 palato Z palatos

921 bimari Corintho — cf. Hor. Carm. I, 7.2

922 Melchisedechus Abramo — Gen I, 14,18

Ordine pestiferum cum sumere quemque coëgit
 Panem et sacratas attingere dentibus offas.
 Inflati diro ventres crepuere veneno,
 Lapsaque corporibus fluxerunt viscera ruptis.
 935 Insidiis et miro elusis fraudibus astu
 Concipiunt aliam furita mente barones
 Exitii formam, irrequietaque corda tumultus
 Exercet varius, rabiesque insana fatigat.
 Scilicet ad lautae convivia splendida mensae
 940 Accitum victumque mero curisque solutum
 Ense truci perimant membris in frusta revulsis.
 Ille dolum veritus fraudemque subesse, nefandum
 Dissimulat crimen vultu, ac spem fronte serenat,
 Ut queat authores scelerum praevertere letho.
 945 Aequius esse refert, si tota caterva baronum
 Regali coëat, lauteque epuletur in aula,
 Vincula amicitiae pacemque et foedera firmet,
 Offensaeque omnes animo excutiantur iniquo:
 Tum se venturum quocunque et quando vocarent.
 950 Talibus accensi dictis sublime frequentant
 Atrium, et ignari fraudumque dolique latentis
 Exhilarant animos, dapibusque epulantur opimis.
 Spumantem pateram et pleno crateras lacho
 Ingentes manibus tollunt versantque duabus.
 955 At domus interior regali splendida luxu
 Cincta erat aulaeis precioso murice et ostro,
 Haec armata cohors ferro post terga latebat
 Opperiens dum iussa, gravi ruat impete in hostem.
 Nec mora: despotes subito clamore ministros
 960 Incitat armatos. Celeri velocius Euro
 Prosiluere, acresque acuunt in bella dolones,
 Inque viros gladios stringunt et spicula torquent.
 Emicat hic acies ferri, ceu luce corusca
 Quando oculos strinxit fulgur cava nubila rumpens.
 965 Fit fragor et gemitus, sanie taboque cruentae
 Luxuriant mensae, sparso pariesque cerebro
 Foedatus stillat, nec membris membra cohaerent
 Amplius avulsis: rudis indigestaque moles
 Omne erat, illorum poterat quod parte videri.
 970 Hoc casu tragico miseranda et caede virorum
 Exacta invidiae stimulos ne concitet acres
 In seipsum vulgique odium implacabile et iras,
 Restituit cultus, templisque indixit honores,

958 impete **Z** impetu
 960 velocius **M** velocior
 963 ferri **Z** ferris

975 Permisitque aras Panchaeo ut odore vaporent,
 Ipsorum et ritu sacrataque fluminis unda
 Induit aspersus peregrinum nomen et una
 Gentilemque fidem sacrum cultumque professus.
 Cogit amor coecus regnandi et avara cupido,
 980 Venales habuisse fides, animosque prophanos,
 Exitiumque adfert multis, callemque salutis
 Obstruit aeternae, vetat et super aethera tolli.
 At Motzogh reliquis vafro non immemor astu,
 Paruit inferior cuius Moldavia dictis,
 985 Imperiis opibusque potens, mira arte doloque
 Despotae exitium struere insidiasque parabat.
 Nunciat hostiles multa vi incumbere regno
 Tartaricae gentis turmas, quibus obstet, opemque
 Mature promptam ferat, orando instat et urget.
 Militis ille sui partem praecinxit amictu
 990 Tartarico, flexosque humeris suspenderat arcus.
 Hoc se posse dolo (referens) hostilia castra
 Fallere, debellato et ab hoste referre triumphum.
 Territus adversa hac fama et rumore sinistro
 Mittit in auxilium praestantem robore pubem
 995 Insignemque armis, qua nulla peritior arcus
 Tendere et oblongis concurrere comminus hastis.
 Ut prius coiere acies, iunctaeque manipulis
 Essent Motzogiis, nec quicquam fraudis iniquae
 Conciperent animo, oppositumque ardelibus armis
 1000 Aspicerent certam hostili tumidumque paratu
 Hostes esse rati veros committere pugnam.
 Ergo ubi mentitos fictis sub vestibis hostes
 Marte petunt, illi violento Marte resistunt,
 Fortiter excipiuntque invicto robore belli
 1005 Totius molem, quos mox post terga secutus
 Motzogh adest, fessisque animum viresque ministrat.
 Atque ita piniferis velut Alpibus undique septus
 Utraque ex parte occubuit despoticus omnis
 1010 Miles, vix aliquis, qui bella cruenta referret
 Nuncius, ex clade evasit mansitque superstes.
 Segnius haud verbis scriptisque fugacibus ursit
 Despotam interea Motzogh, velit alite passu
 Ipsemet ad pugnam totis contendere castris,
 1015 Id rem difficilem regni extremumque periculum
 Poscere, namque ducis multum praesentia bello
 Prosit, consiliis animoque valentis et armis.

974 Panchaeo **Z** Panthaeo

991 referens **Z** *uncos om.*

992 referre **Z** deferre

993 hac **M** haec

His cum importunis et crebris nuncius aures
 Omni pene hora implemet mentemque feriret,
 Protinus armatis decurrit ab arce manipulis
 1020 Subsidiū sociae laturus opemque catervae,
 Nescius ipse mali. Rapido cumque ocus Euro
 Cursus urgeret celerēs volucrique sagitta,
 Haud procul upilio spaciōsa per aequora campi
 Lanigeras pascebat oves, curasque molestas
 1025 Ex animo tristi resonō procul utre fugabat,
 Sordidus ex humeris nodo pendeat amictus.
 Is subito accelerans satagit clamoribus altis
 Indicio et pilei circum cava tempora ducti
 Sistere et a coepto dominum revocare volantem.
 1030 Utque prope accessit cursu lassatus anhelō
 Vix auram ore trahens, aegre et suspiria ducens,
 Talia voce refert: Absiste referque citatos
 Audacesque gradus! Divum pia numina testor
 Hocque caput charum vitae aeternaeque salutem,
 1035 Quosque vides teneros, quēis nil mihi gratius, agnos:
 Caesas esse acies, periisse et Marte cruento
 Praesidium emissum, teque hic turbamque relictam
 Protinus invasurum hostem, qui turbinis instar
 Accelerat rapidi torta et perniciosus hasta.
 1040 Neve fides desit dictis, me ducito tecum
 Captivum, flammisque ure, aut demergito in amnem,
 Si mendax fuero vates fallaxque repertus,
 Dixerat. Ac strepitus armorum interritus heros
 Constantique animo tolerare adversa paratus
 1045 Dicto ultro paret, versisque refugit habenis,
 Cum subito accelerat Moldavae perfida gentis
 Colluvies, arcemque gravi obsidione coronat
 Szotcham, quae caput est regni sedesque ducalis.
 Crebro octingentos Mavortia signa sequentes
 1050 Despotes aluit famulos, victricibus armis
 Quorum et virtuti vitam credebant amicam.
 Pars melior bello occubuit, pars caetera pulchram
 Adductura nurum (vinclo sociata iugali
 Quae domino maneat) Podolinas ire per oras
 1055 Iussa fuit, ducis haec erat una et amica propago
 Solamenque mali, spes firma et sera voluptas.

1017 importunis **Z** opportunis

1023 upilio **Z** opilio

1028 cava **Z** cana

1043 Ac **Z** At / interritus Heros **M** intrepidus Heros interritus

1048 Szotcham **Z** Szotsvam

1052 pulchram **M** pulchra

1026 Sordidus amictus — Verg. Aen. VI, 301

Vix tum vallata residebant arce ducenti
 Bello apti iuvenes Hispani Hunnique feroces.
 Seditiosa foris legio, quae cinxerat arcem,
 1060 Rite ut rem gereret, stolidum et mutabile vulgus
 Imperii melius rigidis frenaret habenis,
 Vaidam alium elegit votis concordibus, ante
 Qui fuerat custos despotae et ianitor aulae,
 Incerto peperit mater quem patre creatum.
 1065 Thomscham dixerunt, noto quem nomine Thomam
 Dicimus, exitium despotae, et acerbior hydra
 Immani pestis, cuculoque ingrator ipso.
 Ille cito Hunnorum misso oratore petebat
 Regis opem, narratque, ipsi si evadere detur,
 1070 Insidiaturum quoque et acria bella daturum.
 Rex Ianus metuens despotae inimica propinqui
 Consilia atque animum toto haud sibi corde faventem,
 Sexcentos iuvenes avectos currubus ala
 E peditum partim partimque elegit equestri.
 1075 His Thomam Dacium Ladislavumque Radakum,
 Marte duces celebres multis clarosque trophaeis,
 Praefecit, iussitque datas coniungere vires
 Moldavis hostemque trucem insectarier armis.
 Militiae reliquas inter conventaque leges
 1080 Despotes vetuit, ne quis petulantius acri
 Voce lacessitus responsum redderet hosti.
 Id cum Pannonicae decretum maximus alae
 Negligeret ductor, daret acciperetque susurros
 Suspectos, tacitum furtim ad conclave vocatum
 1085 Obtruncat ferro, diroque exangue cadaver
 Vulnere prostratum secretis conditur umbris.
 Crimine vulgato scelerisque authore relecto
 Ingens fit fremitus, implacatusque tumultus
 Exoritur, moestoque immugit regia luctu.
 1090 Nec mora: comprehensum manibus post terga revinctis
 Tradere et hostilis turbae obiecisse furori
 Tota cohors ardet, fremit, indignatur, inopsque
 Ceu mentis furit, insana et bachatur in arce.
 Ille gemens veniam coelum per et astra precatur,
 1095 Impune et nunquam violatum numen Olympi,
 Ad triduum expectent, fulgentibus aere catervis
 Adfore mox Lascum, duros ultricibus armis
 Qui sit pulsurus debellaturus et hostes.
 Ferrea at indomiti precibus nil pectora vulgi
 1100 Flectuntur, meritas poscunt cum sanguine poenas.

1057 tum Z tam
 1078 Moldavis Z Moldaviae

Flectere si duros, ait, haud datur ulla potestas,
 Meque mori immota Parcarum lege necessum est,
 Vos potius miserum crudeli absummite ferro,
 1105 Infodite et tumulo, in vastos aut spargite fluctus,
 Ne tantum experiar rabiem ludibria et hostis,
 Qui portae custos erat ante meusque minister,
 Nam servare modum rebus sublata secundis
 Barbara progenies et plebs ignorat agrestis.
 1110 Talia nequicquam lachrimis humentibus ora
 Irrorans toties peteret cum poplite flexo,
 Pronus humum tangens divisque in vota vocatis,
 Se totum atque animae commendat voce salutem
 Numinis aetherei manibus, veniamque precatur,
 1115 Si quicquam rectum praeterque admiserit aequum,
 Quo Deus atque homines offensi forte fuissent,
 Sic ait. Et panem pariter calicemque sacratum
 Admovit manibus propriis, ingessit et ori.
 Arra hac invictum firmans et pignore robur
 1120 Indubiae fidei, ne mortis agone supremo
 Deficiat languens poenarum tormine victus.
 His actis, nimium precioso cinctus amictu,
 Murice Sydonio Tyrio fulgebat et ostro,
 Gemmisque et solido late circumdatus auro
 1125 Arduus ibat equo (nam tantum evicta querelis
 Et virtute viri plebes indulserat atrox)
 Paciferaque manu Moldavi insignia regni
 Auratum et sceptrum praetendens, iamque propinquus
 Esset ubi castris, defluxit equo, obvius itque
 1130 Hostili cuneo verbis gestuque decoro,
 Supplicis in morem sese victoribus adfert.
 Tum Thomscha irarum irrequietis fluctibus ardens
 Despotam alloquitur: Scelerate et perfide, quis sis,
 Fare age, quaeque tibi spes aut fiducia capto?
 1135 Ille refert: Quis sim, nosti, rerumque mearum
 Non te conditio latuit felixque fefellit,
 Dum favit fortuna mihi, tu portitor aulae
 Servus erasque meus, nunc quando adversa premat me,
 Ex domino famulus tibi sum servire paratus.
 1140 Non tulit orantem, ferrata calce fatigans
 Cogit equum irruere et pede conculcare iacentem.
 Hinc inde in gyrum versans flectensque lupato
 Naribus eflantem fumos atque ore vomentem
 Mordaci spumas dum creber anhelitus urget.
 Tum trepidum attollens caput attenuataque colla

1102 necessum Z necesse
 1112 commendat M commendet

1145 Ictibus assiduis, ferrata verbere clave
 Concidit, et sparso maduerunt arva cerebro,
 Luxuriansque solum praepingue cruore rubenti
 Immaduit, rivoque undabat sanguinis alto.
 1150 Tunc rabiosa cohors certatim exangue cadaver
 Ensibus invadens adeo ferventibus instat
 Irae animis, donec minima usque in frusta resectum
 Foeda rudisque foret certo et sine nomine moles.
 Vidisses alios nudatum sanguine ferrum
 Imbuere et maculis ultro foedare cruentis,
 1155 Ut nota perpetuo et sceleris monumenta nefandi
 Edoceant seros tanta de caede nepotes.
 Aurum alii sparsasque legunt per iugera gemmas
 Filaque dissecto in partes pretiosa recinctu.
 Hic etiam extremum quidam testatus amoris
 1160 Et pietatis opus: tritis collecta lacernis
 Involvens frusta et miserandos condidit artus
 Sacratae super imposita cruce moestus arenae.
 Talia vicinas dum spargit fama per urbes,
 Pulsus Alexander vires animumque recepit,
 1165 Atque ope Turcorum solio consedit avito.
 Iussit et heu miseri despotae corporis artus,
 Quondam compositos, modo frusta horrenda, recludi
 Tellure et sacco clausos suspendier alta
 Arbore, qua ob furtum pendent damnata latronum
 1170 Corpora, nodoso constructaque guttura fune.
 Proditor at Motzogh sceleratae caedis et author
 Thomscha fuga elapsi regis petiere Poloni
 Urbem, Russorum quae prima et maxima sedes
 Eximii nomen de robore nacta leonis.
 1175 Hic scelerum meritas et debita tormina poenas
 Caesus uterque luit gladio, tandemque resecta
 Quattuor in partes, suspensaque corpora ab alta
 Fronde fuere diu spectacula tristia visu.
 Haec meta, hic finis fuit et lachrimabile fatum
 1180 Vitae despotae, lugubris et exitus atrox.
 Quem si fata diu favissent invida mundo,
 Barbarie Scyticae depulsa gentis honestas
 Leges ingenuas instauravisset et artes.
 Nunc luget misere, et semper lugebit ademptum
 1185 Improba colluvies Moldavae et perfida gentis,
 Queis de more duces consuetum prodere probos
 Insonantes neci detrudere rursus acerbae.

1151 resectum **Z** rescitum
 1162 imposita **Z** impositae
 1174 nacta **Z** pacta

11. Liber octavus

Interceptum Szakmar per magn<ificentissimum> d<ominum> Stephanum
Bathoreum et regis Ioannis II. expeditionem contra Ballassam continens.
Ubi incredibili victoriae successu usus multas arces partim vi, partim per
occupationem [deduntur et] capit usque ad Tybiscum amnem, quas deinde
insequente bruma omnes recuperat Lazarus Schvendius auspiciis
d<omini> Maximiliani II. Rom<anorum> imper<atoris>, quo facto
irritatus rex Iohannes rursus praesidio Turcico stipatus castra movet,
et Ördedum post longam obsidionem per deditionem accipit, similiter
etiam rivulos minerarum sub anno 1564 et 1565.

Ballassae interea curaeque iraeque coquebant
Ardentes animos, Laribus quod abactus avitis
Regni esset, regisque atrox inimicus et hostis
Hinc odii flammam immensum vertit in ignem,
5 Quo pene in tenues regio conversa favillas
Signat adhuc patriae perplexas igne ruinas.
Forte ubi Zakmaro longe digressus abesset
Incustodito, plus fidens civibus aequo
Moenibus aut arcis, chara cum coniuge nati
10 In qua degebant, fidei carissima certae
Pignora, nulliusque doli mctuensque pericli.
Hinc illinc cogens habilem rauco aere catervam
Armis, adversum qua dimicet obvius hostem,
Materiamque novo daret incrementaque bello.
15 At vulgus reputans diuturni incommoda belli,
Antea quae tulerit, superessent quaeque ferenda
Ulterius sine spe gratae placidaeque quietis,
Amplius antiquum imperium tolerare recusat.
Nec mora: Bathoreo Stephano, qui pulchra regebat
20 Praesidis imperio Varadini moenia castris,
Rem produnt omnem, crebrisque hortantur et instant
Vocibus, invadat capiatque interritus arcem:
Quando aditus pateant faciles, roburque sit intus
Exiguum, victas quod sit praebere paratum
25 Sponte manus legumque et subdere colla capistro,
Praesentes animos tantum hic et firma requiri.
His blandimentis captus Bathoreus heros
Quingentos legit iuvenes et ad arma paratos

arg. magnificentissimum dominum *Z om.* / expeditionem *Z* expeditio / continens *Z om.* / dedun-
tur et *Z om.* / deinde *Z* vero / Ördedum *Z* Erdődum
21 hortantur *M* hortatur

30 Esse iubet mandatque sequi, quocunque dedissent
 Fata viam, pulchra et vitam pro laude pacisci.
 Tempus erat, dubiae nebulosa crepuscula lucis
 Nondum puniceis aurora advecta quadrigis
 Dispulerat penitus, tacitis cum passibus arcem
 35 Densus adit cuneus, portis infusus apertis.
 Exoritur clamorque virum cantusque tubarum.
 Quos latuere doli fraudesque et perfidus astus,
 Pauci ad bella ruunt, et coeco Marte resistunt.
 Ast ubi rem falsa sub proditione doloque
 40 Conspexere geri, tepuit sub verbere mucro,
 Et cecidere animi victis, ardensque resedit
 Impetus, exiguoque efferbuit ira tumultu.
 Ballassae ante alios capitur pulcherrima coniunx
 Cum quattuor natis, servandaque traditur aequae
 45 Custodum fidei, spolium et velut obses opimum.
 Praesidiis firmata novis arx iussa subivit
 Imperiumque ducis, fuit a quo capta, benigni.
 Rex horum ignarus spem praeter ut accipit omnem
 Arcem interceptam, et charos cum coniuge natos
 50 Hostis in arbitrio captos vinctosque teneri,
 Gaudet et exultat, iubilat, laetatur ovatque.
 Iam se posse putans cuncta instaurare, rebellans
 Quae rapuit proprios et transtulit hostis ad usus,
 Aut oraturos pacem, qui bella serebant,
 55 Deletum et penitus regnum cum rege volebant.
 Protinus inflato lachrimosa in proelia cornu
 Convocat aeratos tota ex regione maniplos
 Hostiles contra turmas. Cito iussa capessit
 Hunnorum egregia descendens stirpe propago,
 60 Ardore et nimio pugnae frenare furentes
 Vix motus irasque valens, animosaque bello
 Pectora, mancipio ob patriae devota salutem.
 Mors etiam coepto Fernandi caesaris alto
 Addebat vires animisque ardentibus ignes,
 65 Cui tunc Ausonius tota cum plebe senatus
 Inferias patrio de more et iusta parabat,
 Defletosque diu regali condidit urna
 Exanimis artus dilecti patris et orbis
 Hesperii domini, nunquam victique monarchae.
 70 Huic operi intentos, dubiis animosque gerentes
 Curis distractos, regni cui sceptra Latini
 Occidui tuto mendentur et orbis habenae,
 Et nil sollicitos sociae pro parte catervae
 Irritare iuvat tacitoque lacessere bello.

66 Defletosque Z Deflectosque

30 vitam pacisci — Verg. Aen. V, 230

75 At prius externos peteret quam milite fines,
 Cuncta domi bene disposuit, digessit et apto
 Ordine, ne trepidos vecors discordia cives
 Funesto inter se faceret concurrere bello.
 Tsakius ante alios absentis munia regis
 80 Fidus obit, secumque alii, quos cana senectus
 Erudiit, veniens et seris usus ab annis,
 Nobilium e numero pariterque ex urbibus una
 Saxonice coiere patres, quibus ampla potestas
 Absolvere probos damnare et lege nocentes.
 Ille docens patrum procerumque heroicis ordo
 85 Claudiaca hortatu regis residebat in urbe,
 Esset ut auxilio, et stipendia menstrua sumptu
 Mitteret exhaustis, adversaque cuncta levaret.
 Rasaque multifidis cingentes crania mitris
 Ingenti Turcas conduxerat aere, resistant
 90 Ut, si vicinis erumperet arcibus, hosti.
 His actis prius et divis in vota vocatis
 Castra movet, longoque hostiles agmine fines
 Aggreditur, quaque it, stupet ac tremit omne pavore
 Attonitum vulgus, furialiaque arma perhorret.
 95 Haddadium imprimis, arx nobilitata cruenta
 Clade prius, dura Iani obsidione gravi
 Cingitur, exiguo quam milite septus habebat
 Zennyesius dici Matthias nomine gaudens,
 Magnanimus bello dux fortis et inclitus heros.
 100 Saepe hic blanditiis verbisque petitus acerbis
 Haud flecti potuit, praeberet ut hostibus arcem,
 Demum ubi tormentis disiecta tonantibus alti
 Moenia corruerant muri, succensus et ingens
 Agger erat circum arentis de cespite fœni,
 105 Lignorumque strues arderet ad astra favillas
 Eructans, claram dans perque incendia lucem,
 Ut nec stare loco iam possent intus obusti,
 Nec densam fumi nubem nebulasque profundas
 Ferre oculis faucesque abstringere et amplius ora:
 110 Pacem orare omnes tensis super aethera palmis
 Incipiunt, victosque alta se voce fatentur.
 Ut patuere fores, hostile infunditur agmen
 Vi multa, spoliis inhians gaudensque rapina.
 Parcere nobilibus rex iusserat ante puellis
 115 Imbellesque nurus lachrimoso educere casu
 Ipsarum salvis opibus salvoque pudore.

97 quam M quem

80 seris ab annis — Ov. Met. VI, 29

Restituitque iterum propriis iungique maritis
 Agminibus mandat lascivis voce minaci.
 Quin et militibus regis clementia captis
 120 Donabat vitam. Reliquos Zennyesius inter
 Pulvereo aspersus nimbo inclinante ruina
 Murorum arceret saevos dum fervidus hostes,
 Guttura vix auram captans defessus anhelio
 Ducitur ad regem, conspectum cuius iniquum
 125 Horruit haud quicquam, tendit nec ad oscula supplex
 Fronte oculisque minax, nec verba precantia dixit,
 Signa nec in vultu trepidi dedit ulla pavoris,
 Haecque ait: Haud modo me victum captumque videret
 Quisquam, quos volui, potuissem ducere in arcem
 130 Si mecum famulos centum, quibus obstitit heros
 Bathoreus, numero et maior delevit in arcum
 Compulsos, potius vafro, quam viribus, astu,
 Vix ubi per medios evasi turbidus hostes,
 Hac et in exigua cum paucis arce resedi.
 135 Princeps intrepido dicentem talia vultu
 Miratur, mentemque viri pectusque virile
 Laudibus eximiis multoque favore rependit.
 Inde movens adiit Varadini moenia Parvi,
 Kis-Vardum prisci castrum hoc dixere coloni.
 140 Id dum per triduum oppugnat, spesque omnis abesset
 Servandae indomiti vim contra militis arcis,
 Deditur, atque ultro leges et iura capessit
 Regia, et impositum dare sub iuga cogitur aurum.
 Hinc tandem victrix Mavorte favente secundo
 145 Ulterius progressa phalanx Nyirensia rura,
 Bathoreum natale solum patriamque frequentat,
 Quos fama atque ardens evexit ad aethera virtus
 Praeclarum ob facinus gestum insignemque triumphum
 De Turcis habitum in Campis a pane vocatis.
 150 Nec domus illa diu felicibus obstitit ausis,
 Etschetiae quoque dum Nicolaus et inclitus arcis
 Haeres occurrit Bathorus regi, atque petebat
 Pacem, addens, reliquas subigat modo et occupet arces,
 Fortunae haud quicquam se velle deesse faventi,
 155 Quin in amicitiam coeant et foedera iungant.
 Longius hinc vecti Bidiorum stirpis ad arcem,
 Attyavarum dictam, magno molimine muros
 Oppugnant, sphaeras et grandia saxa rotantes
 Tormenta exonerant, quibus oppida quassa ruinam

117 Restituitque Z Restituique
 148 triumphum Z triumphu
 149 marg. M Kenyer Mezeo

160 Excidiumque urbes patiuntur et ultima fata,
 Dirruta quumque forent lapsu et graviore propinqua
 Moenia telluri, nec propugnacula nudos
 Protegerent, esset spesque omnis adempta salutis,
 165 Dedere se tandem pacemque orare coacti,
 Incolumi vita salvis et rebus abibant.
 Vix prius auditis, fama est, successibus urbes
 Trans freta piscosi magno terrore Tibisci
 Perculsas ultro voluisse exposcere pacem,
 Victaque regali submittere colla capistro.
 170 Vix primum adventum Cassovia, Bartpha, Cibunum,
 Montis et excelsi prospectans vertice Scharos,
 Vel toties rapidis Leutschovia perdita flammis,
 Kezmarchum atque omnis Sepusia terra, tulissent
 Regis et immanem bellum et crudele paratum.
 175 At rex ex veteri quae pertinere subactis
 Pannonibus pacto regis sub iura Iohannis,
 Dum duo discordes studia in contraria scissum
 Imperium reges divisaque sceptrā tenebant,
 180 Quorum limes erat immotaque meta Tibiscus,
 Pannonias dirimens ambas de lege recepta,
 Iam patriae fines et dulcia visere rura
 Defessus bello pro voto reque peracta
 Ardebat, spoliis praedaeque oneratus opima,
 185 Utque datum optatas salvo contingere sedes
 Et recreare pigros revocatis viribus artus.
 Undique conveniunt proceres, reducemque salutant
 Muneribus votisque piis, divosque precantur,
 Hunc servare velint salvumque diuque beatum,
 190 Quo vetus Hunnorum instaurari praeside possit
 Gloria, devictis paxque hostibus alma reduci.
 Plurima diversis vulgantur cantica linguis,
 Inclita queis virtus regis per rura, per urbes
 Decantata viget, mundoque hoc stante vigebit.
 Vulgus Alexandro magno regique Matthiae
 195 Hunc passim aequarant summis et in orbe monarchis.
 Dicitur hac fama caesar Solymannus amoeno
 Forte equitans campo et fallens venatibus horas
 Accepta, spumantis equi calcaribus alvum
 Strinxisse, inque altos acrem stimulasse caballum
 200 Saltus, laetitiaque animo fervente locutus:
 En mea quam non me de hoc fallit opinio gnato,

160 Excidiumque Z Exidiumque
 173 Sepusia Z Scepusia
 193 vigebit M vigebat
 195 aequarant Z aequarat
 198 alvum M alnum

Magnanimum bello fortunatumque futurum
 Hunc dixi iuvenem, famam qui terminet astris.
 Ille ego Nabathaei dominus regnator et orbis
 205 Proelia multa solo gessi pelagoque profundo,
 Sed nunquam sine caede gravi et sine sanguine multo.
 Hic vero plebem tantam, dispendia passus
 Nulla, brevi spacio totque arces Marte subegit;
 Me taedet, piget atque mei, longo obsitus aeo
 210 Quod iuvene a tali superior victricibus armis.
 Pars, animo quorum melior sententia sedit,
 Ingens inde malum exoriturum atroxque canebant,
 Ex bello bellum litemque ex lite perennem,
 Quando audax facinus non sit passurus inultum
 215 Maximus Aemilius, defuncti sceptrum parentis
 Sortitus, magnis dans iura Quiritibus aequa.

Recuperantur arces omnes in Iohannis potestatem redactae duce
 Lazaro Schvendio, auspiciis Maximiliani II. imperatoris Romanorum.
 Anno D(omini) 1565.

Tempus erat, rigidae frigus penetrabile brumae
 In glaciem versos quando subsistere fluctus
 220 Ferratosque orbes dorso tolerare coëgit,
 Immensisque solum nivibus pressum omne gemebat;
 Ocia lascivum cum principe mollia vulgus
 More triumphantum carpebat pace petita,
 Nulla adversa timens nullum metuensque periculum.
 Protinus imperio Romani caesaris ingens
 225 Cogitur ad bellum populus, levis arma! iuventus
 Arma! fremit, ferroque induta atque aere corusco
 Exultans ardet turbatae foedera pacis
 Vindicibus revocare armis et cogere priscum
 230 Vulgus in obsequium intercoeptaque poscere bello.
 Schvendius insigni fama duxque inclitus armis
 Atque suae aetatis gestarum tempore rerum
 Nulli laude ducum induperatorumque secundus
 Fit praeses; meliusque ut artes disceret Hunnūm
 235 Pugnandi et morem: Ballassa huic iunctus adhaesit,
 Viribus atque astu pugnare peritior alter
 Quo Turcas contra fuit haud dux Pannoniasque.
 Huc equites chalybe inclusi venere Bohemi,
 Quasque referre mora est diversa ex gente cohortes.
 240 Ut tetigere urbem Ausonii de nomine Cassii,
 Quae nomen ducit dominū splendore potentum,
 Marmorea exaequans et eburnea tecta Quiritum:
 Quadriugos onerant immensis molibus orbes

Materieque omnis generis, quae moenibus arcis
 Incumbens sternat, vertatque a sedibus imis
 245 Murorum insanos et propugnacula colles.
 Marte fremens vulgus: vinaria vasa liquore
 Exhausto Bachi vacuataque dolia passim
 In grandes instar spaciosi montis acervos
 Aggerat, obiectum quorum deluderet hostis
 250 Bombarda infusas adversa in corpora sphaeras.
 Praeses erat Nemethi Franciscus rector et arcis,
 Additus haeredi tutor velutique patronus
 Gasparus, illustri nati de stirpe Seredum.
 Ille loco fidens virtuti et militis ingens
 255 Pectore spes altosque animos et robur alebat.
 Quin ipsum admonuit regem, non ulla ministret
 Subsidia obsessis, ter donec menstrua luna
 Instabiles tremulo motu compleverit orbes.
 Schvendius extemplo displois fulminat arcem
 260 Contra tormentis. Iam moenia missile plumbum
 Perforat, et magna muros ex parte revellit.
 Nec iam stare loco cincti potuere quieto,
 Turbine telorum retro densa et nube coacti
 Cedere et obscuro se condere tutius antro.
 265 Haud mora: turba omnis positis ad moenia scalis
 Intrare ardebat, qua parte Bodrogus in amnem
 Infusus Titiam ripis miscetur amoenis.
 Hoc tum forte dabat tergum currentibus aequor
 Frigore brumali obstrictum, tamen agmine denso
 270 Plus nimium glacies onerata fatiscit, et imo
 Gurgite trecentorum exanguia membra virorum
 Occuluit limo, fulvaeque immersit arenae.
 Haec ita dum fiunt, pressi obsidione salutem
 Pacemque exposcunt, ventosa per aëra in altum
 275 Tegminibus capitum sparsis, quod deditionis
 Germanos apud est signum veniamque precantum.
 Schvendius indicta mox pace absistere coepto
 Indomitam cogit pubem cursusque referre.
 Ecce duo interea legati ex arce renarrant,
 280 Bombardae ut iaculo circum cava tempora tactus
 Occiderit Nemethus, specula male cautus ab alta
 Dum fraudes hostisque dolos scrutatur, et acri
 Clamore accendit socios, bella, horrida bella
 Invictis acuunt animis et Marte resistant.
 285 Iam quia victori coguntur cedere fati
 Acti, orant, liceat salvis discedere rebus

253 Gasparus M Casparis

280 *margin.* M Cassovia expugnatur / cava Z cana

285 coguntur MZ cogantur

Vitaque incolumi moestumque efferre cadaver
 Praesidis extincti, tristi condatur ut urna.
 Arx ubi de sancto nomen venerabile Jobo
 290 Nacta iacet, Nemethi domus optatissima quondam,
 Dum bello vacuus dulci cum coniuge molles
 Tranquillosque dies egit securus amorum.
 Annuit optatis belli praefectus, utrinque et
 Foedere composito abscessum crudelibus armis.
 295 His aliae trepidis motae terroribus arces
 Ultro se dedunt, pacemque et foedera iungunt.
 Tunc quoque Zakmari disiectis moenibus arcem
 Deseruere duces, tormenta et bellica partim
 Commisere Sami tarde labentis arenis
 300 Gurgitibusque altis, partim avexere, labore
 Quae potuere vehi facili celerante periclo;
 Seu quia deficerent, quae belli postulat usus:
 Vina, Ceres, miles, bombardae pulvis et aera;
 Sive quod ambiguae fidei spem in civibus aequam
 305 Non satis aut tutam vulgique in robore haberent.
 Hac arce obtenta metuendi fulminis instar
 Ad reliquas oppugnandum celer adiicit artes
 Audaces animos hostis plaususque frementes.
 Hic veterum egregia Bathorum de stirpe Georgus,
 310 Ördedii praeses, magnae ditionis et haeres
 Dragfiaci generis, cuius fuit inclita quondam
 Nota orbi virtus merita ob praeclara fidemque
 Constantem patriae testatam Marte togaque.
 Vix triduum obsistens coepit de pace pacisci,
 315 Eordedium positumque alti super ardua montis
 Culmina Kövarum linquens longeque recedens
 Thesauro avecto et rerum locuplete paratu
 Ad loca funestis minus obvia et apta rapinis,
 Paulo ubi post animam migrans super astra profundit.
 320 Insuper Ujbanyam, minerum quae divite rivo
 Luxurians profert fulvi ramenta metalli,
 Bistricia procul haud distantem subdidit urbe
 Germanus miles, iamque huc furor aestus et ingens
 Impulerat laetis animos successibus altos
 325 Pannodacas intrare sinus sedesque manendi
 Ponere ibi, Laribus depulso rege paternis.

289 *arg.* M Szent Job

297 *arg.* M Szakmar

310 *arg.* M Oerdeod / Ördedii Z Erdödii

311 Dragfiaci M Dragfiacae

315 Eordedium Z Erdödium

316 *arg.* M Koevar

Rex pius ingenti trepidans terrore metuque
 Hostis ob adventum, Desiis qui proximus arvis
 Pene ipso regni praedas in limine agebat,
 330 Vastabatque altos Vulcano farris acervos,
 Regnum invadendi iustissima tempora captans,
 Undique subsidiis precio imperioque coactis
 Occursare hosti et configere comminus armis
 Ardebat, patriam libertatemque tueri
 335 Fervidus; hucque animis flagrantibus irruit Hunnum
 Martia progenies florensque aetate iuventus,
 Cum rex spem praeter morbo correptus acerbo
 Pene animam eflavit, lectoque affixus inhaesit
 Aeger et invalidus, turbato corde volutans:
 340 Quam male sit tutum duce non praesente cohortes
 Adversum hostiles regnum extra mittere turmas,
 Utque sit incertum, caesar quae Turcicus addat
 Auxilia et quando, praesertim gramina campis
 Cum nondum surgant, neque flore exultet amoenum
 345 Ver, anni prima et longe iucundior aetas,
 Quo primum soliti patriis excedere tectis
 Ad bellum Turci. Ergo animo haec sententia sedit,
 Quam procerum concors coetus firmabat et ordo,
 Ocius ut mittant ad regis tecta Latini
 350 Legatos, pacem verbis qui mollibus orent,
 Componantque fide inviolabile foedus utrimque
 Iurata, obsequiumque et subdita corda propinent
 Germanis, rerum dominis patriaeque propinquis.
 Interea bellum Mavortis et arma cruenti
 355 Cessavere ducum imperio, compressus et ardor
 Indomitus populi, coeco impete in arma ruentis.
 Hoc onus ante alios subiit Bathoreius heros
 Arbitrio regis, dederat cui Schvendius una
 Legatum comitemque viae, qui exacta referret.
 360 Haec ita dum fiunt: Caspar Bekessus ab aula
 Caesaris adveniens Thracii, quem miserat ante
 Auxilium contra hostem inimicaque castra petitem
 Rex procerumque cohors. Teucros mox praesto futuros
 Vere novo, aiebat, quam primum gramina tellus
 365 Fuderit alma sinu, nova luxuriarit et arbos
 Frondibus et foliis, hortorum viva voluptas.
 Tempus ubi propius praedictum advenerat anni,
 Ungariam innumerae Teucrum petiere cohortes
 Auxilium regi vim contra ferre paratae.
 370 Mox quibus ascendens celeres occurrere currus
 Gaudet, et adventum ipsorum praevertere cursu
 Cum paucis. Utque ad Varadini moenia castris

Confluxere Scythae, campo generosus aperto
 Obvius it princeps, quaque acris frena caballi
 375 Flectebat, semper latos erectus in armos
 Ibat ovans, seque in gyrum spumosos agebat.
 Tunc vero in populos aurata numismata dextra
 Liberiore hinc inde velut frumenta serebat.
 Mirantur dona illius, mirantur euntis
 380 Flagrantes vultus mentemque animumque virilem
 Pallamque et pictum croceo velamen [amictu] acantho
 Tollitur inque altum clamor, quo fausta precantur
 Auspicia ad bellum, vehiturque per astra decora
 Principis eximii virtus animusque fidesque
 385 Caesareas erga turmas constansque tenaxque.
 Venerat huc etiam regis post terga relictus
 Ostro auroque rigens exercitus aereque fulgens,
 Militiae ductor praestans quem Marte regebat
 Clarus ab egregiis multum laudatus et actis
 390 Bebekus, patriam ob pugnans qui nuper ab hoste
 Captus erat Getico tristisque in carcere turris
 Servatus Galathae; rigidis exolvere vinclis
 Hunc nemo poterat, si tanta vel aera dedisset,
 Quanta facit precium totius nobile regni,
 395 Sed favor eripuit, quo multum, et gratia regis,
 Caesarem apud valuit, Iani: quia bella gerebat,
 Tuncque opus auxilii et re ducis huius habebat.
 At Germana citis legio adventasse quadrigis
 Accipiens regem exultabat, et obvia totis
 400 Viribus ire parat castris et iungere castra,
 Plane ignara doli tanti instantisque pericli.
 Illico cum Turcis regem adventasse ferebat
 Fama loquax, signa et non vana dedisse favoris
 Erga ipsos certi alloquio gestuque decoro.
 405 Consternata metu, quid sit, vix norat, agendum
 Ancipiti in casu, tanto et discrimine rerum.
 Tandem decretum: vicinas vertere ad arces
 Retro gradum, vimque excipere et tolerare paratis
 Cordibus hostilem, cum sit dare terga pudendum.
 410 Pars adit Ördedum, Szakmari Schvendius arcem
 Ingreditur, Chaei pars occupat atria castris.
 Protinus Ungaricis Turcorum castra manipulis
 Addita, Szakmarum premere obsidione parabant.
 Iamque ubi praecipiti volitarent moenia cursu

375 armos **Z** arvos

381 velamen acantho **Z** velamen amictu

390 ob pugnans **Z** oppugnans

410 Ördedum **Z** Erdődum

381 Pallamque — Verg. Aen. I, 648—649

415 Circum, tentarentque aditus et trita viarum
 Indicia, oclusas ferroque obsidere portas.
 Schvendius insidias tendens sub pontibus altis
 Pulvere vasa aliquot furtim completa locarat
 420 Sulphureo, quibus accensis distracta per auras
 Viscera Teucrorum semiustaque membra volabant.
 Hoc casu concussi, omnes trepidantia retro
 Vertere terga pedes celeresque referre parabant.
 Arx erat, Eordeodum prisci dixere coloni,
 Undique condensis silvarum cincta frutetis
 425 Roboribusque altis, plano sita in aequore campi,
 Ingenti circum fossa et stagnantibus undis
 Septa procul, murisque et turribus inclita celsis.
 Nec minus aetherei patefacto semine verbi
 Illustris, quod ibi sacratus inunxerit augur
 430 Doctrina iuvenes morum probitateque claros,
 Cura gregem fuerat quibus ardua pascere Christi.
 Bertholdi, ut perhibent, erecta et condita sumptu
 Draghfi, Matthias quo tempore sceptrum regebat
 Divitis Ungariae, regno quo iustior alter
 435 Nec pietate fuit, nec bello maior et armis.
 Hoc septingenti pedites equitesque receptum
 Invenere loco Germani Hunnique feroces.
 Christophorus fuerat Laurenbergerus Alanus,
 Strenuus atque animi fidens et viribus audax;
 440 Nicoleos vero Ungaricae Salamirius alae
 Praefuit, adiuncto socio sibi sorte laborum
 Francisco Baii, bello praestante togaque.
 Huc ubi colluvies Othomannica regis et Hunnū
 Castra propinquassent, cinxissentque undique muros
 445 Obsidione gravi, circum velut aggere ducto.
 Moenia quam primum iaculantibus aerea pila
 Bombardis sternunt: coelum tonat omne fragore,
 Terraque sub pedibus tremuit concussa tonitru.
 At subito clamore virū cantuque tubarum
 450 Accensus populus, violento et verbere clavae
 A tergo caesus: fossam superare profundam
 Altaque compositis conscendere moenia scalis
 Vi multa et magnis conatur alacriter ausis.
 Nec minus obsistunt animis pugnacibus intus,
 455 Grandiaque intorquent spaciosis saxa lacertis
 Desuper, et teretes displosa pixide glandes
 Grandinis in morem fundunt, nivis instar ut altae

423 Eordeodum Z Erdödum

438 Laurenbergerus Z Laurenberger

440 Nicoleos Z Nicolaus

Aequeora per campi candentia pepla iacerent
 Sparsa Thracum, plumbi massa penetrante, cadentum.
 460 Mox alium meditati dolum; sub colle latebat
 Aggesti tumuli ianizarum turba, fenestras
 Immoto observans vultu, iaculisque petebat
 Bombardae certis nunquam et fallente sagitta,
 Exiguo saltem qui se exhibuere videndos
 465 Indicio nutuque levi, dum lumine turmas
 Hostiles avide campo speculantur aperto.
 Cumque foret maior pars ferme funere lento
 Militis absumpta fraude, depellere fraude
 Obsessi intendunt Teucrum evitareque iactus.
 470 Vana equidem veros simulacra imitantia vultus
 Effingunt hominum, sensu obiiiciuntque carentes
 Larvas insidiis dirique furoribus hostis.
 Depresso hoc astu, dum se configere vanis
 Advertunt umbris, altos et in arce cachinnos
 475 Tollere Germanos Scyticisque illudere technis.
 Ore fremunt omnes, fractique labore recedunt.
 Ecce novum interea submissum huc affluit agmen
 Caesaris ex aula, veterano milite constans
 Iantzorumque globo, reliquis praestantius armis
 480 Moleque membrorum Tyrioque ornatius ostro,
 Plurima cui labro, ceu stiria seta nivali
 Frigore, pendebat concreta vel hispida scissis
 Stuppa comis, fruticansque arbos circum horrida dumis.
 Huius ubi ductor prope constitit agminis arcem,
 485 Dicitur, accenso rupisse hanc pectore vocem:
 Quae vos, o segnes, mora detinet? Obstat et ausis
 Quis genius vestris, tanto quod tempore parvam
 Nudatamque casam muro expugnare nequistis,
 Quam vel ego obscoena genitalis cuspide membri
 490 Concurrrens fundo potuissem vertere ab imo?
 Haec memorans, castris loca dum videt apta movendis,
 Quaque aditus pateant faciles, commonstrat, ab arce
 Ex improvise globus eiaculatus obesi
 Corporis ima petit praecordia, perque latebras
 495 It coecas uteri, convulsaque viscera late
 Distrahit, immundo campos et sanguine foedat.
 Schvendius obsessis nova supplementa virorum
 Tercentum addebat, mediae sub tempore noctis
 Densa qui septi caligine castra per hostis,
 500 Perque lacus, arcem indeprensi adiere, palustres.

460 meditati **M** meditata
 466 speculantur **M** speculatur
 498 Tercentum **M** Trecentum
 500 arcem **Z** *om.*

Hinc Turci infrenes Furiis ultricibus acti
 Excurrunt, viridesque armenta impune per herbas
 Sternunt, in partem et vertunt errantia praedae.
 Est locus, Arannysch Megyesch dixere minores,
 505 Ultra Szakmarum, Bathoris possessio quondam
 Christophori, clarum Somlyo cui praebuit ortum,
 Ex muliere Kemeny Iani nunc principis aptum
 Oppidulum, gazis locuples hominumque frequentem
 Ob coetum multas celebratum laude per oras.
 510 Hic dum forte die divinis dedita faesto
 Cultibus attenti penderet ab ore docentis
 In templo vulgi promiscua turba: repente
 Improvisus adest Turcorum exercitus, altis
 Vocibus exululans rapiensque trahensque sine ullo
 515 Respectu aetatis sexusque statusque, furori
 Quos coeco obtulerat sors tristis et aspera belli.
 Panicus exoritur terror tristisque vocantum
 Auxilium clamor, voxque ardua sidera pulsans.
 Vincita trahebatur passis miseranda capillis
 520 Turba puellarum, forma praestante Dianae
 Exaequans vultus pulchrae et rosea ora lacunae.
 Ibant et longo plangentes ordine matres
 Immistae pueris deploratisque maritis;
 Ibat et ante alios (visu res foeda) sacerdos,
 525 Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
 Erudiens longa captivam voce catervam,
 Rebus ut in dubiis petat expectetque salutem
 Coelitus, invictae ferat et mala robore mentis,
 Quando ea commissae sint debita praemia culpae.
 530 Instant a tergo flagris, et fustibus urgent
 Turci fracta metu et longo defessa viarum
 Corpora circuitu; crassum grex lassus anhelos
 Ore vomit fumum, sudor fluit undique guttis.
 Vix ubi convinctis sociae rediere catervae
 535 Castra ad nota, modo hoc spoliū praedamque trahentes,
 Divisum in partes captivum funditur agmen:
 Huic avus aut ab avo descendens chara propago
 Sorte venit; fratres alius dulcesque sorores
 Vel natum avulsum charae genetricis ab ulnis
 540 Arripit, abstracto coniunx hos chara marito
 Cogitur empta sequi, timidus ubi vocibus infit
 Moesta cohors: En quo (Genitor dulcissime) mater
 Chara sororque migrant? Heu quis procul orbis habebit

517 Panicus M Punicus

521 lacunae M Lacunae Z Latonae

525 sacra Z sacrae / vitta Z vittae

534 convinctis M convincti

545 Dissitus avectos fratres? Quae iunget amicos
 Sera dies unquam vel saltem cernere vultu
 Ora dabit? Famae aut avidos audire susurros,
 Sint ubi, quidve gerant rerum vivante, locorum?
 Felices, quibus ante viam periisse licebit
 550 Susceptam patriique soli requiescere busto!
 Et si difficilis nihil obsidionis in ausum
 Tempora Turcorum plebs sanguinolenta reliquit,
 Caesa tamen toties iterumque iterumque fugata
 Destitit a coepto, nec vim iam viribus ullam,
 555 Fraude sed extremum et verbis fallacibus ardet
 Moliri interitum longa obsidione gravatis.
 Coepit et hortari precibusque exposcere: pacem
 Ambiguo certam malint praeponere bello
 Ac patrias sedes et dulcia visere rura
 Incolumes, gazis secum locupletibus actis.
 560 At miseri extrema rerum incumbente ruina
 Viribus exhausti, tam diros inter odores
 Defecere animis ob semisepulta virorum
 Corpora et ingentem, quem Syrius auxerat, aestum.
 565 Fons etiam fundum ferme exsiccatus ad imum
 Vermibus immundo caenique fluore scatebat,
 Amplius haud pecori aut humano commodus usu.
 Ergo extra ternos arcem misere ministros,
 Foedera qui pacis non irrita dentque ferantque
 Oblatae, fidei certo firmataque vinclo.
 570 Praesidis ut ventum est picta ad tentoria Teucrum
 Bassarumque casas regisque palatia Iani,
 Talibus incipiunt dictis: En, saepe rogati
 Adsumus, a vobis ultro pacemque pacisci
 575 Non exhorremus, modo conditionibus aequis
 Stent conventa, dolo careant et fraude maligna;
 Scilicet accinctos circum latera ardua ferro
 Incolumi vita salvisque abscedere gazis
 Si permittetis, firmo pactumque sigillo
 580 Inscriptaque fide chartis signabitis omnes,
 Sive Scythae sitis, seu Christi dogma professi
 Pannonae, aut septem colitis qui Saxones urbes,
 Ante alios quorum celebratur maxima rerum
 Verborumque fides. Tuque, inclite vaivoda gentis
 585 Dacorum, aequa tibi ferimus quae iussa, benignus
 Accipe, chyrographi proprii obsignaque vigore.
 Est Turcis non ulla fides, neque credimus ipsis,

546 Famae **Z** Fama
 547 quidve **Z** quidque
 582 maxima **Z** maxime

Sed tibi praecipue. Sic tandem sponte relicto
 Cedemus castro, et ducent quo fata, sequemur.
 Finierant postquam, Alcorani scripta prophani
 590 Producunt Turci, tensisque ad sidera palmis
 Allam per magnum iurant; hos deinde secuti
 Rex proceresque omnes pro consuetudine regni
 Per sacra salvifici iurabant dogmata Christi,
 Vanaque mentitis firmabant pacta sigillis.
 595 At socii obsessa legatis arce receptis
 Pacta legunt, animisque probant concordibus icta.
 Tempus erat, rapidus medio cum Phoebus ab axe
 Lampade lustrabat terras: velut agmine facto
 Germani exhibant; primi sed in ordine morbis
 600 Affecti aut ictu laesi venere quadrigis
 Impositi, quos turba ferox Mahometica raptim
 Ore fremens iraque furens turbabat ab altis
 Currubus, in frusta et gladiis concidit acutis.
 605 Inde pari socios rabie exagitata sequentes
 Ensibus invadit, nimbo et velut obruit atro
 Armorum macie vix attenuata trahentes
 Ilia et emeritos defectis viribus artus.
 Forte duces inter Vellerus ab arce Georgus
 Prosilens longa pugnans stetit arduus hasta,
 610 Ac tempestatem belli muri instar aheni
 Tempore sustinuit longo, impavidusque lacertis
 Contorsit validis lato venabula ferro
 Per latera et costas Teucrum: volvuntur at illi
 Praecipites ab equis, moribundaque terga supini
 615 Illidunt terrae, et vestigia pulvere linquunt
 Foeda cruentato, horrendisque ululatibus Orcum
 Regna inamoena petunt Ditis Stygiosque recessus.
 Fama refert (nec vana fides) duodena Cyclopum
 Corpora conflictu periisse immaniter uno
 620 Viribus ipsius prostrata et fortibus ausis,
 Demum ubi provectus pugnae fervore cruentum
 Auderet lethum pulchra pro laude pacisci,
 Ictus et ipse fuit gladio dexterque revulsus
 625 Cum digitis humerus, terram defluxit ad imam,
 Moxque per abdomen traiectus et ilia ferro
 Concidit, atque Deo vitam patriaeque salutem
 Commendans liquit vitalis spiritus auram.
 Prodigium hic mirum, res est tristissima visu,
 630 Accidit: exanimes artus interque virorum
 Corpora caesorum, quod ferme inhumata iacebant
 Ad triduum, solum Velleri exangue cadaver

613 at illi Z et illi

622 lethum pacisci — Verg. Aen. XII, 48

(Christicolum quisquam si contrectasset, ocellis
 Aut aspexisset) largos effundere rivos
 Sanguinis est visum per hians in pectore vulnus.
 635 His etiam in castris dirae obscaenaeque crabronum
 Muscae oriebantur, genus et foetore putrique
 Materie extorum solis vi operante calentis.
 Illuvies haec tetra nimis quaeque obvia morsu
 Contactuque venenifero foedabat atroci.
 640 Saepe equus aut errans viridantis in aequore campi
 Occubuit taurus ferali hoc laesus ab aestro.
 Quaque insidebat vestigia foeda relinquens
 In cute, succrevit tumor exitialis in ulcus
 Pestiferum. Tuto vix quisquam haurire Lyaei
 645 Pocula vel poterat contingere dentibus escas.
 Arcem post captam grandes convellere muros
 Rex iussit turresque excindere funditus altas,
 Ne Turcis daret aut Germanis illa receptum.
 Nunc rudera apparent saltem, indigestaque moles
 650 Cernitur, excidii et miserandi nuncia casus.
 Dux Laumbergerus Teucrum delatus ad oras
 In vastos pelagi fluctus, pendente molari
 Pumice de collo, missus lacrimabile mortis
 Supplicium luit, heu, tanto indignumque marito.
 655 Hinc ubi digressi, minerum loca pingua rivis,
 Ujbanyam invisunt, quo paulo erexerat ante
 Castellum Germana phalanx, implebat et apto
 Milite rerumque omnigenum locuplete paratu.
 At cives furtim venienti tradere regi
 660 Deceptis sociis urbem statuere catervis,
 Quin et legatos preciosaque munera mittunt
 Regis in occursum, promptos exposcere pacem
 Atque offerre fidem studiumque fidele probatam.
 Vix ubi pallantes Turcis crudelibus Hunni
 665 Immisti venere urbis prope moenia, clausae
 Panduntur subito portae, primique cohortes
 Germanas sternunt cives, et atrocia miscent
 Proelia sese inter. Scelere irritata nefando
 Teutona gens rapidas tectis supponere flammis
 670 Molitur: furit effusis Vulcanus habenis.
 Inde superveniunt Turci, et stricto obvia ferro
 Corpora, servato discrimine et ordine nullo,
 Concidunt. Abit in praedam preciosa supellex
 675 Omnis, et abductae multum gemuere puellae.
 Poenituit cives facti, concordia dulcis

637 extorum **MZ** extarum
 655 pingua **Z** pinquia

Quorum si sociis iunxisset pectora Alanis,
 Tristem quivissent fugere atque evadere casum.
 Praesidiis castro impositis exercitus omnis
 Ad sua contendit, sed non sine sanguine multo
 Damnoque ingenti Christi documenta sequentum
 Bistonii Thraces patrios adiere Penates.
 Advolat extemplo Ballassa, et in arce relictum
 Praesidium exturbat, turritaque moenia vallo
 Militibusque novis congestoque aggere firmat.

12. <Liber nonus>

De bello Pannonico Solymanni imperatoris Turcorum ultimo libri tres,
 continentes Iulæ et Zygethi expugnationem, nec non sereniss<imi> atque
 incliti regis Ungariae, Iohannis II. ad imperatorem Turcorum
 profectionem eiusdemque de Tartaris
 gloriosam victoriam
 <Belli Pannonici> liber I.

Caesaris extremum Solymanni dicere bellum
 Numine mens afflata iubet, qui fulminis instar
 Ungariae attrivit regnum, vi cepit et arte
 Turrigeras arces, Iulam atque illustre Zigethum,
 5 Funere caesareo Turcarum et clade cruentum;
 Quid divum Ungariae regem tot adire labores
 Impulerit, procerum comitatus ut agmine toto
 Caesaris eximio lustraverit ora paratu;
 Quasve triumphatis extorserit hostibus arces
 10 Victor, dum patriam libertatemque reduxit.
 Tu mihi, summe pater, dignas in carmine vires
 Suppedita, praesensque meo succurre labori.
 Non bene cuiusquam meriti proscindere dictis
 Institui decus incorruptaque nomina famae.
 15 Quodcunque hoc doni est, stolidum et sine nomine vulgus
 Quo superare dedit coelestis Musa canendo,
 Laudibus omne Dei debetur ad astra ferendis,
 Heroum et meritis memori celebrentur ut aevo.
 Imperium augendi sitis irrequieta tyrannum,
 20 Ultima iam vitae volventem fata caducae
 Torquebat, vastosque irarum effundere fluctus
 Paeonas in fortes urbesque et regna coëgit,
 Ut virtute nova praeclarum nomen avorum
 Obscuret, memori quorum inclita facta vetustas

6-7 tot adire — Verg. Aen. I, 10-11

25 Mente legit, faustisque in coelum laudibus effert.
 Huic implacato vires flammisque ferebant
 Proposito mystae, quibus haec data cura laborque,
 Caesaris ut cineri persolvant iusta suprema
 30 Post mortem ad tumulum lacrimis votisque profusis.
 30 Hi, prius humanos quam spiritus exuat artus,
 Elysiumque petat, loca foeta silentibus umbris
 Christicolarum aliquot mactatis millibus, iram
 Numinis offensi, crudeli voce canebant,
 Placandam: his meritis animae constare salutem;
 35 Quas urbes armis aut regna subegerit astu,
 Mandatos census atque annua ferre tributa
 Ad tumulum iubeat pro mystis Caesar alendis,
 Solennisque illic fieri spectacula festi
 Sacra, queant huius seri ut meminisse nepotes.
 40 Saeva etiam binos inter discordia reges
 Ungariae fervens hostilibus addidit armis
 Successus facilesque vias: exercitus ingens
 Nam Germanorum fines et limina regni
 Oblitus servare sui furialibus ausis
 45 Tokayum expugnat, fossis atque aggere Zackmar
 Cingit, et armato nova moenia milite complet.
 Hinc late effusis per rura vagatur habenis
 Hungarica, affectans armis invadere regnum,
 A septem castris memorabile nomen adeptum.
 50 Horum conatus, studium insanosque labores
 Viribus invalido dum regi arcere negatur,
 Ipse patrocinium Caesar curamque clientis
 Suscipit afflicti, ruit et ferus ultor in hostem.
 55 Ista fuit potior gravioris causa tumultus,
 Quod patre defuncto pendendum ex more tributum
 Maximus Aemylius Solymanno ferre negabat,
 Insuper indignis canos convellere dictis
 Ausus flammantemque ultro accendisse furorem,
 Ut qui debilior tardis sit factus ab annis,
 60 Nec iam, si cupiat, possit contendere bello
 Cum iuvene, immensis opibus florente virisque.
 His ergo motus rationibus imperat, omnes
 Arma parent, primo confestim et vere parati
 Excedant patria, divisque in vota vocatis
 65 Caesa frequens tepidas eat hostia pinguis ad auras,
 Ardua ut ambigui Mavortis caepta gubernent
 In melius: victo contingat et hoste reverti.
 Sortilegos passim fatorum arcana docentes
 Caecosque eventus attenta consulit aure.
 70 Providus hic magus atque sagax consultus haruspex:

Quid pecudum fibrae, quid spondeat arduus aether
 Et linguae volucrum, praesagi et fulminis ignes?
 Omnibus idem animus: moturum praelia fausto
 Successu, sed vix Constantini amplius urbis
 75 Moenia visurum, fato obluctante supremo.
 Prudentum Caesar pro se responsa magorum
 Exposuit, gaudetque animos his pascere dictis:
 Ungaricas ibo, nunquam rediturus, ad oras,
 80 Austriacam meditor siquidem expugnare Viennam
 Atque istic fixisse thronum sedemque manendi,
 Unde meas licet in totam diffundere vires
 Europam et bello decus immortale mereri,
 Byzantina meo sed nato sceptrum relinquam.
 85 Sic aquilam, imperii signum, monstrabo, bifrontem
 Nos decuisse probe, qui occasum versus et ortum
 Imperio populos et maxima regna tenemus.
 Inde per extremos Asiae finesque perustae
 Invulgat Lybiae de bello edicta gerendo
 Pannonas adversum: donisque minisque cohortes
 90 Accendit, fremebundi omnes arma, arma loquuntur.
 Armenia huc vires Aegyptus et ampla ferebat
 Cum Syria invictas cantataque Graecia bello,
 Et qui cornipedes in pocula vulnerat, audax
 Massagetes, atque humanum bibit ore cruorem,
 95 Infantumque (nefas) morsu depascitur artus.
 Huc Thrax immanis, Transalpinique Valachi,
 Moldavusque celer, vastataeque incola Bosnae
 Cum innumeris aliis animo fervente ruebant.
 Auctior ex toto vix orbe exercitus unquam
 100 Divitiorque opibus Boreales attigit oras.
 Florea sicut apes per rura volare paratae
 Expectant regem, nec continuare volatum
 Audent, vimineis quam prodeat ante cavernis:
 105 Haud secus obsequio studioque flagrantibus ardent
 Agmina discessum gravis observare Monarchae.
 Munera principio ante oculos circoque locantur
 In medio: magni tripodes, simul armaque et ostro
 Perfusae vestes argenti aurique talenta.
 Omnia militibus ducibusque ea promptius offert,
 110 Si Iyulam, Comarum atque expugnare Zigethum
 Intendant alacres, optataque moenia captent.
 Hinc aditum ad reliquas modico sudore demandas
 Europae gentes sperandum. Protinus illi
 115 Coniurant, dulcesque animas liquisse parati
 Pro placito spondent saevique salute tyranni.

93–94 Et qui cornipedes — Claud. In Ruf. I, 311—312; Sil. It. Pun. III, 360—361

Ergo ubi regifico complurima victima luxu
 Pro fausto belli eventu caesa imbuit aras,
 Totaque perstreperet laetis clamoribus aula:
 Longo terribiles procedunt ordine Turci
 120 Armorum ingenti bombardarumque paratu.
 Tristia funesti patuere incendia belli
 Indiciis variis, fatumque ostenta supremum
 Ungariae nunquam nobis conspecta docebant.
 Principio veris, cum coeli mitior aura
 125 In liquidas glaciemque nivesque resolveret undas,
 Faetaque purpureis riderent floribus arva,
 Nimborum insolitas nubes fudere procellas,
 Continuo lapsu summas vaga flumina ripas
 Rupere, et fontes laxarunt claustra profundū.
 130 Obruta gurgitibus fluvialibus arva iacebant
 Diluvio veluti, sub terrae grana cavernis
 Civium avaritia longos defossa per annos
 Undarum nimio madefacta liquore frequentum
 135 Computruere; statim tota in regione secuta est
 Dira fames, gravis agricolae afflixit egestas.
 Vidimus ingentes altis de montibus ornos
 Defluere et quercus ima (ex) radice revelli.
 Hic aliquis stupefactus ait: forte obruet hostis
 140 Nos, velut aequoreae texerunt arva procellae,
 Transferet aut alio patria regione colonos,
 Funditus evelli ceu transferrique videmus
 Undivagam montis celso de vertice pinum.
 Post ingens aestus clauso successit Olympo.
 Non freta, non pluviae sitientes imbribus agros
 145 Potavere usquam, prima seges occidit herba
 Sole perusta gravi, potuit neque rusticus asper
 Duratas unco proscindere vomere terras
 Pingua nec rudibus committere semina sulcis,
 150 Donec Martini festum venerabile divi
 Illuxit, Bacho quod agrestis turba probando
 Atque saginato caeso facit ansere sacrum.
 Saevius his graviusque malum, omnipotentis et irae
 Indicium, quo non lacrimosius accidit ullum:
 Infantes siquidem saevi vis improba morbi
 Corripuit, saevitque lues inimica per omnem
 Ungariam Daciaeque plagas, non angulus ullus
 Salvus et immunis rabida contage manebat.
 Horrendum quassans caput et membra omnia febris,
 Vi multa et vomitus frustra indigesta refundens

159 frustra W frustra

159 vomitus frustra — cf. Ov. Met. XIV, 212

160 Ex imo stomachi fundo singultibus altis
 Indicium morbi et praeludia certa dederunt.
 Semina si qua rapae vino permixta bibenda
 Officiosa dabat nutrix infantibus aegris
 Theriacamque, omnes labe diffusa per artus
 165 Creverat, et lyncis maculosae tergoris instar
 Corticis aut summa scabies cute foeda rigebat.
 Si resoluta putri sanie perfuderat artus,
 Turpibus et totas vitiat odoribus aedes:
 Laeta sollicitae spe pectora matris alebat.
 170 Visa ubi confestim tacito subsidere motu
 Candens ac sensim ad cutis interiora recondi:
 Ingenti funus compleverat atria luctu.
 Nunc quoque corporibus lethalis stigmata morbi,
 Ex acie velut elapsis, constanter adhaerent.
 175 Ni fallor, papulas medici dixere vetusti
 Hanc pestem, in morem muliebris forte papillae
 Quod turget, supraque cutem longe altius exit.
 Sic ego, sic alii pubentis fata iuventae
 Tristia spectantes praesaga voce locuti:
 180 Imminet exitium nostris cervicibus atrox
 Haud dubie, vacuum scelerata fraude iuventam
 Immunemque dolis cum gratia dīa periclo
 Praeripiat, tutoque iubet considerare portu.
 Sic Lothi excessus Sodomae properantia fata
 185 Perniciem et certam populis ubique tulerunt.
 Quando grues hiemem tempestatesque nivosas
 Praesensere vagae, mature antiqua relinquunt
 Hospitia, et zephyris adeunt melioribus auram
 Halantem, aestivaque optant regione morari:
 190 Haud secus aerumnis tenera haec instantibus aetas
 Subducta aethereas properata morte adit arces,
 Nos vero exitio miseri fatisque supremis
 Servamur, scelerum maior quos copia damnat.
 Interea meritis rex et pietate coruscans
 195 Pannoniae, Ianus, sceptrum nomenque parentis
 Immortale gerens, spes, portus et ancora regni,
 Cogitat immitem votis placare tyrannum
 Donisque eximiis patriaeque exposcere pacem.
 Quapropter tota vocat ex regione vigentes
 200 Consiliis opibusque viros, quorum inclita nomen
 Fama per aethereas sublimius extulit arces.

175 dixere W dixeret

191 arces W arcis

194 *marg.* W Regis Ungariae ad imperatorem profectio

178 Sic ego — cf. LA 165; Oc 89

184 Lothi excessus — Gen 10,1—29

Splendida nobilitas cristis auroque refulgens
 Huc effusa ruit, simul aequis legibus urbes
 Frenantes, pulchris fortes Saxones in armis,
 205 Cum Scytulis titulo quondam meliore notatis,
 Ac prono regem cursu comitantur euntem.
 Ante sed abcessum famosi limina templi
 Rex devotus adit, supplexque ita voce precatur:
 Summe pater, servit cui coelum Erebiue potestas,
 210 Regnaque cum populis parent, tu gressibus auram
 Optatam concede meis, tu corda tyranni
 Ferrea da flecti et nostris mansuescere dictis,
 Milite ne nostras truculento deleat urbes.
 Reliquiae miseri durent te praeside regni
 215 Incolumes, nomenque tuum laudesque perenni
 Voce mei cantet servatus ut incola regni.
 Ipse tui verbi vestigia certa secutus
 Pectore inoblito recolam benefacta, tibiue
 Legibus et morum integritate placere studebo.
 220 Haec ubi dicta: auri argentique nomismata Princeps
 Alipede invectus curru dispersit in omnes,
 Qua radebat iter, partes, monimenta benigni
 Duratura animi semper, dum sidera coelum,
 Pontus aquas, virides et tellus proferet herbas.
 225 Ferrea mandabat laxari et vincula captis,
 Proditio quos aulae inimicae regibus amens
 Egerat in tristes tenebrosi carceris hamos.
 Altius ordiri primaue ab origine causam
 Ostendisse viae placuit: non blanda voluptas,
 230 Non honor aut fastus, nec vanae gloria laudis,
 Sed toti regno incumbens extrema ruina
 Ardua pro patriae tentare salute coëgit
 Regem coepta pium, nec dulci parcere vitae,
 Non opibus, caput et carum obiectare periclis.
 235 Cum Germana phalanx septem castrisia rura
 Infesto peteret bello, regique cruentum
 Et regno excidium lacrimosaue fata pararet,
 Nec tum adventantes detrudere finibus hostes
 240 Corpore rex aeger, non bello instructus et armis,
 Nec Teucrum auxilio bruma remorante valeret.
 Qui pacem exposcant, mittuntur ad alta Viennae
 Moenia legati, quaesitae ut foedera pacis,
 Caesaris assensu si confirmata probentur
 245 Turcarum, vires habeant, sin improbet acta,
 Fas animum mutare sit et rescindere votum.

207 limina W lumina

209 marg. W Precatio regis ad deum pro salute regni

220 Haec W Hoc

Dum legatus abest tractans de pace Viennae,
 Ungaricus Scythico completur milite campus,
 Germanas prohibere acies regemque tueri
 Et regnum Turci sub lege tenere paratus.
 250 His quia rex iunctus grassantes reppulit hostes
 Limitibus regni, re infecta et abire coegit:
 Detinet obscuro legatum in carcere caesar
 Romulidum, ardentem curaeque iraeque coquebant.
 255 Qua ratione fidem suspectam reddere regis
 Possit, apud procures Teucrum magnique tyranni
 Placatos animos acuisse in praelia et iras:
 Quocirca ad celsam legatum Caesaris aulam
 Extrudit, Teucris qui mutua foedera regum
 Et tacitis prodat commissa arcana libellis,
 260 His et commemoret longe graviora, deinceps
 Caesar ut abstineat talem fovisse clientem,
 Quem suspecta fides studia in contraria scindat.
 Exitiosa queant sic longi incendia belli
 Supprimi et in certam posthac coalescere pacem.
 265 Caesaris haud leviter mens perturbata sigillis
 Dicitur inspectis, legati et voce quaerentis:
 En, ait ad procures, Christi qui dogma sequuntur,
 Quam nulla est regum constantia raraque dictis
 Et pactis spectata fides, qua excellere cunctos
 270 Orbe volunt homines, nobisque frequenter inurunt
 Suspectae fidei maculam. Sed discere causas
 Mens melior facti iubet huius: namque recordor
 Antea idem saxum amborum volvisse parentes.
 Fernandi levitas, constantia ferrea Iani
 275 Ni mihi nota foret, possent narrata videri
 Vera, at de natis ex patrum moribus aptum
 Iudicium sumo, et prasentia metior acta.
 Assensere etiam bassae. Nova fama Ioannem
 Sauciat, Aemilium quae pacta arcana ferebat
 280 Invulgasse odiumque inimicaque pectora Teucrum
 Irritasse; metum adductum chyrographon auxit
 Nuncius et causam facti scriptique reposcens.
 Rex cernens patriae tristem impendere ruinam
 Proditione gravi, motos componere fluctus
 285 Cogitat irarum: cum munere nuncius amplo
 Mittitur ad portam responsum tale reportans:
 Tam gravis atque atrox illata iniuria regi est,
 Ut per legatos nullo sermone sopiri
 Rite satis possit, rex ergo innoxius ipse
 290 Ante tuos veniet, Caesar mitissime, vultus,

250 grassantes W granssantos

Curvabitque caput supplex, flexisque volutus
 Ante thronum genibus sese purgabit ab omni
 Suspicionē, rei causas memorabit et actae
 Agmine cum toto procerum. Rogat ergo furem
 295 Ira animum vultus iucundior ore serenet,
 Compressusque ingens subsidat pectore motus,
 Dum melior cursus optatos aura secundet.
 Caesar legati matura voce reffectus
 Ingentes animos regis mentemque virilem
 300 Attonitus miratur, tot per saxa, per ignes
 Quod non immensos formidet adire labores
 Casusque innumeros et mille pericula mortis.
 Ergo metu vacuum iubet esse animumque serenum
 305 Induere, antiquas fraudes se nosse dolosque
 Germanū, perspecta alias clementia regi
 Perpetuusque favor non hoc admittere fictis
 Fidat ut aversa cuiusquam mente querelis.
 Id modo consulere, ut propria regione quiescat,
 310 Ne fortasse novi Germanis causa tumultus
 Detur, quos septem castrense invadere regnum
 Implacata coquit sitis ambitioque regendi:
 Adfore mox tempus, siquidem decreverit armis
 Impetere Ungariam funesto et Marte rebelles
 315 Cogere in obsequium, quando praestantibus ausis
 Commodius possit desiderioque potiri.
 Ergo ubi vere novo pubescere gramine campus
 Luxurians coepit zephyroque tepente moveri
 Aura, vocat Caesar cunctos in praelia Teucros;
 320 Haecque iubet ferri celeres mandata per auras
 Ungariae regi: bello accingatur et armis,
 Quandoquidem certo regali moverit aula
 Bellum gesturus, nunc iustae tempus adesse
 Vindictae, quo accepta iniuria possit ab hoste
 325 Puniri et regni pars bello amissa nefando
 Restitui; pariter bassae monuere priores
 Nil superesse doli accessumque carere periclo
 Caesaris ad faciem, cuius placata quiescat
 Mens dudum precibus, quando et promiserit ultro,
 330 Regnoque utilitas reditura sit ampla decusque
 Eximium regi aeternum et per secula nomen.
 Terrificos moveant ne rege absente tumultus
 Indigenae, regno neve extera turba propinquans
 Depopuletur agros, incautasque occupet urbes,
 335 Rex selectorum tota ex regione virorum
 Millia quinque legit, quos casus iussit in omnes

291 Curvabitque S Curabitque
 292 ab omni W ab omni

Fortunae intentos aequo consistere campo,
 Cui cruce pictorum prostrata cadavera nomen
 Attribuere, ubi fluctibus alluit Aurea Thordam.
 Christophorumque ducem fulgentibus aere catervis
 340 Praeficit Hagmasium, cuius prudentia et armis
 Urbs Varadina diu a Teucrum stetit impete tuta.
 Additur huic socius Bathorum de sanguine cretus
 Christophorus, mentem Musis qui ornavit honestis,
 345 Mater ubi sophiae praeclara Bononia fulget.
 Consiliis praestans, pietate insignis et heros
 Iungitur et Gabriel, minor haud Maylatus utroque,
 Si bene concessis licuisset dotibus uti.
 Hos rex magnanimus, si quando adversa vocarent,
 Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
 350 Iam prope Graecorum Caesar consederat Albam,
 Cum luxu volucris fama adventare superbo
 Ungariae regem Teucrum per castra vagatur,
 Nec procul a placidis considerare fluctibus Istri.
 Czaususii extemplo castris funduntur apertis,
 355 Szangyakique graves, gemmis ostroque decori,
 Plaudentesque animis laeto clamore salutant
 Eximium regem, et foelicia quaeque precantur,
 Faustaue promittunt tentatis omnia coeptis:
 360 Inde, quis ordo, docent, et gestus qualis habendus,
 Venerit ad magni cum splendida tecta Monarchae.
 Postera cum roseis surgens Aurora capillis
 Signaret lucem, classem ter maximus amplam
 Ad regem Caesar mittit, qua venerat ipse,
 365 Danubii superans immensos remige fluctus,
 Admonuitque ratem castris turbaque relictis
 Conscendat, victum simul et tentoria iusto
 Disposuisse modo, et quae caetera posceret usus:
 Solum cum regni dominis potioribus adsit.
 370 Rex quadringentos delectos ordine ab omni
 Mandat adesse viros pictamque intrare carinam,
 Armaque cornipedum phalerasque assumere vestesque,
 Ipsi queis niteant, gemmis auroque coruscas.
 Ut venere duces ad moenia fluctibus Albae,
 375 Cum plausu Albicolum venientes turba catervas
 Excipit, horrifico bombarda imitata tonitru
 Murmura dira Iovis, toties displosa, boatu
 Fundamenta quatit terrae, et tremefecit Olympum.
 Iamque super viridi traiecto flumine ripa
 380 Heroes stabant, unde omnis turba videri
 Caesareas comitata minas promissaque quibat,
 Cum pulcro advolitant ductores agmine Teucrum,

354 funduntur W funditur

Pars aulae et potior, regemque favore salutant
 Defixo in terram vultu, et mirantur euntem.
 Vertit equum in gyrum, et quando sese arduus infert,
 385 Exerctque leves imitantia praelia lusus.
 Ipse alto solio fultus radiantia Caesar
 Sceptra manu pressit, redimitus tempora peplo,
 Curarum fluctu et longis infirmior annis,
 390 Alta super viridis consistens aequora collis.
 Hunc circo fulvo fortes exiere leones,
 Visi efflare cavis flammantem faucibus ignem
 Totoque arrectis horrere in corpore villis.
 Visa et stelligeri sublimis regia coeli
 Aemula spectantium radiis praestringere vultus.
 395 Aurea praecipui cingebant atria bassae,
 Nutum observantes animis oculisque severum.
 Huic cincta innumeris cum proles regia turmis
 Obtulit eximio sese splendore videndum,
 Acer equo, cuius fulvi ardua colla leonis
 400 Pellis obit, mire praefulgens unguibus aureis,
 Frenaque cum phaleris, gemmis auroque rigeant.
 Ut super acclivis consistere culmine montis
 Sub Iove lustrantem et venientum pulcra virorum
 Agmina (conspexit rex) maiestate verendum
 405 Heroa: hunc contra faciem direxit, et apte
 Vertice curvato digitisque in pectora ductis
 Teucrorum ritu magna gravitate salutat.
 Ingeminant alii faustis clamoribus Alla
 Certatim, reboat coelum, collesque resultant
 410 Laetitia plausuque novo Alla, Alla, Alla sonantum.
 Intentis spectans oculis animoque catervam
 Miratur Caesar: regemque prae omnibus ipsum
 Lumine prosequitur, cupideque affixus inhaesit:
 415 Quam decor eximius pubentis membra iuventae
 Vestiat, Hunnorum quam non sit pulcrior alter,
 Quem gravitas matura, annis iuvenilibus ornet
 Aptius, atque ardens attollat ad aethera virtus.
 Multa movens animo tandem haec in verba solutus:
 Non repetam patrii prius aurea limina tecti,
 420 Huius quam capiti, regale insigne, coronam
 Iunxero, et Ungarici regem sacravero regni.
 Huic ubi caesareo subit ad tentoria iussu,
 Ante diu auleis pro rege ornata superbis,
 Agmine et illustri procerum, cito nuncius adstat,
 425 Qui regem ad biduum concessa in sede morari
 Caesaris arbitrio mandat, quia sacra parare
 Agmine cum toto tepidas meditetur ad aras

Divūmque eventu pro coepti sospite belli
 Implorare manus votis stratisque iuven-
 430 Hic simul horrendo tormenta imitata tonitru
 Murmura dira Iovis, cum fulmina spargit Olympo,
 Intonuere, tremit tellus coelumque fragore.
 Iantari pariter studium devotaque regi
 Pectora monstrantes displosa pixide ventos
 435 Ingenti strepitu populosaque castra fatigant.
 Quove levant animos gravia inter toedia primi
 Hunnorum, procul a propria statione vagati
 Sollicita belli rimantur mente paratum,
 Et numerum mirantur equūm diversa-
 440 Agmina, quam in bello variis utantur et armis.
 Pars stupet immani torquentia murmure saxa
 Tormenta, auro alii gladios galeasque minaces
 Mente legunt, quantumque gravi sub mole labore
 Aure carens longa gibbosus terga camelus.
 445 Sunt, qui bombardas hic vel bis mille loquuntur
 Horrendae molis vidisse et millia plusquam
 Quinquaginta auro tentoria picta decoro:
 Tot populos currusque leves, tot scuta, tot hastas,
 Sidera quot summo visuntur in aethere coeli,
 450 Aut mare quot fluctus et fulvas volvit arenas.
 Nec minus Hunnorum Turci per castra vagantes
 Regis et eximiae procerum decora alta catervae
 Observant oculis, gens toto ut nulla sit orbe,
 Quae cum Caucaseis ausit concurrere Turcis
 455 Fortius exiguaque manu prosternere multa
 Millia Turcarum libratis comminus armis.
 Hac moti Hunnorum Turci virtute petebant
 Ab rege admitti fictae spectacula pugnae,
 Sive quis ense levi velit aut certare sagitta,
 460 Ceu longo contra nitentem figere conto,
 Copia sit facilis cuique et concessa potestas.
 Forte aderat praestans immani corpore Turca,
 Nemo par fuerat cui viribus agmine toto,
 Luctandi quisquam nec in arte peritior illo.
 465 Viribus ille suis nimium confisus et arte
 His regem affatur dictis: Pervenit ad aures
 Fama meas, praesenti oculis licuitque tueri,
 Quam validas habeant animosaque pectora vires
 Hunni, praecipuosque horum tua signa secutos
 470 Arbitror, ergo aliquem delectum ex agmine toto
 In medium prodire iube, qui strenuus ausit
 Conseruisse manus mecum atque intendere luctam.

Cui rex: Sunt equidem nostris fortissima bello
 Corpora, sunt alacres animi, sed saepius artem
 475 Luctandi violant, incerta et lege feruntur.
 Ulterius regem crebris dum vocibus urget,
 Atque importunus socius deposcit athletam.
 Rex media de plebe virum, qui corde virili
 480 Membrorum et vasta multum se mole ferebat,
 Prosiluisse iubet, qui impigre iussa secutus
 Astitit expectans iactatae exordia pugnae.
 Haud mora: nunc agili saltu huc, nunc vertitur illuc
 (Haydonum ritu) gyris circum impiger actus.
 Stat ferus, et factum Turci risu excipit Hunnus
 485 Artis ut ignarus, duro quem verbere Turcus
 Impacto in faciem saevam commovit ad iram.
 Involat ille statim dextra laevaue praehehensans
 Per medium corpus, nec segnius irrui alter,
 Viribus et paribus multumque diuque laborant
 490 Sese inter luctando pedum subvertere plantas.
 Iamque adeo manibus circum praecordia ductis
 Compressere latus, vix ambo ut pectore anhelato
 Amplius attraherent vitae mobilis auram:
 Cum paulo a terra sublatum Turcus in auras
 495 Lapsurum ferme iam iam prosterneret Hunnum.
 At pudor accendit vires laudataque virtus
 Magnatumque favor vocesque et iubila vulgi.
 Acrius ergo instans summa vi corripit Hunnus
 Turcum, et seminecem fulva provolvit arena,
 500 Affligitque gravi vultus atque ora iacentis
 Verbere, ut effractos pariter cum sanguine dentes
 Expueret, sua vixque solo membra aegra levaret.
 Ille gemens queritur tentatae iura palestra
 505 Neglecta et praeter rigidissima verbera morem
 Luctantum, in terra falso esse inflicta iacenti,
 Tanta nec in simili passum unquam verbera lucta,
 Perpetuo tulerit cum insignes victor honores.
 Rex ait: Haud robur, nec deest audacia nostris
 Militibus, feriunt neque vanas ictibus auras,
 510 Ipsis ad minimum si caetera cuncta negentur,
 Par pensare pari studium devotaque mens est.
 Adverso socii gens Caspia territa casu
 Abstinit posthac simulacra exposcere pugnae.
 Victori Hungaricos aliquot rex contulit aureos
 515 Suppeditansque molam, quae pinguia farra ministret:
 Egregium factum egregio cumulavit honore.

480 *marg.* W Petrus Czukat

480–516 Prosiluisse iubet — Verg. Aen. V, 362–467; Phaedr. Fabulae novae VIII; Iord: De origine actibusque Getarum 15

Tempus erat, sacris Teucrorum more litatis
 Cum regem pompa ritumque iubebat eodem
 Caesar quo solitus duci, si quando superbas
 520 Iactat opes fastu maiestatemque tremendam.
 Czauusii illustres quinquaginta ordine primi
 Ibant, szangyakum legio quos pulcra secuta.
 Inde duces primi iantzarum: quique rigentes
 525 Argento baculos manibus gessere, magistri
 Tres aulae dicti magno splendore vehuntur.
 Ad regem propius seniores quattuor ibant
 Sublimes in equis, regni fulcire ruinas
 Consiliis soliti, sex et de gente priores
 530 Hungarica, pedes insequitur quos caetera pubes,
 Vestibus insignis radians florensque iuuenta.
 Pone sequebatur magnorum exercitus Hunnū
 Loricis, galeis pictisque insignior hastis:
 Splendore excellens Teucrum ornamenta superbo.
 Sic aliis pulcro praeaeuntibus ordine turmis,
 535 A tergo reliquis instantibus: arduus agmen
 Rex medium tenuit, spacio distante parumper,
 Solus ut agnosci prae aliis possetque videri,
 Ac veluti plenum cum luna retexit orbem,
 540 Inter flammantes coeli in regione lucernas
 Nocte micat, tenebrasque et nubila densa serenat,
 Aut face scintillans radiante undosus Orion
 Sidereos longe praet et supereminet ignes:
 Haud secus aurato rex cunctis altior ibat
 Ornatus cultu fulgens et divite gaza.
 545 Tegmen erat capitis Moschi de pelle zobelli,
 Quo gemma insignis cristis inserta pependit.
 Crux adamante rigens circumdabat aurea collum,
 Hanc simul ambibat quadruplex carbunculus, olim
 550 Iudicio centum reputatus millibus aureis
 Fabrū, qui fulvum versant incude metallum.
 Aureus et torques preciosis undique gemmis
 Effulgens, creberque manus premit annulus ambas.
 Praecipue insignis radiabat baltheus auro,
 Cui brevior pugio gladiusque affixus adhaesit
 555 Ex auro et gemmis factus latera ardua circum:
 Ipsi iam pridem donatum a Caesare munus.
 Arduus et sonipes gestabat ephippia puro
 Ex auro, tanto gemmarum obducta nitore,
 560 Ut radiis oculi mutarentque ora videntum,
 Quattuor affirmant aureorum millia longe
 Bisque decem precii illius excessisse valorem;

534 praeaeuntibus W praeaeuntibus
 549 Iudicio W Iudicio

Frenaque et eximium velantia tegmina dorsum,
 Cuncta fuere auro et stellantibus undique gemmis.
 Tali igitur tantoque nitens rex ipse paratu
 565 Vectus equo celsam gressu tendebat ad aulam,
 Innumera cinctus procerum populique corona.
 Caesaris ad primi cum ventum limina tecti,
 Substitit, in mediumque ingentia munera circum
 570 Produci mandat, iantzarosque ordine centum
 Praemittit, miro fulgentia munera fastu
 Gestantes manibus sublimis ad atria TURCI.
 Discus erat solido radians nitidissimus auro,
 Leve monile cui innexum carbunculus ambit
 575 Plurimus et triplex adamas viridisque smaragdus:
 Aureorum precio bis sex bene millia adaequans.
 Ducitur inde alius simili splendore coruscans
 Discus, quem supra positus solido annulus auro
 Horarum spacia ostendit coelique meatus,
 580 Solis iter lunaeque vices motusque vagantum
 Stellarum hinc licuit parvo didicisse labore.
 Quinetiam digito insertus super aurea regem
 Strata leves placido carpentem pectore somnos,
 Vocali strepitu lucis revocabat ad usum:
 585 Nec tamen Ungaricum brevis huius circulus aureum
 Aequabat, verum instar avellanae nucis amplius:
 Mirum opus, Ennyedii patria regione paratum.
 Hinc ex argento quinquaginta illita circum
 Auro ducuntur praegrandia pocula fulvo.
 590 Post orbis sedecim regalis splendida mensae
 Ornamenta, foris auro perfusa rubenti,
 Bis sex crassicie pondus mediocre gerentes
 Eiusdem generis disci totidemque minores.
 Sex etiam pateras veterum pulcerrima grandis
 595 Facta quibus fuerant inscripta et nomina regum.
 Postremo celeres alis praevertere ventos
 Falcones soliti, dum coeli nubila tranant,
 Atque paludoso pulsos et gurgite anates
 Ungue premunt, misero et discerpunt corpora morsu.
 600 Ingentem Caesar numerum luxumque superbum
 Donorum attonito miratus pectore regem
 Aurea magnanimum iubet intra tecta vocari.
 Utque subit limen, subsidens poplite pressit
 Pronus humum, vestemque manu contingere gaudet,
 605 Basia et excelsi dextra fixisse tyranni.
 Ille manu assurgens complexus utraque iacentem
 Erigit, et blando repetita dat oscula vultu,

Foelicem adventum verbis faustumque precatus
 Ac nati optato compellans nomine iussit
 Murice strata super residere sedilia et ostro.
 610 Ille verecunde primum mandata recusat.
 Mox ut idem fieri nutu monuisset et ore,
 Ad dextram, bassae qua stabant parte, resedit.
 Hic etiam regem ad tentoria pulcra secuti
 615 Quattuor illustres aderant de gente Gothunnum
 Magnates, oculis qui Caesaris ora tenebant.
 Czyakius ante alios, cui fas signare sigillo
 Secreta et regis dare nomine vota roganti.
 Post hunc Appafius, cui pulcro in corpore virtus
 Aulae regalis summum dedit esse magistrum.
 620 Inde Stanislaus, forti de gente Polonum
 Nysoffski natus, probitate fideque refulgens.
 Quartus Wolfgangus, qui quod non Bachica gustet
 Munera, cognomen meruit, vir fortis et aequus.
 625 Inde novem procures manibus de more retentis
 Czauusium dextris procedunt ordine pulcro.
 It prior illustris meritis virtuteque clarus
 Caspar Bökesius, cui regis adire cubile
 Et munire datum ferratos obice postes.
 630 Hunc prope praeclara gemini de stirpe Thelegdi
 Fratres, Nicoleos Michaelque, insignibus ibant
 Dotibus eximii, quae mentem corpus et ornant.
 Insequitur Pokay, insignis pietate Iacobus;
 Hic et Gregorius fortis Capitanus in armis,
 Militiae ductor, pulcro sese extulit ore.
 635 Sextus erat medica preclarus in arte Georgus
 Blandrata, qui regis vires morbosque levabat;
 Hinc Michael toties legati munere functus
 Caesaris in porta, cognomine dictus Iula,
 Consilio praestans et servantissimus aequi.
 640 Milesiusque Simon, Hermanni consul in urbe,
 Inter Saxonicos non infima gloria patres.
 Et Stephanus Kömin, iudex primarius Hunnū
 Atque comes, Cocalus quos inter labitur amnis.
 Protinus inverso vestigia flectere gressu
 645 Cuncti retrorsum ductu cogente iubentur.
 Sed solus, patriae sidus, fulgore coruscans
 Virtutum immenso, rex illustrissimus, ora
 Caesaris intuitus mentem explevitque videndo.
 Ad quem sic breviter surgens sermone profatur:
 650 Rex idemque pater, cuius mihi cognita iuxta est
 Cum virtute fides et rerum summa potestas:

His fretus non legatos neque blanda per artem
 Tentamenta tui pepigi: me me ipse meumque
 Obieci caput, et supplex ad limina veni.
 655 Gens eadem, quae te crudeli Teutona bello
 Insequitur, nos si pellant, nihil abfore credunt,
 Quin omnem Ungariam penitus sua sub iuga mittant,
 Totius et domini fiant habitabilis orbis.
 Nuper ab exilio revocatum in regna locasti,
 660 Quae, me terribiles ferro populantur Alani.
 Tam saevos propriis nequeam cum viribus hostes
 A iugulo et misere vastati limine regni
 Pellere, te ultorem, sic Diis statuentibus, aequum
 Tantorum scelerum voco: tu commune flagellum,
 665 Malleus esque orbis, quodque atterit omnia fulmen
 Regna, Deo quae cum scelerate bella nefanda
 Iusticiaque gerunt. Sic postquam voce locutus,
 Caetera porrexit tenui signata papyro
 Vota, loquens longo ne sit sermone molestus.
 670 Magnanimus Caesar vultus oculosque loquentis
 Iamdudum et totum lustrabat lumine corpus.
 Tum sic orsus ait: Non maior, nate, voluptas
 Ulla tuo adventu potuit contingere nobis,
 Nulla tui caussa duri discrimina belli
 675 Ferre recusabo, longo licet obsitus aevo:
 Idque fides promissa tibi Divumque requirunt
 Mandata, oppressos ut defendamus inique,
 Nec me privatus regnandi huc impulit ardor,
 Vis sed iniqua tibi Almanos illata per hostes.
 680 Ipsorum haec iugulo tempestas imminet atra
 Belli, quas habeam vires, quae fulmina discent.
 Qui maiestatem iussit te invisere nostram
 Ante obitum, curis senioque videre gravatum,
 Recte is consuluit: fateor, regnoque tibi
 685 Proderit iste labor, non vanus et irritus olim.
 Cuncta, petivisti quae supplice, dona libello
 Laetus habe interea, spera et maiora deinceps,
 Bello ubi successus dederit fortuna secundos.
 690 His rex auditis ante ora thronumque volutus
 Procubuit, grates verbisque et gestibus egit.
 Quem Caesar tollens animo iubet esse sereno,
 Adfore mox tempus, quo totus noverit orbis,
 Instrumenta Deum semper peridonea inique

661 nequeam W nequeant

675 obsitus W obsituus

652-657 His fretus — Verg. Aen. VIII, 143-148

670-672 vultus oculosque — Verg. Aen. VIII, 152-154

695 Pupillos viduasque iugo inclemente gravatas
 Iuvisse, atque altis posuisse in sedibus imo
 Stercore subvectos oppressis Marte tyrannis.
 Interea proprios accepto milite fines
 Defendat regni, captasque extorqueat arces,
 700 Lazarus infestis rapuit quas Schvendius armis.
 Hunc animum Princeps invicti Caesaris aequum,
 Tanti et tutoris clementi dicta benignis
 Commendat verbis, cursumque in rebus agendis
 Foelicem exoptans iter ad tentoria flectit,
 Ordine et insigni quo venerat ante paratu.
 705 Postera puniceis aurora advecta quadrigis
 Claram depulsis ubi lucem reddidit umbris,
 Dona iubet Caesar regi preciosa vicissim
 Afferri, mentis certissima signa benignae:
 710 Baltheus ex puro coelatus mittitur auro,
 Late collucens ardentibus undique gemmis.
 Hinc framea in longum porrecta rotundaque ad ictus
 Utilis et pugio stellatus iaspide fulva
 Auro de solido; vestes binae insuper ostro
 Contextae atque auro, chlamides quas deinde sequuntur
 715 Oblatae iis, dextram qui Caesaris ore premebant.
 Bis sex cornipedes ostroque auroque decori,
 Gemmea tres horum demissa monilia collo
 Et sellas habuere auro bullisque tumentes.
 Praecipue hos inter tribus empti millibus aureūm
 720 Emicuerē duo insignes, praevertēre ventos
 Adsueti pedibus volucresque aequare sagittas.
 Plurima praeterea quae pharmaca sana valebant
 Pocula in alterius mortem vitata veneno
 725 Pellere et omnigenos virtute extinguere morbos,
 Ex bene olente penu donantur Caesaris: uti
 Ipse quibus solitus, cum lethifer ingruit annus,
 Et varia oblectant quae condimenta palatum.
 His rex acceptis grates agit, eximiosque
 Turcarum procures donis ingentibus ornat,
 730 Ut cuiusque status meruit suasitque decorum.
 Quin etiam regem propriae ad convivia mensae
 Splendida perblando Caesar sermone vocandum
 Censuit, at contra bassae suasere priores:
 Si mensae admotus fuerit rex inclitus hospes,
 735 Horrebit nostras attingere dentibus escas
 Natura invalidus; sin maiestate tuoque
 Aspectu motus gustarit edulia, dirum
 Ipsi ne pariat, metuendum est, nausea morbum,
 Unde tibi invidiam nomenque infame parabis
 740 Christicolas apud, infectum qui deinde veneno
 Clamabunt: etenim et benefacta calumnia mordet.

His motus Caesar sese rationibus aequis
Regem apud Ungaricosque duces excusat honeste:
Pectora contemptus ne suspicione laborent.

145 Rex diuturna sui ne absentia regnicolarum
Pectora perturbet, tristes moveatque tumultus,
Ad patrios animum fines gentemque relictam
Intendit, reditus tardi ipsum cura fatigat.
150 Ergo vale extremum dicturus Caesaris ante
Conspectum serie et pompa prodibat eadem,
Corporis hesterno saltem mutatus amictu.
Cumque imo grates speciosis pectore verbis
Rex ageret, mentem egregiam meritumque recensens
155 Caesaris, offerretque fidem atque ad cuncta paratum
Iussa animum, donec vitae calor ossa moveret.
Grandaeus solio Caesar consurgit ab alto,
Amplexumque ulnis ultro compellat et infit:
Nate, Deum precibus supera donisque supremum,
160 Annuat ut coeptis, quaeque hostem movimus arma
Communem contra, praesenti numine firmet.
Te (mihi crede) triplo maiorem cogito regem
Constituuisse tui et fines extendere regni:
Et refugi venient ultro ad tua signa Gothunni,
165 Hungaraque assurgat te praeside gloria coelo.
Amplius adiecit: Respondentne omnia votis
Expectata tuis? Rex dum sperata ferebat
Accepisse, iterum solio surrexit eburno
Caesar, et amplexum blando disuaviat ore.

170 Rex a magnanimo poscebat Caesare votis
Oppida, quae Crisius camposque intersecat amnis
A Transylvanis, quam denique terminus oram
Debrecium a Zolnok tractu discriminat amplo:
Ipsi munifica quae contulit omnia dextra.
175 Non arcem Temesi, neque cultae moenia Lippae
Affectare ausus, bassarum iussa secutus:
Illic quandoquidem Mahometi lege notentur
Templa dicata Deo, quae non sine numine laeso
Contemptuque sacrum violatae et crimine legis
180 Restitui possint, praesertim caede cruenta
Teucrum cum fuerint et multo sanguine parta.
Tercentum quoque, qui Christi documenta professi,
Turcorum ex laqueis precibus precioque reduxit.
His bene transactis, zephyris foelicibus usus,
185 Cum toto Princeps comitatu adit ocus Albam
Iuliacam, observans rei tempora iusta gerendae.

13. <Liber decimus>

<Belli Pannonici> liber secundus expugnationem
Iulae et Zygethi continens

Rex prius Odrysii peteret quam castra tyranni,
Berthaldum bassam innumeras educere turmas
Mandarat Iulaeque arcem oppugnare superbam
Turribus aëriis lectaque cohorte virorum,
5 Queis bello virtus invicta domique forisque
Immortale dedit nomen famamque perennem.
Ocius is dicto paret, consueta rapinis
Vivere plebs, ultro et fuso gaudere cruore;
Confluxit cum Thrace ferox Moldavus et audax
10 Committens refugo fera praelia Tartarus arcu,
Et qui trans Alpes sedem posuere nivosas,
Ausonio a Flacco gens nomen adepta, Valacchi.
Ante quidem Budae Temesinus praeses et amplam
Cum quinquaginta cingebat millibus arcem.
15 Maior ubi numerus belli et maiore paratu
Additur instructus circum sublimia Iulae
Moenia, turritis gens fulgens Caspia peplis
Plurima venturae sperabat gaudia praedae.
Praestantes animis et robore corporis amplo
20 Bis ter mille virūm stabant arcere parati
Immanem Teucrūm rabiem infandosque furores.
Ante alios meritis et nobilitate vetusti
Stemmatibus emicuit praeses Kerezenius arcis;
Non miles, non arma aberant, non copia frugum,
25 Nec, quibus, excelsi, poterant confidere, muri.
Divina caruere manu, pugnantibus addit
Robur et ingenium, conantesque ornat et armat;
Sive quod arma Deo, fidentes viribus amplis,
Praetulerint, hostesque feros sine numine Divūm
30 Propicio auderent petulante lacessere dextra;
Seu quia praedonum rapuerunt more propinqui
Ruris opes sociique obliti foederis ausi
In calidis Varadini undis iugulare lavantes.
Arcem planicies spaciosaque iugera cingunt,
35 Irrigui circum fontes crebraeque paludes
Difficilem fecere aditum, si coelitus arva
(Humida per se alias) modicus madefecerat imber,

18 sperabat W sperebat

12 a Flacco — cf. Ov. Epist. ex P. IV, 9,75

Vallum ingens murusque duplex fossaeque profundae
 Urbi vicinam firmabant fortius arcem.
 40 Fama est ex terra tres instar montis acervos
 Erexisse Scythas, quibus aequent molibus arcis
 Sublimes muros praeruptaque tecta domorum.
 Protinus aggestos super aenea machina colles
 45 Tollitur ingentes arcis munimina contra
 Spargere sueta globos terramque movere tonitru,
 Fortius his ictae nutant cum milite turres,
 Donec hiat murus, rimisque patentibus agger
 Praebuit accessus avide oppugnantibus urbem.
 Hostibus haud quaquam cives virtute minores
 50 (Dissimiles numero quamvis) animosius armis
 Infusos ardent hostes detrudere vallo.
 At cum pugnando lassi sine fine viderent
 In statione aliis alios succedere Teucros,
 Arcem intra duro sic fato urgente recurrunt.
 55 Barbarus insequitur ferro flammaque furenti
 Obvia devastans, propius iamque admovet arcis
 Tormenta, assiduus et iactibus atria pulsat.
 Venturi miseris haec civibus omina luctus
 Extiterant, soliti sphaeras torquere magistri
 60 Arte sua pereunt, fera dum tormenta fatiscunt,
 Ustaque distendunt in multas corpora partes.
 Dira lues passim et genus immedicabile morbi
 Corripit obsessos: lethargus atroxque lienis
 Tortura et nascens vitata pestis ab aura,
 65 Extincti sexaginta memorantur in uno
 Saepe die; rabiem nulla ars domuisse veneni
 Tum potuit, medici quod sunt iurando professi,
 Copia quorum aderat, nulli potuisse mederi,
 Machina quem iaculans infectaque laeserat aura.
 70 Hinc aliud dirum miseris Iulensibus omen
 Surgit, inexhausti vivo semperque scatentes
 Flumine siccantur fontes sistuntque meatus;
 Vix alias leviter ferro terebrata solebat
 Ubertim largos tellus effundere rores:
 75 Tunc magno artificum rimata labore profundis
 E latebris modicae neque gutta eruperat undae.
 Interea immensus tumidarum gurgis aquarum
 Non procul a Iula reserato fluxit Olympo,
 Vix ut equo undantes quisquam tranare paludes
 80 Quiverit et gressus alto subducere limo.
 Dum nihil aut modicum vi proficit, arte dolisque
 Aggreditur scelere ante alios immanior omnes
 Berthaldus: ereptum totque ex agmine lectum
 Illyrica de gente virum (qui pluribus annis
 85 Comiter Istricis fuerat notissimus Hunnis

Infausta belli delusus sorte, deinde
 Turcarum imperium moresque fidemque secutus)
 Misit, ut exploret vires animosque catervae
 Obsessae, verbisque dolos inspiret amicis.
 90 Accipiant reddantque fidem, conventaque dignis
 Obsidibus firment, bassam ultro offerre paratum,
 Qui Czanadinum Lippensiaque arva gubernant,
 Praefectos Themesique arcem et memorabile Zolnok
 95 Cum genero proprio, vinclo sociata iugali
 Filia cui maneat, chari patris unica proles.
 Longius et bassam memoret cum milite toto
 Cessurum interea retro, dum tuta petantur
 Hospitia, et sedes adeant cum rebus amicas,
 100 Uterius nec iam pergant obsistere fatis
 Necquicquam, potius se ad prosperiora reservent
 Tempora fortunae, contenti laude recenti,
 Dum licuit, patriam quod dextra fortius arcem
 Servarint, tantoque audacibus hosti
 105 Restiterint: aliud nunc fata Deumque monere.
 Nuncius haec blando postquam sermone locutus,
 Scinditur in varias procerum sententia partes,
 Quaesitumque diu, num firma vel irrita habere
 Pacta velint soliti fraudes componere Teucri.
 110 Ambiguos demum de capto fama Zigetho
 Duraque sors cives depascens intus adegit
 Propositas leges admittere pacis iniquae.
 Ergo oratori iunguntur castra petenti
 Hunnorum socii, promissae foedera pacis
 115 Qui rata testentur, meliusque audita renarrent,
 Quae coram ex bassae didicissent certius ore.
 Sic ubi per fraudem ingenti sub mole laborum
 Obsessorum animos viresque labescere sensit
 Bassa, indignanti similis castigat acerbo
 120 Ore viros, oculisque aversa et mente tuetur
 Legatum, velut is promissa indebita pressis
 Obtulerit, quorum fuerit non conscius unquam
 Ipse, nec obsesso iussisset prodere vulgo:
 Egregiam vero laudem nomenque merebor
 125 Victor ait, supplex imbellem si alloquor hostem,
 Accipiamque datas leges pacemque inhonestam
 Cum damno, patiarque meae dispendia famae,
 Qui populos urbesque mari terraque subegi,
 Et decus eximium merui victricibus armis,
 Anne meis parvam desperem viribus arcem

87 moresque W murosque
 100 Necquicquam W Nec quicquam
 123 merebor W merobor
 129 Anne W An ne

130 Posse capi? longo confectaque corpora bello,
 Suprema macie rabiem evasisse putabo
 Fortis, cui potuit vis nulla resistere, dextrae?
 Ite ergo, pacisque alias praescribite leges,
 Quas victi soliti victori offerre superbo.
 135 Sic postquam fato Turci didicere sinistro
 Urgeri cives animosque labascere sensim,
 Moenia bombardis disiecta tonantibus arcis
 Impletasque luto lignisque et cespite fossas
 Ceu furiis acti, glomeratis undique turmis,
 140 Invadunt, iamque alti habuere cacumina muri,
 Praelia cum multo sudantia sanguine miscent,
 Dantque feruntque graves liventi in corpore plagas.
 Maior erat virtus atque impetus acrior Hunnis
 Ferventi in pugna, procul hostibus arce fugatis
 145 Caesisque innumeris, animo exultante triumphant.
 Fama volat, nisi opem Themesinus bassa tulisset,
 Cum ducibus reliquis Turcos tunc funditus omnes
 Deletos, arcem qui oppugnare, fuisse.
 Pixide confossus tamen in coxendice vulnus
 150 Cum summo vitae discrimine rettulit idem.
 Quotidie cives cum plurima mortis imago
 Intus terreret, funestaque linquere tecta
 Cogeret extremum nulli evitabile fatum:
 Arcem constituunt Hunnorum tradere regi,
 155 Si non vis obstet conatibus improba Teucrūm.
 Re bassa audita sic ore silentia rupit:
 Maxima multarum Caesar dispendia rerum
 Pugnando est passus, dum Iulam infestius ambit,
 Quod pensare malum et quam sarcire ruinam
 160 Debeat arx, precium belli infelicius acti.
 Ante quidem in manibus fuerat dum occasio praesens,
 Consilio utendum tali et ratione fuisse,
 Iam frustra peterent, quod neglexere rogati.
 In tam funesto Germani turbine rerum,
 165 Cum fugere haud possent nec se tutarier armis,
 Pactum ineunt, patrias si dimittantur ad oras
 Incolumes, secumque enses vexillaque portent,
 Caetera victorum cessuros legibus arcis
 Munimenta, utrinque fidem data dextera firmat.
 170 Iamque dies aderat, quo cives agmine facto
 Ibant, linquentes patriam dulcesque parentum
 Exuvias, quibus induti, dum fata sinebant,
 In mortem pulcra pro libertate ruebant.
 Ecce autem, patulae tetigere ut limina portae

175 lantzari, aspiciunt altis praefixa verutis
 Corpora multa virū, sanie et perfusa cruore,
 Quorum umbras victrix nigro demiserat Orco
 Dextera Christiadam, quae dum grex singula lustrat
 180 Barbarus, in iustos acuuntur corda dolores,
 Ardescuntque omnes diras exposcere poenas
 Pro sociis caesis pluresque immergere letho
 Christigenas: longe ante alios commoverat omnes
 Mustaphae aghae caput, aërii de stipite ligni
 185 Suspensum, cuius fera per ludibria linguam
 Ora exertabant putri rorantia tabo.
 Namque hoc conspecto tundeabant pectora palmis,
 Oraque foedabant lacrimis, fremituque loquuntur:
 Eheu, quam misero ductor fortissime letho
 Ante diem et nostrae periisti gloria gentis
 190 Maxima praecipuumque decus; memorabile quidquid
 Per nos hic gestum est, uno te authore tuisque
 Consiliis factum communi voce fatemur.
 Illane pro meritis, sors invida, praemia reddit
 Fortibus? egregii merces ea digna laboris?
 195 At vos, o Superi, si quid mortalia tangunt,
 Resque oculis hominum propius si cernitis aequis,
 In caput autoris tam diri funeris omnia
 Fulmina ne ultrici pigeat convertere dextra.
 Interea, ne lux et spes fidissima nostrae
 200 Gentis inulta diem videat sublata supremum:
 Christigenū quadringenta capita alta verutis
 Figemus, totidemque animas mandabimus Orco.
 Nec mora, quamprimum desertam barbarus arcem
 lantzarum tenuit caetus, clamoribus altis
 205 Hortantur socios extra in statione relictos
 Hostile invadant, dextrisque ultricibus agmen
 Comminus absque ullo discrimine et ordine mactent.
 Haud secus ac iussi faciunt, dolor excitat iram,
 Et placare iubet fraternos sanguine manes
 210 Effuso ardentemque sitim restinguere dulcis
 Vindictae et spolio sese oblectare recenti.
 Urgent, ut bassam praeses Kerezenius arcis
 Invisat, quem, dum cunctatur adire vocatus,
 Vi rapiunt, vinctumque immiti carcere torquent.
 215 Hinc belli exorto crudelis utrinque tumultu
 Marte diu dubio pugnatum est, usque Scytharum
 Christicolae numero mage, quam virtute domantur.
 Ferventi ante alios tamen in certamine virtus
 Praecipue eluxit quorundam mira virorum

193 Illane W Illa ne

195 mortalia tangunt — Verg. Aen. I, 462

220 Hungaricae gentis, quorum fortissima facta
 Nomine cum celebri, si quid mea carmina possunt,
 Non coeca aeternum patiar torpescere nocte.
 Doctus eques longo Teucros configere conto
 225 Martinus fuerat, Blasii cognomen adeptus
 Litterulis culti, fiducia magna suorum.
 Bekius et Paulus, stridente peritior arcu
 Funderet tela hostem contra clavaque rotunda
 Haydonum ritu falcato et acinace Teucrū
 Comminuisse caput late et sparsisse cerebrum.
 230 Raiyacus peditum quoque dux clarissimus, ore
 Barbarico haramias vocitat quos mobile vulgus,
 Usque celer pedibus velocem aequare citato
 Cornipedem potuit cursu, nec certius hastam
 Torserat, atque ictu quisquam confecerat hostem.
 235 Tres hi, cum paucis aliis, ingentia Teucrum
 Agmina pugnando multumque diuque virili
 Sustinuere animo: caesorum tantus acervus
 Creverat hos circum, ut via nulla cadavere septis
 Praesidiumque fugae fuerit; fert vulnera septem
 240 Martinus, Graecamque aeger perducitur Albam,
 Post ubi naturae fatalia debita solvit.
 Sorte pari rapitur Paulus, Teucrumque nefandum
 Imperium patitur, rigidoque in carcere moeret.
 Rayacus, pugnam nox postquam caeca diremit,
 245 Evasit, latuitque obscura fessus in ulva
 Limosoque lacu tenuem vix flaminis auram
 Ore trahens, subito lunae cum lampade vecti
 Inquirunt profugos limosa per aequora Turci.
 Transierat dudum Rayaci frater ad hostes,
 250 Eiusdem matris soboles, qui pone sequendo
 Dum profugū observat gressus (miserabile dictu)
 Inscius in fratrem casu incidit actus iniquo:
 Defessique caput lethali vulnerat ictu.
 Quem dum nudatum propius conspexit amictu,
 255 Germanum agnoscit, facinusque enorme perenni
 Prosequitur gemitu, lacrimisque ita fatur obortis:
 Heu quae debueram proprio servare cruore
 Viscera, crudelis nimium mea dextra peremit:
 260 Parcite cognati manes, per tela, per hostes
 Ire quibus licuit salvis, evadere fratris
 Non fuit ulla manum vobis concessa potestas.
 Vos precor, o Superi, tanto si crimine poenam,
 Quod fateor, merui, nullum tolerare recuso
 Supplicium, praesens vitae id modo terminet aetas.
 265 Fortibus hic etiam praestans Demetrius ausis
 Olcharovitch periit, cincta dum fervidus arce
 Proruit, ac contra vi multa dimicat hostes.

Nec tua Tollkētō memori delebitur aevo
 Virtus Alberte: eximios non ultimus inter
 270 Heroas, nomen qui aeterna laude merentur.
 Laus quoque Parlagio debetur iusta Georgo,
 Quem solum pene extremo divina periclo
 Dexterā servatum Germanis reddidit oris.
 Hic et Matthias Ziganus, vir fortis et audax
 275 Occidit, aut Teucrum laqueos incurrit avaros.
 Et Lyndenmari longum inclita fama Ioannis
 Florebit, qui dux Germani militis acer
 Et re et consiliis pereunti profuit arci.
 Ter numero plures Teucrum de gente cruentum
 280 Sortiti exitium, Stygiosque adiere recessus.

 Fama loquax veris miscens mendacia dictis
 Praefectum memorat tribuisse libentius arcem
 Hostibus, illustri quod bassam sanguine cretum
 In vinclis apud uxorem residere sciebat.
 285 Quo misso, hoc precio velut aequivalente redemptus
 Donatum pariter se libertate putabat.
 Publica privatos vertisse et commoda in usus,
 Cum vinum immenso frumentaue vendidit aere:
 Non alios unquam frumentum vendere passus.
 290 Aedificare altae quo moenia debuit arcis,
 In proprios furtim loculos sumptum abdidit aurum,
 Quare et Maxmylius pro mulcta acceperat arces,
 Quas emptas precio Moravum in regione tenebat.
 Uxorem sobolemque frui reditu tamen aequo
 295 Permisit tali cum conditione: relictis
 Ne sedes unquam sit fas intrare paternas.
 Addo, et Zerinii quando alta in cuspide vidit
 Praefixum caput, has animo fudisse querelas:
 300 Eheu, quod simili non pendeo morte peremptus,
 Quam decus aeternum post funus triste coronat?
 Sed cesso miserum mordaci rodere lingua,
 Hanc extra sortem qui longo tempore Turcas
 Heros ut fortis nostra cervice removit,
 Et tranquilla diu Ungaricis tulit ocia terris.
 305 Nemo hac in vita manet omni ex parte beatus,
 Quin eadem, quae aliis, ipsi contingere possint.
 Nunc ubicunque manes, seu vinctum detinet Alba
 Regia, sive tuos Galatae infaustissima turris,
 Ungariae procerum carcer, complectitur artus:
 310 Vive precor patrios visure aliquando penates,
 Quando (favente Deo) te regis gratia lani

305 omni ex parte — cf. Hor. Carm. II, 16,27—28

315 Respiciet, velut illustri virtute Bebeckum
 Conspicuum eduxit, patriis et reddidit oris;
 Si vero exemptus (quod publica fama susurrat)
 Rebus es humanis crudelia vulnera passus,
 Mens tua iuncta Deo coeli in regione fruatur
 Conspectu Superum laeto vitaeque perenni.

DE CAPTO ZYGETHO HISTORIA

320 Interea Caesar tercentum millibus arcem
 Undique difficili premit obsidione Zygethum:
 Corvathiae extremas positum bellacis ad oras,
 Qua Styria et ruris celebrata Carinthia campis
 Regna Liburnorum meta propiore salutat,
 Italiae portus, scutum Austriacaeque Viennae.
 325 Aggeribus valloque amplo fossisque profundis
 Firmata et rapidis circum undique fusa fluentis.
 Hanc prius exstructam spaciosis moenibus auxit
 Zerinius, contraque hostiles reddidit aptam
 Incursus, valido hoc arceret ut obice Teucros,
 Europaea ausos regna infestare rapinis.
 330 Huc ubi tempestas rabies insanaque Teucrum
 Appulit, armorum eximio splendore coruscans:
 Nec numero maior, nec plebs diversior unquam
 Linguis Ungariam Scythiae glacialis ab oris
 335 Effusa intravit, tellus gemuisse sub armis
 Fertur, et a sociis epotos millibus amnes.
 Protinus imperio Romani caesaris arcem
 Ad defendendum vi multa intraverat heros
 Zerinius, meritis, genere et virtute superbus,
 Nostra virum similem cui nunquam protulit aetas.
 340 Sex armatorum stipatus millibus hostis
 Pectore constanti vim sustinuisse parabat.
 Hunni pugnaces et multo robore praestans
 Dalmata Teutonico cum milite cumque Liburnis
 Intus erant, bellicae arx omni plena paratu:
 345 Ut nec fraude capi possit, neque viribus ullis
 Unquam expugnari populi ducumque superbo
 Iudicio: sed quas hominum manus extruit urbes,
 Diruit haec eadem, fundoque evertit ab imo.
 350 Undique cum pressam dux obsidione videret
 Arcem gramineosque armis splendescere campos
 Teucrorum, densa montes et amoena vireta
 Nube tegi veluti, pecudumque hominumque caterva.

312 illustri W illustris

338 meritis W miritis / superbus W superbum

334 tellus gemuisse — cf. Verg. Aen. XII, 713

Convocat extemplo proceres populumque potentem,
 Ad quos armato medius stans agmine fatur:
 355 Quis status hic rerum, fratres, quae forma, videtis,
 Armis dum petimur, iuguloque haec imminet atra
 Nostro tempestas belli fatumque supremum.
 At nos praesentes non exhorrescere casus
 Par fuerit, quorum virtuti publica et armis
 360 Christiadū est commissa salus, sacra iura, penates.
 Hos furor immanis diri et mens conscia facti
 Praecipites agitat, vulgique incondita tantum est
 Colluvies, disciplina sine et ordine pugnans:
 Blasphemo aeternum quae et polluit ore Tonantem.
 365 Quo mala et adversos toleremus alacrius hostes,
 Militiae has placuit cunctis praescribere leges:
 Ne cui suspectus possim fallaxque videri,
 Ex imo cordis rata iuramenta recessu
 370 Teste Deo haec recito, supremo iuro Tonanti
 Praecipue regique dehinc patriaeque meisque
 Vobis militibus: Non me, dum vita superstes
 Cara mihi fuerit, concessurum hostibus arcem,
 Vivere vobiscum cupio perferreque mortem.
 375 Mente aliud quod si caelo, quam lingua fatetur,
 Vindex sit Deus, en, libra qui ponderat aequa
 Res hominum, praesentique aspicit omnia vultu.
 Proderit hic etiam concordia certus et ordo
 Imperioque ducum mens vulgi addicta potenti.
 Neve quis alterius clam verba susurret in aurem,
 380 Nuncia si telo transmissa papyrus in arcem
 Venerit, haud ulli liceat contingere dextra,
 Ne de mandata miles statione vagetur
 Usquam, sub capitis mando graviore periclo,
 385 Certa sit ut prorsus constantia vestra fidesque,
 Lege pari a vobis data iuramenta reposco.
 Finierat postquam, medio crux alta theatro
 Erigitur, luat ut populus commissa rebellis.
 Iam rabiem vastosque irarum effundere fluctus
 390 Ardebat Caesar, maturius ergo profundas
 Implevisse iubet fossas siccareque multo
 Flumina lignorum cumulo et telluris acervo;
 Impetus undarum vehementior obstitit ausis
 Tam diris, molemque omnem abripuere procellae.
 395 Fossa per inductos fere erat siccata canales,
 Cum molli lana repleti et bombyce currus
 Mille ter immensum ad foveae merguntur hiatus;
 Iam quoque subvectis aequabat molibus arcis
 Muros, praecipiti ferientes culmine coelum,

394 per inductos W perinductos

400 Quando terribili volitantia murmure pila
 Spargere tormentis hostis cessabat ahenis.
 Nec mora, viginti bis tentant millia Teucrum
 Alta super multo conscendere moenia nixu.
 Exoritur clamorque virum clangorque tubarum
 405 Horridus armorumque fragor, prostrata corusco
 Ense vel oblongis contis turbata deorsum
 Corpora spumantes foedarunt sanguine muros,
 Sparsaque diffuso maduerunt saxa cerebro.
 Pars Teucrum potior sub moenibus occidit altis,
 Semineces alii gressus flexere retrorsum.
 410 Bis quadraginta post Caesar adegit
 Scandere fatales muros maioribus ausis,
 Verum aliis multo caesum crudelius agmen
 Interiit, reliquos metus et pudor anxius ursit
 415 Vertere terga retro atque implere ululatibus auras
 Agmina multiplicat, semperque prioribus addit
 Corpore vique animi meliores deinde phalanges
 Caesar; nil studio verum neque proficit arte,
 Cum sic magnanimum scriptis affatur amicis
 420 Zerinium: Genus alto a sanguine ducens
 Consiliis armisque potens, fortissime Princeps,
 Luctifico proprias quid bello perdere vires
 Atque meas pergis, cum crimine cumque periclo
 Amborum ingenti? Tot enim succumbere gentes
 425 Eximia celebres totum virtute per orbem,
 Nonne Deum credas ultrici cernere vultu?
 Haud ego canicie gravis et iam tardior annis
 Praecipuus belli maneo lacrimabilis autor,
 Si mihi, ceu summo quae debuit aera monarchae,
 430 Pendisset, poterat rex alta in pace Quiritum
 Florere et placidam securus ducere vitam,
 Iure ergo belli repeto, quae ferre negavit,
 Invitus quamvis, mea nam praecordia torquet
 Cura ea, quo superum placato numine possit
 435 Mens tranquilla frui coelo aeternumque beatis
 Sedibus optatum, hinc migrans, contingere portum.
 Arma decent iuvenes, oratio casta senectam,
 Improvisa cui propius necis imminet hora.
 Sat patriae regique datum est, obsistere fati
 Legibus immoto Parcarum pollice ductis:
 440 Impius et sanae est menti contrarius error.
 Si mea verba fidem te apud indubitata merentur,

409 retrorsum W retrosum

403 Exoritur clamor — Verg. Aen. II, 313

414 implere ululatibus — cf. Verg. Aen. VII, 395

438 Sat patriae — Verg. Aen. II, 291

Incolumis vitam duces, arcisque manebis
 Totius et gentis princeps dominusque Liburnae.
 Ad quem Zerinius: Frustra, Solymane, laboras
 445 Ferrea fucatis corrumpere corda loquelis.
 Imperio quae regna premis, vi et fraude parasti,
 Nec fuit in toto tibi gratior orbe voluptas,
 Quam si Christicolū foedares sanguine dextram.
 Arbitrium tibi lex, ius fasque, occasio belli
 450 Opportuna sato ad perdendum funditus orbem.
 Si tua contemsi florentibus integer annis
 Iussa, atque oblatos irrisi semper honores,
 In vitium mea cum proclivior esset et aetas,
 Cur iam desiperem, tot tempestatibus actus
 455 Communis vitae rerumque peritior usu?
 Quid mihi partus honos totius tempore vitae
 Proderit, ante obitum supremaque funera, si iam
 Desertor patriae dicar vel proditor arcis?
 Illa ne dilectis linquenda est gloria natis
 460 Uxorique, mihi et, quos sanguis iunxit, amicis?
 Nomen perpetua virtute tuebor honestum,
 Sive frui vita, seu morte perire necessum est.
 His animum dictis commutabile furem
 Impulit ad notas vires fraudesque tyranni.
 465 Durius increpitans et nomine quenque vocando
 Hortatur, coeptum non ante abrumpere cessent,
 Quam capiant arcem, pereant vel funditus omnes.
 Si precio spreto nollent urgere laborem
 Marte fatigati, ter magnum, supplicat, Allam
 470 Respicerent, deceat quem propter linquere vitam.
 Sic fatus, cuncti monitis parere parati
 Bassae vi populos cogunt invadere muros,
 Sed caesi toties iterumque, iterumque fugantur.
 475 Caesar cum procerum cladem populique cruentam
 Spectaret, canos barbae vulsisse capillos
 Dicitur, atque aegro rupisse hanc pectore vocem:
 Dii, si qua est pietas, illum sub Tartara telo
 Mittite fulmineo, aeternisque exurite flammis,
 Qui prior hos curvo signavit limite muros.
 480 Utilius mansisse domi et frenare potentes
 Imperio gentes tranquilla in pace fuisset.
 Heu male neglectis certis incerta secutus
 Quae patior? cui me exitio fortuna reservat?

463 commutabile W commotabile

476 rupisse vocem — cf. Verg. Aen. III, 246

477 Dii, si — Verg. Aen. II, 536

483 cui me — Verg. Aen. V, 625

Finierat postquam gemitus: iubet ordine bassas
 485 Cogere praestantem bello, rauco aere, iuventam,
 Cum sic sublimi Caesar de sede profatur:
 Gens Othomanorum, praelustri a sanguine ducens
 Et genus, et nomen, censu quoque maior et armis
 490 Omnibus in triplici populis habitantibus orbe,
 Heus nostris animos auresque his arrige dictis:
 Multa licet bello diuturno incommoda simus
 Perpassi, tamen hanc sors instaurare ruinam
 Concedet melior, memores virtutis avitae,
 Si contra adversos audentius ibitis hostes,
 495 Quos macies gravis et belli domuere labores,
 Aggere nec valli, nec muro obstante teguntur.
 Ut maris insanos contemnit navita fluctus
 Lucro inhians, portumque animo mercemque volutat;
 Et segetem pingui committens rusticus arvo
 500 Grandine cum nimbis spreta meditatur aristas:
 Sic decuit bello contemnere vulnera fortes
 Et spolia atque amplos toties repetisse triumphos.
 Praemia iam vobis, iam clades ultima victis
 Imminet, exiguum pensabunt multa laborem
 505 Commoda: mancipia et pictis cum vestibus aurum
 Armaque sidereoque aequantes lilia vultu
 Paestanasque rosas nuptae innuptaeque puellae;
 Cornipedesque acres, huius certaminis amplum
 Vos precium expectat, flammamque ardentibus addit.
 510 Hoc duce pugnatis, cui fato contigit armis
 Hungariae tota cum gente excindere regnum.
 Frustra tentatam toties nos cepimus Albam
 Bulgariae, et nostris Buda inclita paret habenis.
 Regem armis domitum per me arva Mohatia praebent
 515 Non obscura hodie iusti monumenta doloris.
 Cum planctu nostras aspexit et Austria vires.
 Quid Rhodon excelsam memorem? nil egimus unquam,
 Caepito ubi non fuerit sors semper amica labori.
 Sola meos laqueos hieme adventante Vienna
 520 Evasit, fidensque armis opibusque superbis.
 At nunc vel moriar, regni mecumque ruinam
 Ipse traham: aut Zigeth et claram expugnabo Viennem,
 Usque adeo vetus est infixi iniuria menti.
 Si trepido quis forte metu percussus abibit
 525 Detrectans pugnam, et se sub tentoria condet:

489 in triplici orbe — cf. Ov. Met. XII, 40
 490 auresque arrige — cf. Verg. Aen. XII, 618
 494 Si audentius — cf. Verg. Aen. VI, 95
 511 excindere regnum — cf. Verg. Aen. VII, 316
 517 Quid memorem — cf. Verg. Aen. VI, 123; 601
 524–529 Si trepido — cf. Am 9,1–3

Sive habeat celeres avis instar praepetis alas,
 Per mare, per terras fugiens perque astra, severum
 Non tamen is nostrum queat evasisse furorem
 Suppliciumque atrox genus et miserabile mortis.
 530 Ergo agite, o socii, iam summum urgete laborem
 Vi valida, fusoque animos explete cruore,
 Caedibus assuetasque manus aptate rapinis.
 Cuncti adsint, meritaque expectent praemia palmae,
 535 Vos meus insequitur favor ingens atque supremi,
 Non alias frustra cui dona sacravimus, Allae.
 Parte alia audentes animabat voce cohortes
 Heros Zerinius, solio sic orsus ab alto:
 Ni mihi nota foret multis exercita fati
 540 Vestra fides, socii, constansque vivida bello
 Virtus, verborum vos longa ambage docerem:
 Nunc opus esse animis, opus esse et pectore firmo.
 In nostrum exitium cum coniuraverit agmen
 Cyclopum, et cunctos rictu rabido ore vorare
 545 Contendat vi armorum, munere, fraude minisque,
 Nil intentatum summo conamine linquens,
 Pro re pauca loquar flammam ferventibus addens:
 Cedite non armis, socii, nec fidite Teucris,
 Est quibus innatum periura fallere voce
 550 Christicolas, quos contra odium implacabile gestant.
 Ut non Aethiopes atras in corpore pelles,
 Nec rabiem lupo errans mutat ovilia circum:
 Adversum sic nos hostilia pectora Turci
 Semper alunt, solitaque nihil feritate remittunt.
 555 Cernitis, ut bello fracti dare terga retrorsum
 Accelerent, stricto vix pugnant Marte coacti.
 Pars maior demissa neci sub moenibus altis
 Occubuit, Teucrum perfusi sanguine muri
 Spumant, inque altos crevere cadavera colles.
 560 Vos circumstare et tensis ad sidera palmis
 Cum teneris matres sugentibus ubera natis,
 Auxilium vestrum nunc implorare putetis.
 Vos pietas, vos alma fides, communia iura
 Christicolū infidos contra armet alacrius hostes.
 565 Vincemus causa freti meliore Deique
 Numine propicio dextrisque ad bella paratis.
 Sin superis visum, statque haec immota voluntas,
 Ut spe frustratis bello cecidisse cruento

533 Cuncti adsint — Verg. Aen. V, 70

537 sic orsus — Verg. Aen. II, 2

541 Nunc opus esse — Verg. Aen. VI, 261

550 Ut non Aethiopes — Aesop. Aethiops; Pastor et lupo

559 tensis palmis — cf. Verg. Aen. I, 93; V, 256

570 Contigerit, superest ea demum gloria victis,
 Instar ne pecudum caesi occubuisse putemur,
 Sed fortes velut heroes, quos ardua virtus
 Atque amor in patriam constans invexit Olympo,
 Perstat ubi merces tantorum aeterna laborum,
 Qualem pro Christo meruerunt vulnera passi.
 575 Magnanimi heroes, tantos hucusque triumphos
 Et decus eximia partum virtute tueri
 Pergite, difficile est bellum, victoria dulcis,
 Publica quam pacis tot tantaque commoda pensant.
 Talia forte duces fuerant cum voce locuti,
 580 Et tuba cum lituis ferali et murmure stridens
 Buccina ferventes revocasset ad arma cohortes.
 Mitrati fratres alti ad fastigia muri
 Vi multa scandunt, clipeosque ad tela sinistris
 Protecti obiiiciunt, prensant fastigia dextris.
 585 Zerinii contra turres ac tecta domorum
 Culmina convellunt, his se, quando ultima cernunt,
 Extrema iam in morte parant defendere telis:
 Auratasque trabes, veterum decora alta parentum
 Devolvunt, alii strictis mucronibus imas .
 590 Obsedere fores, has servant agmine denso.
 Quin intra portas atque ipsis praelia miscent
 Aggeribus murorum, et inundant sanguine fossae:
 Instaurati animi subito succurrere tectis
 Auxilioque levare viros vimque addere victis.
 595 Sic virtute Dei populiue ducisque repulsi
 Diffugiunt hostes, tam multis ense peremptis
 Zangiakis bassisque obscuro et de grege vulgi,
 Quam multa in silvis autumnii frigore primo
 Lapsa cadunt folia, non densior aëre grando,
 600 Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
 Caesar at irarum vehementi fluctuat aestu,
 Affligitque animum curis mordacibus aegrum,
 Non iam ferre valens conceptum mente pudorem
 Contemptumque sui populiue ducumque ruinam,
 605 Praecipiti lapsu solio moribundus ab alto
 Corruit, ast illi solvuntur frigore membra,
 Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
 Postquam introgressus vidisset bassa iacentem
 Exanimum, subita plenus formidine furtim
 610 Visa aperit bassis Solymani fata duobus.
 Hi simul ingressi somno curisque sepultum

582–589 clipeosque ... agmine denso — Verg. Aen. II, 443–450
 597–598 Quam multa — Verg. Aen. VI, 309–310
 605–606 ast illi — Verg. Aen. XII, 951–952

Credebant primum, sed mors manifestior ipsis
 Ingentes animo curas peperitque dolores.
 Attonitis haesere animis, secumque volutant,
 615 Ulterius celare velint an prodere mortem,
 Quam prius arma omnes capiant, atque agmine facto
 Invadant subigantque arcem, populumque trucidant.
 Quinetiam humectant lacrimarum flumine vultus
 Ad castra egressi, causamque tulere rogati
 620 Ad populum luctus: nobis vobisque minatur
 Crudele exitium Caesar, nisi Marte subactam
 Ipsius imperio plebem adiiciamus et arcem.
 Haec ubi dicta, metu mortis graviore coacti
 Cuncti adsunt, armis audere extrema parati.
 625 Tum vero fessi tanto discrimine belli
 Arces cum cives dubitarent posse tueri,
 Ingentem struxere pyram, vestesque theatri
 In medio gemmis pictas auroque rigentes
 Exurunt, huc tota domus preciosa supellex
 630 Cum vario belli, in cumulum convecta, paratu
 Vulcani rabie in tenues abit usta favillas.
 Aes etiam varium pendensque e gutture torquis
 Aureus et gemmis gravis annulus atque monile
 Et pulchras morsu connectens fibula vestes:
 635 Massa fit una globo, nec signat imago monetam
 Ulterius, nec habent usum ornamenta priorem,
 In telum sed enim vertuntur et arma, fragore
 Quae valido adversum aenea machina torqueat hostem,
 Ne Teucrum rabiosa cohors gaudere triumphans
 640 Hac praeda possit seque exornare superbo
 Christicolum spolio miserisque illudere victis.
 Hoc etiam vero maius crudele nimisque
 Horrendum facinus cives patrasse feruntur,
 Quippe suos hosti cara cum coniuge natos
 645 Ne dent perpetuo torquendos carcere, neve
 Polluat in Venerem gens prona libidine casta
 Corpora, virgineumque extorqueat ense pudorem,
 Aut quod praecipuum, ne religione paterna
 Contempta vitiis animum mentemque profanent
 650 Blasphemo Teucrum cultu nugisque scelestis.
 Alter in alterius gladium vibravit amici
 Uxorem, inque cavam capulo tenus abdidit alvum,
 Id poscente viro, aut iugulum mucrone resolvit.
 Triste hoc officium simili pensare paratus
 Flagitio ardebat consanguinitate propinquis.

613 Attonitis animis — Verg. Aen. V, 529

626–627 Ingentem struxere — Verg. Aen VI, 215; XI, 72

651 capulo tenus — Verg. Aen. II, 553; X, 536

655 Hic foedare manus castarum sanguine matrum
 Gratum erat obsequium sinceri et pignus amoris.
 Quosdam etiam praeceps, nimium vesanus et ardor
 Impulerat socias ferro obtruncare iugales
 Caesarumque cavis inferre cadavera tumbis
 660 Dextra alacri: ne vel fiant sine nomine membra
 Praeda hosti, neve innocuum ludibria sexum
 Visque inimica premat, vix parcere docta sepultis.
 Hic pia complexu miscebant oscula dulci,
 Inque vicem, ex oculis humore cadente, locuti:
 665 Parce precor, coniunx, vita mihi carior ipsa,
 Exuo quod mentem dilecti et corda mariti,
 Teque mea hac dextra sceleratoque ense preemptam
 Dedo neci, pietas ingens, non ira furorque
 Hoc persuasit opus, placuit praecidere letho
 670 Multorum scelerum causam laqueosque minasque
 Praecavisse iugum vel morte atrocius ipsa.
 Non hic ulterius patiuntur fata morari
 Optataeque frui nos consuetudinis usu:
 Praerepto aetherea in regione fruemur amore.
 675 Hic etiam forma insignis florensque iuventa
 Consortem thalami iuvenis tradebat amico
 Caedendam gladio (casum aversatus acerbum
 Forte domo exierat), quam passis ille capillis
 Corripiens ensem saevos librabat in ictus;
 680 Illa viri collum amplexans sic ore locuta:
 Me, rogo per superos, patiaris ducere vitam,
 Aspiciam, praesensque meum dum voce maritum.
 Alloquar extremum, mentisque novissima pandam.
 Ardenti nuptae zelo et fervore petentis
 685 Permotus miles violentum distulit ictum.
 Sic cum adventantem supplex affata maritum:
 (Ora premens labris colloque infusa pependit)
 Tune hos spondebas miserandae sponsus amores,
 Foedera connubii prope cum sacravimus aras?
 690 Debebas cuius proprio defendere vitam
 Sanguine contra enses inimicaque tela latronum,
 Heu nimium fidei mentisque oblite virilis,
 Innocuam pecudum protrudis more necandam.
 Qui rogo per superos, tibi promissosque hymenaeos,
 695 Me sociam belli praecinctam fortibus armis
 Adde tibi, dextram gladius, caput armet ahena
 Cassis, scutum humeros loricaque pectum inumbret,
 Detur et acer equus, turmas invadere Teucrum
 Mens animosa iubet, vitam et pro laude pacisci,
 700 Me sine prima manu tentare pericula belli.

699 vitam pacisci — Verg. Aen. V, 230

Haud mora, pro voto radiantibus induit armis
 Uxorem iuvenis, saevos quae vecta per hostes
 Ardua equo, sociis aliis comitata viroque
 Vi valida sternens hostes per castra vagatur,
 705 Nec prius audaci pergit desistere caepto,
 Sanguine quam Teucrum mentem satiasset avaram,
 Confertosque inter cecidisset alacriter hostes.
 His actis, fato cives urgente supremo,
 Viribus exhausti quamvis numeroque manerent
 710 Exigui, virtus animos tamen impulit altos
 Pro patriae extremum discrimen adire salute.
 Ergo ubi completas taedis et robore secto
 Fossas succendunt iniecto pulvere sparsim
 Sulphureo, effusis late grassatur habenis
 715 Mulciber, addebant flammis nova pabula venti,
 Unde calor, fumus pedorque molestus adegit
 Ambustos patriis cives excedere tectis.
 Praesertim fessas ex crebris ictibus aegre
 Cum torquere vident bombardas missile plumbum.
 720 Quam prius egreditur populo comitante Serinus
 Heros, sidereo vestes splendore micantes
 Induit, exutus penitus gravioribus armis,
 Ornavitque caput cristato tegmine carum,
 725 Uti quo solitus, si quando gaudia laeto
 Pectore convivas inter celebrabat amicos.
 Consulto Ungaricos centum et delegerat aureos,
 Adiunctam voluit nullam quibus esse monetam,
 Invisa Teucrum quae sit signata figura,
 Accipit et claves arcis, gremioque reponit
 730 Gossypium textumque inter, dehinc talia fertur:
 Hasce leves chlamydes et pictas induo vestes,
 Occultoque sinu claves, aurumque recondo,
 Arma manus agiles ne quid graviora retardent.
 Aut me si quisquam post tristia funera vitae
 735 Exuat induvis, invento gaudeat auro,
 Nonnihil et lucri spoliique reportet opimi.
 Neve prius liquisse feris puter hostibus arcem,
 Quam mea deficiant vitali membra calore,
 Clavis erit testis, quam mecum in morte reservo.
 740 Denique falcatum vagina diripit ensem
 (Virtutis monumentum et carum pignus avitae),
 Atque ait: Hoc primos insignis miles honores
 Promerui gladio, quibus aethera notus adibam.
 Hoc etiam nomenque decusque in morte tuebor,

717 Ambustos W Ambustas

701 Haud mora — cf. Verg. Aen. III, 548

745 Dum mea tractandis fuerit manus utilis armis.
 Haec in conclavi fuerat cum forte locutus,
 Prosiluit, sociosque foris radiantibus armis
 Extremum vitae discrimen adire paratos,
 750 Stans arce in media sic est affatus et inquit:
 Cernitis, ut rapidis arx aestuat undique flammis,
 Ac numero sumus exigui, potuque ciboque
 Exhausti penitus: quibus idcirco imminet hora
 Ultima iam vitae, in terris cum laude peractae.
 755 Vos moneo, praesens accendat ad arma periculum,
 Ac odium contra Christi armet nominis hostes
 Perpetuum, patriae sors et miseranda dolorque
 Ob fratres, natos, socios dulcesque parentes,
 Heu nimium tristi atque indigna clade peremptos.
 Ut me confertos pugnare videbitis hostes
 760 Inter mente alacri, mea sic exempla secutos
 Pro patria haud pigeat pulcro succumbere letho.
 Non patiar, si fata sinant, per Turcica castra
 Me vinctum duci, levis ut sim fabula vulgi,
 Neve acto pueri certent illudere circum.
 765 Dixerat haec postquam, ter IESUM voce vocavit.
 At prius effusi quam muro abiire relicto,
 Glandivomas patulae sistunt ad limina portae
 Bombardas, densa saturatas nube globorum,
 Dispolis quibus ingenti clamore ruentes
 770 Et fremitu feriunt sternuntque ad moenia Teucros.
 Pontibus innumeri Teucrum e sublimibus imas
 Turbati ad fossas, vi extrema urgente, ruebant.
 Pulvereo tecti nimbo et caligine caeca
 Prorumpunt cives, aquilis armisque corusci,
 775 Et densas gladiis acies telisque lacesunt
 Omnigenis Teucrū; non ensis et hasta volabant
 Irrita Pannonium, crebro sonat aenea iactu
 Verticibus galea, in modum et collecta rotundum
 Pepla tegunt nivis in morem lati aequora campi.
 780 It vagus excusso sonipes sessore per agmen,
 Exanimesque hominum celeri pede proterit artus,
 Purpureo in totum perfusus membra cruore.
 Turci etiam, raro bellum virtute gerentes,
 785 Sed numero assueti superare et fraudibus hostem,
 Acrius insurgunt, iaculorum et nubibus Hunnos
 Contexere, ulloque cadunt absque ordine caesi.
 Fortiter ante alios medio dux agmine pugnans
 Zerinius cecidit traiectus pectora plumbo.
 790 Divisum hinc agmen, pars intercaepa patenti
 Occidit in circo, pars intra moenia cursu

781 Exanimesque W Examinesque

Conduntur celeri, vario et certamine miscent
 Praelia, dantque feruntque graves in corpore plagas:
 Usque cruor passim rapidi instar fluminis undans
 Scuta virūm galeasque et fortia corpora volvit.
 795 Dum furit insano capta Mars arce tumultu,
 Iantzari subiere domum, quae cultior aulaeis
 Prae reliquis cunctis pictoque apparuit auro.
 Praedae avidi magno haec dum tecta labore pererrant,
 Rimanturque cavis abscondita quaeque latebris,
 800 Dissilit ex imo domus ingens eruta fundo
 Pulvere sulphureo, quem caecis abdidit antris
 Furtim Germanus, sublataque corpora Teucrūm
 Huc illuc versans vacuas dissolvit in auras.
 Alta Zerinii caput a cervice revulsum
 805 Traditur Aemilio tali cum voce ferendum:
 En tuus ut clipeus clarae murusque Viennae,
 Zerinius periit, dum magni Caesaris armis
 Restitit imprudens voto delusus inani.
 Te, nisi supremum me noveris esse monarcham,
 810 Poena manet similis, vel si quae maior habetur.
 Maximus Aemilius cari concussus amici
 Funere, rorabat lacrimis humentibus ora,
 Et caput aurato preciosum murice cinctum
 Insequitur, quacunque illud pomposa ferebat
 815 Turba sacerdotum lugensque exercitus omnis:
 Ultima persolvens heroi iusta perempto.
 Ipsi etiam Teucris reliquum sine vertice truncum
 Prorsus honorifice digno invexere sepulcro
 Arcem intra, ut fato iam cassum lumine tellus,
 820 Pro qua sustinuit tot vulnera vivus, haberet:
 Grata animi et foveat semper monimenta paterni.
 Quos hic pro patria bellum et pietate gerentes
 Eximios proceres praestantem et robore pubem
 Mars ferus abstulerit, non horum cuncta seorsim
 825 Nomina succurrunt, scribi dignissima coelo,
 Viventum in libro, stabili quem pollice duxit
 Rerum hominumque sator longevae in secula vitae.
 Hoc a me manes, si quid mortalia curant,
 Inscriptum tumulo teneant lacrimabile carmen:
 830 Quos tellus diversa viros idiomaque linguae
 Discrevit, spectata fides et vivida bello
 Virtus atque amor in patriam communis amice
 Unii: his freti Solymanum ad magna Zigethi
 Moenia vertentem totius robora belli
 835 Expectare ausi, intrepidoque occurrere Marte

806 clarae W clare

794 Scuta virūm — Verg. Aen. I, 101

Hostibus innumeris, una cum Caesare, caesis,
 Arcem dum superi salvam voluere benigni.
 Demum ubi sic statuit nulli violabile fatum,
 840 Oppetiere omnes pulcrum per vulnera mortem
 Pro patria et Christum constanti voce professis.
 Perpetuum in terris nomen coeloque coronam,
 Martyras eximios florentes inter, adepti.
 His actis mortem invulgant per castra tyranni,
 Et cineri inferias supremaque iusta ferebant.
 845 Pars calidos latices et athena undantia flammis
 Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt.
 Fit gemitus, dum membra toro defleta reponunt.
 Funereasque super vestes, velamina pulla
 Coniiciunt: pars ad vectandum lecta pheretrum,
 850 Moesti omnes patrias invisunt funere terras.

14. Epitaphium praestantissimi herois Nicolai comitis Serinii ac totius Croatiae capitanei generalis etc.

Ob patriam et leges nec non virtutis amorem
 Multi praestantes occubuere viri:
 Quorum perpetuo viget inclita fama per orbem,
 Solis in Eois occiduisque plagis.
 5 Ut patriam a saevo servaret Horatius hoste,
 Vitae discrimen promptus adire fuit;
 Morte sua Codrus communia damna levavit,
 Militis ignotus cum perit ille manu;
 Curtius in vastum se ultro coniecit Avernum,
 10 Pestifer illius ut funere cesset odor;
 Sponte sua leges et propter iura Lycurgus
 Perpetuus patriis finibus exul erat;
 Quis precor Attilii largo licet ore dolores
 Explicet, ob patriae commoda multa suae?
 15 Hos amor in patriam post mortem et fama perennis
 Impulit, et virtus nescia vera mori:
 Proiecta ut penitus gelidae formidine mortis
 Pro patriae tulerint sponte salute necem.
 Iustior at comitem permovit causa Serinum,
 20 Quod rigidae voluit iura subire necis:

848 velamina W volamina

844–849 Et cineri — Verg. Aen. VI, 213; 218–222

5 Horatius — Liv. Ab u. c. 2,10; Sen. Epist. 120,7; Val. Max. 3,2,1

7 Codrus — Val. Max. 5,6 ext 1

9 Curtius — Liv. Ab u. c. 7,6,3; Val. Max. 5,6,2

13 Attilii — Val. Max. 1,1,14

Nimirum leges abolentem et iura tyrannum,
 Templaque, sincera et cum pietate fidem,
 Ad foeda innuptas rapientem et stupra puellas
 (Cuius et immani dextera coede tepet)
 25 Christiadam a iugulo dum infracta mente repellit,
 Mergit et innumeros Tartara ad ima Getas,
 Occidit: aeternos victurum sidus in annos,
 Summa Lyburniaci fama decusque soli.
 Sed mors illius Solymanni morte tyranni
 30 Perpetuo in terris nobilitata manet.
 Ergo dum memori Solymanni nomen in aevo,
 Et tua perpetuo fama vigeat, erit.
 Interea placida requiescas conditus urna,
 Heros divinis adnumerande viris.
 35 Effuso tibi dum Christi pro plebe cruore
 Dona ferat Christus sanguine parta suo.

15. <Liber undecimus>

<Belli Pannonici> liber tertius de Tartaris gloriosam victoriam
 Ioannis II. regis Ungariae continens

Postquam Pannonias rumor diffusus in urbes
 Spe laetos proceres salvo cum rege receptos
 Principis edicto classes et cuncta parari
 5 Commoda, quae belli praesens exposceret usus,
 Protinus ad regem bello delecta iuventus
 Confluit, armata patriis e finibus hostem
 Propulsare manu, leges et iura tueri
 Prompta, auro late fulgens ostroque decora.
 Pondus id, heu, nimium durum nimiumque prophanum
 10 Sacrifici subiere viri, qui Saxonas inter
 Divinum cultum populos sermone docebant,
 Decreto ex procerum tormenta ut ahenea belli
 Glandesque aeratas, permixtum et pulvere sulphur
 15 Sarcinulasque alias, tentoria picta, rudentes
 Perducant propriis ad regia castra quadrigis,
 Quove gravis belli molem converterit omnem.
 Ergo fidem regi patriaeque probare parati
 Dant quadringentos pingues agilesque caballos
 Currusque aurigasque emptos, quibus aera subinde

21 abolentem S abolens / tyrannum S tyrannus

22 pietate W pitate

23 rapientem S rapiens

36 sanguine parta S sanguinolenta

20 Menstrua suppeditant, ne pabula laeta iugales
 Destituant, victuque carens auriga laboret.
 Arx Varadinensi non longe distat ab urbe
 Saccha potens, circum stagnantes undique fossae
 25 Longo terrarum tractu crebreque paludes
 Apparent, similis positu quae creditur urbi
 Insigni Venetūm, nusquam nisi classibus hosti
 Pervia, calle brevi dempta, quae ducit ad arcem.
 Schvendius hanc nuper vallo circumdedit alto
 30 Et sudibus densis congestaeque aggere terrae,
 Imposuitque duces fulgentesque aere catervas
 Omnigeno belli cum sufficiente paratu.
 Hinc veluti Caci prorumpens raptor ab antro
 Innumeras egit pecudes, sata laeta feroci
 35 Quadrupede attrivit, quo vivere farre solebat
 Rusticus, uxorem sobolemque fovere tenellam:
 Surripuit miles sceleratis improbus ausis,
 Atque latrociniis infestam reddidit oram
 Omnem isthic, ferro depascens praedia et igni.
 40 Tam truculenta pius rex tollere monstra parabat,
 Quo pacem oppressis atque ocia grata colonis
 Redderet, ut quondam Caco Tirynthius heros
 Edomito Thuscis tulit ocia libera terris.
 Nec mora, praemissis aliquot legionibus arcem
 45 Obsidione premit, paulo post ipse secutus
 Aenea sublimi tormenta minantia coelo
 Excidium muros contra protudere sphaeras
 Imperat aeratas, crebro ruit ariete valli
 Pulsatus paries, rimisque patescit apertis.
 50 Protinus ingenti pacem clamore petebant
 Tegminibus capitum ventosa per aëra sparsis,
 Dummodo corporibus liceat discedere salvis,
 Arcem semirutam promittunt sponte daturos.
 Cum prius admoniti de deditione rebelles
 55 Reddiderant regi nil voces praeter acerbis,
 Unde animus iustas inflammabatur ad iras:
 Sera nimis duro contempsit pectore vota.
 Ergo ubi velivolis ad moenia lintribus arcis
 Ire parant: cincta residentes arce cohortes
 60 Teutonicae Ungaricum, quod dedere noluit arcem,
 Vique minisque ducem, sceleri ut consentiat, urgent,
 Luctantisque diu nodosis brachia vinclis
 Collaque constringunt, vinctumque ex arce trahebant
 Ad regem, egressi versis postquam ordine signis
 Supplicibus votis vitae petiere salutem.

24 crebreque S crebraeque
 51 Dummodo W Dum modo

65 Attonitus stupuit Princeps, causamque rogavit:
 Cur belli socium manibus post terga reflexis
 Guttur et insertum laqueo praefectus Alanū
 Ipse manu traheret tortoris more cruenti.
 Cui dux: hunc quoniam praesensimus esse latronem,
 70 Pulvere qui voluit muros radicitus arcis
 Vertere sulphureo nosque oppressisse ruina,
 Hac igitur poena dignum censemus atroci.
 Supplicibus venia concessa rex Varadinum
 Ire iubet cunctos, ex tristi pallida habentes
 75 Ora fame, revocent exhaustum ut membra vigorem,
 Atque manus fugiant Teucrū, si forte penates
 Visuri patrios alibi imprudenter aberrent.
 Regi prodiderint validae quod moenia Sacchae
 Germani, sceleratum et detestabile nomen
 80 Commeruere, omnes hac Schvendius arce reversos
 Mulctavit gladio vel guttura canabe strinxit.
 Praefectum Ungaricum Andream cognomine Bayon,
 Corpore vulneribus toto lethalibus ictum,
 Atque ob id immitis subeuntem vincula mortis:
 85 Rex pius in terrae gremium praecepit humari.
 Immeritamque necem lacrimis testatus obortis
 Defletum sequitur populo comitante pheretrum.
 Inde arcem Bayon dura obsidione coëgit
 Regia iura pati precibusque exposcere pacem.
 90 Tam laeto adiutus successu in rebus agendis
 Ad maiora animum Princeps viresque parabat
 Praelia, crudelem patriis ut finibus hostem
 Arceat, aeternae sortitus nomina famae
 Bello, non molli quem fert ignavia luxu
 95 Materiesve mali et scelerum scaturigo: voluptas,
 Captus: qui caecae aeterna caligine noctis
 Vitam hominum sepelit, memorique exterminat aevo.
 Caesaris addebat vires exercitus ingens,
 Begus enim imperio Zolnoki iugera frenans
 100 Milite cum valido pharetratorumque Gelonum
 Colluvie immani regi coniunctus in hostem
 Auxilium promptum Solymano urgente ferebat.
 Ergo adeunt arcem, rapidis ubi fluctibus amnis
 Ingreditur Titiae piscosa fluenta Bodrogus,
 105 Tocaum praesens antiquus et accola dixit.
 Terra ferax frugum et generosis faeta racemis
 Circum, aequanda ferens precioso vina Falerno.
 Nec patet accessus venientibus hostibus usquam,
 Ni frigus glacie molles astrinxerit undas
 110 Hibernum, immoto et iubeat considerare cursu,
 Immensum remis vel nauta subegerit aequor.
 Huc ubi delati superato lintribus amne

115 Castra locant, propius qua templum respicit arcem,
 Oppidulique situs dans hospita tecta vianti.
 Protinus, egesta qui vallum firmet arena,
 Fossor humum ferro terebrare peritus acuto
 Deligitur sorte, impositum assiduoque labore
 Fervet opus, dextra sub pondere saepe labante
 120 Atque humero fractisque in corpore viribus aegro;
 Saepius adverso transfixus ab hoste volucris
 Glande improvisam petiit per vulnera mortem.
 Ante alios Capitan praestans virtute Georgus,
 Clarus et acer eques, contoque lacescere Teucros
 125 Et paribus superare armis, si quando duello
 Confligit, solitus (ceu cum certamine claro
 Hubyar agham Buiaci in campis fudit apertis)
 Occubuit, misso lascivia per inguia plumbo.
 Huc tamen usque labor fodientum curaue solers
 Processit, caeco ut latuisse quietius antro
 130 Quiverit, et miles tormentis moenia ahenis
 Diruere, atque aditus votis sperare patentes.
 Iam lux instabat, qua animosus miles et audax
 Maiore audebat conscendere moenia nixu.
 Cum rex praemonitus Turci sermone fidelis
 135 Cuiusdam, properet quam primum excedere castris:
 Canguistas animo fraudem occultare maligno
 Vimque paraturos a tergo, moenibus altis
 Dum conscendendis miles multa arte laboret;
 Impune ausuros iam Caesare cuncta remoto
 140 Morte improvisa, clausoque in pectore dirum
 Hoc versare nefas: cum plebe ut, rege perempto
 Aut capto, invadant septem castrensia rura,
 Omnia crudeli vastantes obvia ferro,
 Olim ceu quarti fecerunt tempore Belae,
 145 Quando ea Pannoniam pestis pervaserat omnem
 Diluvium velut, absorbens Mavorte cruento
 Pontifices, procures cum plebe nurusque virosque.
 Ex ipsis multos vada iam tranasse Tybisci,
 Qui sub tutela regis curaue manentes
 150 Depopulentur agros populis et rebus abactis.
 Ergo sub obscura noctis caligine classes
 Bombardis onerant, reliquo et graviore paratu
 Armorum, et vastum refugi dant vela per aequor.
 Mane novo croceis aurora rubescere bigis
 155 Coeperat, adducens lucem mortalibus aegris,

125 certamine claro — v. Tinódi: Kapitán György bajviadala (Certamen singulare Georgii Capitani)

155 mortalibus aegris — cf. Verg. Aen. X, 274

Massagetū illuvies regi cum dira propinquat,
 Agmen agens hominum, laqueo post terga retorto
 Cui reflexa manus riguerique colla catenis,
 Cum varia innumeraque oviumque boumque caterva,
 160 Implente horrisonis vacuas mugitibus auras.
 Marmarusiaco crudelis raptor ab agro
 Egerat hanc praedam spolio locuplete triumphans,
 Cum pius ardenti commotus pectore zelo
 Princeps non planctus, non verba precantia coelum
 165 Motura et superos tenues sinit ire per auras
 Irrita, continuo cogit rauco aere iuventam,
 Hortaturque duces, scelerati animosius hostis
 Compescant ausus, tanta et dispendia gentis
 Cognatae subito victrici Marte reponant.
 170 Et prior immanem Princeps animosus in hostem
 Fulmineo accinctus ferro volitare parabat,
 Cum proceres ipsum certo abstinuisse periclo
 Hortantur, frenumque manu et calcaria prensant,
 Pro vita sociū captaeque salute catervae
 175 Luctantis vitae discrimen adesse supremum.
 Protinus effusis Mavortius Hunnus habenis
 Canguistas sequitur, pavitantia tergaque contis
 Perforat oblongis, moribundosque impiger alto
 Sternit equo, et stricto ex humeris caput abstulit ense,
 180 Maiorem et praedae partem spoliique superbi
 Hostibus extortam victrici Marte reportat.
 Tela quidem inflexo spargebat Tartarus arcu
 Plurima, sed clipeis duri et munimine ferri
 Excepta in tenues ibant sine viribus auras.
 185 Non tamen haec prorsus caruit victoria damno,
 Hungarica siquidem ceciderunt parte ducenti
 Egregii iuvenes, quos inter clarior unus
 Horvathus Michael iaculo confixus acuto
 Corruit, ingentem regi patriaeque dolorem
 190 Triste sui et votum desideriumque relinquens.
 Ast octingenti hippophagū de gente Gelonum
 Pugnaci Hunnorum turbati ad Tartara ferro.

DE CRUDELITATE TARTARORUM memoratu dignissima

Quam prius optatum contingant carbasa portum,
 Saevitiam diram facta et crudelia gentis
 195 Tartaricae dicam, portenta immania mundi
 Quae scelere et feritate aequat superatque nefando,
 Qualia commemorant antiqua poemata vatum,
 Humanas mensis assueta apponere carnes
 Inque avidam misisse attritas dentibus alvum.

200 Quae Scinis aut Sciron, crudelis quaeque Lycaon
 Busyrisque ferox implacatusque Procrustes
 Cantantur patrasse immania facta, putabant
 Ficta et vana homines, nostra at cum viderit aetas,
 Mirari cessat, creditque simillima priscis.
 205 Forte ducem Teucrū Scythicae ad convivia mensae
 Massagetū princeps vultu invitarat amico,
 Cum reliquas epulas inter concisa puelli
 Membra apponuntur, genitricis ab ubere rapti,
 Lactea quaeque infans siccaverat ubera matris.
 210 His dux obstupuit visis, gelidusque per ima
 Ossa tremor fluxit, commotaque viscera tantae
 Tamque rei indignae scelere impietateque motus.
 Barbarus hasce ducem escas fastidire putabat,
 Quod servata diu vitiasset membra putredo,
 215 Aut trabe sublimi macerasset pendula fumus.
 Delitias ergo iubet instaurare recentes.
 Conspectum ante, novae ut captus dulcedine praedae
 Gaudeat, atque avidus gratissima prandia captet,
 Dixerat: extemplo facie pulcerrima virgo
 220 Siderea praestans praelustri et sanguine nata
 Pannoniū cuncto nudata adfertur amictu,
 In partesque cadit gladiis dissecta minutas.
 Atria tota madent roseo respersa cruore
 Vultus et ora virū cultaeque in corpore vestes.
 225 Ducitur et pullus stabulo praereptus equino
 Sorte pari caesus, pecudis commista iacebant
 Membra hominis membris imber pariterque cruentus,
 Ollaque confusos eadem complectitur artus
 Et patera androphagis praebens alimenta Gelonis.
 230 Haec etiam in tristi miseranda tragoedia bello
 Accidit: insequitur profugi dum terga Geloni
 Hungarus, et cursu propius contingeret hostem,
 Ille fugae studio ne sarcina rapta citatos
 Impediat cursus, ferat aut mora tarda periculum,
 235 Proiicit in terram villosum sponte canistrum,
 Quod miles rapto confertum credidit auro.
 In lucem ex sacco dum victor singula promit,
 Dissecti infantis semesos reperit artus,
 Iuncta quibus fuerant, quae suxerat ubera vivus.
 240 Praeterea infantum quod corcula sumere blanda
 Inque leves cineres natis contusa feruntur
 Exhibuisse suis potanda: odium implacabile contra
 Christicolae primis sic irriteretur ut annis,
 Iisdemque ad magicas utuntur saepius artes.

201 Procrustes W Procrustes

200–202 Quae Scinis — Ov. Met. VII, 440–447

245 Nuper Alexander cum pulsus vaivoda regno
 Moldavo sedes iterum repetisset avitas
 Viribus hippophagū, defuncti membra mariti
 Faemina convivis posuit comedenda, iugales
 Concelebrans taedas sponso sociata secundo.
 250 Grandius his peiusve nefas scelerata patravit
 Cyclopum illuvies, quod dicere lingua perhorret,
 Quodque aversatur tenerae mens casta iuventae,
 Virque omnis refugit, scelus execratur et ingens.
 Vos Heliconiades obscoeno parcite vati,
 255 Flagitium enarrans castas si vulneret aures,
 Cum sit propositum nulli et nocuisse voluntas.
 Egregia virtute senes meritisque verendos
 Dissecuere viros, miris cruciatibus ante
 Vexatos; tristem superante et tormine mortem
 260 Ense cavas uteri placuit tentare latebras
 Uxorum, tumido gestantum dulcia ventre
 Pignora, cumque ipsa faetum genitrice tenellum
 Concisum in partes crudeli absummere ferro.
 Hic distenta pedes in terram et fune ligata
 265 Virgo gemens nutus violenter passa frequentes
 Vitam exhalavit geniali carcere rupto.
 Praestantes forma et pubentis flore iuventae
 Extorres patria peregrinum longius axem
 Vertere compulsae scelera ad maiora retentae
 270 Aerumnasque, quibus referendis guttur hebescit,
 Mensque stupet, capitisque horrent in vertice villi.
 Invalidam praedae partem, non longa viarum
 Taedia saevitiamque hiemis perferre valentem,
 Gens aurum sitiens lucro et devota parando
 275 Obtulerat venum Christi mandata professis,
 Quo magis ad mercem Scythia cogeret asper emendam,
 Ante oculos aliquot scelerato conscidit ense
 Foeminei sexus homines sexusque virilis.
 Casu hoc concussi consanguinitate propinquū
 280 In precium galeas vertunt squamisque rigentes
 Loricis cultu decorataque frena superbo.
 Hic etiam casti memorare exempla pudoris
 Foemineique iuvat caetus extollere famam.
 Virgo decora nimis prognata parentibus alto
 285 Sanguine praeclaris, polluta libidine, pulcrum
 Cum decus incorruptae et virginitatis honorem
 Per vim amisisset, potuisset et aere repenso
 Haud dubie redimi laqueosque evadere Teucrū,
 Maluit insanos inimicū ferre furores

277 aliquot W oliquot

290 Triste minaxque iugum et laribus caruisse paternis
 Perpetuo, laesa quam virginitate reverti.
 Dignior Erigone iungi coelestibus astris.
 Non huic dissimilis mulier fuit altera multum,
 Nam precibus cari precioque redempta mariti,
 295 Dum pariter patrios pergunt invisere fines,
 Forte gravi nimium pressus moerore maritus,
 Zelotypus multum, uxori queriturque pudorem
 Ereptum, et Scythico conceptam semine prolem
 Nixuram partu intempestivo exprobrat ore.
 300 Illa silens animo suspiria duxit ab imo,
 Compressitque acres stimulos aestumque doloris.
 Paulum ubi progressi simulavit pondere ventris
 Se nimium urgeri, laxareque postulat alvum,
 Interea ulterius sensim iubet ire maritum
 305 Et reditum expectare citum: delapsa caballo
 Viminea latuit mulier, seque abdidit ulva
 Non unquam conspecta viro, consumpta dolore
 Aut iterum Scythicos rediisse putatur ad hostes.
 Talia dum meditor cura graviore solutus
 310 Monte super celso, feriente cacumine coelum,
 Urbano procul a strepitu semotus in antro
 Delitui umbroso, quem late frondea vestit
 Silva frequens corylis, quam solis respicit ortus:
 Parte sed adversa preciosis nobilis uvis
 315 Vineae lata fuit, soepe unde redibat egenti
 Sacculus aere gravis pleno spumante Lyaeo:
 Parvula ubi sancto stat villa sacrata Tobiae,
 Dicta Tobestorffum, Byrthalmo iuncta propinquo.
 Utque opus immensum tenui pertexere avena
 320 Sedulus atque ardens cupio: me cura Tonantis
 Ad maiora vocat, Mediensi ut pastor in urbe
 Aetherei populo pandam mysteria verbi.
 His ergo intentus studiis abrumpere coeptum
 Cogor et emeritum tigno suspendere nablum.

16. Liber duodecimus

Continens acerrimam disputationem Albae Iuliae coram Principe habitam cum novis Arrianis, qui veram et aeternam filii Dei divinitatem negabant, et baptismi dignitatem elevabant, et alia somnia anabaptistica spargebant.

Et causas defectionis a fide Turcica et legationem Casparis Bökeschii ad imp(eratorem) Germanorum. Inde obitum regis et praesagia mortis ipsius; aquarum inundationes, caumata, incendia urbium, praesertim Cibinien(sis), terrae motus et alia. Item sepulturam regis et electionem mag(nificientissimi) Stephani Bathori in principem Trans(silva)niae et quae sub initio ipsius regiminis acciderant. Annis 1568, 1569, 1570, 1571.

Post tantam cladem et civilis vulnera dextrae,
Pene ubi naufragium patria extremamque ruinam
Passa periit, paxque alma iterum revocata vigeret:
Bellum aliud surgit sacra Christi iussa docentes
Inter, coniunctasque ferox discordia mentes
Divellens quosdam veteresque priusque sepultos
Errores Stygio revocare coëgit ab Orco.
Delirus quondam quos Arrius atque Cerinthus
Et civis Samosetanus sparsere procaci
Oreque blasphemo te contra, Christe, salutis
Nostrae qui fons es prolesque aequaeva parenti,
Par et honore Deus simili et pietate colendus.
Nam tibi sacrilego veram aeternamque furore
Impulsi deitatem adimunt, et ab aetheris alto
Deturbant solio, te solumque esse fatentur
Purum hominem, genitor cui participarit egenti
Omnia cunctipotens, purae genetricis in alvo
Cum puer indueres humanos membraque vultus
Flatu operante sacro massamque fovoente creatam,
Omnibus ut maculis temeratae labis et expers
Cuncta tuo nostra elueres delicta cruore;
Quodve nihil fueris prius, et nihil egeris ante,
Quam tua vitales te duxit mater in auras.
Talia vulgabant magno clamore librisque
Spurcitie foedis multas impune per urbes.

arg. Continens acerrimam *Z om.* / disputationem *Z* Disputatio / habitam *Z* habita / qui veram et aeternam filii Dei divinitatem negabant, et baptismi dignitatem elevabant, et alia somnia anabaptistica spargebant. Et *Z om.* / causas *Z* Causae / legationem *Z* legatio / Inde *Z om.* / obitum *Z* obitus / praesagia mortis ipsius; aquarum inundationes, caumata, incendia urbium, praesertim Cibiniensis, terrae motus et alia. Item *Z om.* / sepulturam *Z* sepultura / regis *Z* eiusdem / et *Z om.* / electionem magnificentissimi *Z* electio

22 Quodve *Z* Quodque

Dogmatis istius nostra hac aetate choraules
 Duxque fuit Michael Servetus, iusta senatus
 Quem lex damnavit rapidum Genevensis ad ignem,
 Cuius Gentilis documenta invisa secutus
 30 Ense truci periit: reliqui formidine poenae
 Concussi, exitio et longis erroribus acti,
 Sauromatas apud hospitium reperere quietum.
 Hi specie modicum quamvis differre videntur,
 Conveniunt genere, et coniurant se inter amice.
 35 Hinc tandem nostras Blandrata Georgus ad oras
 Reginae precibus victus concessit, ut artem
 Exercens medicam Chyron fidusque Machaon
 Corporis invalidas vires morbosque levaret.
 Ille diu siluit, fideique nec ulla malignae
 40 Indicia ostendit, quibus et novus hospes ab oris
 Venerit, in tota pauci regione sciebant.
 Interea multis erat utilis arte medendi,
 Auxilioque inopes iuvit trepidum ante tribunal
 Regis, ibi mollesque aditus et tempora fandi
 45 Commoda concilians, quibus aes defecit egenis.
 Non aliquo enormi vitio, nec labe notatus.
 Illum ubi famosis doctorum hinc inde libellis
 Turba accusabat, labeque aspergeret atra
 Haereseos, Christi veram aeternamque negaret
 50 Quod deitatem, aliosque pie utiliterque moneret,
 Eius doctrinam cane peius et angue caverent.
 Ad se purgandum defendendumque paratus,
 In causam attractus certamina noxia forti
 Pectore sustinuit, non cedens viribus ullis.
 55 Huic ultro socium se collegamque laborum
 Franciscus iunxit Davidis, maximus urbis
 Claudiacae antistes, regalis episcopus aulae.
 Quidlibet audendi fuerat cui facta potestas
 Indultu regis, doctis sermonibus Hunnis
 60 Si pestem et blandum queat instillare venenum.
 Ingenio prompto facundae et flumine linguae
 Audacique animo rerumque excelluit usu,
 In patriam et meritis: errorum monstra ferorum
 Namque docens verum a templis prius ille fugarat.
 65 Moelius ante alios Petrus, vehementis et acris
 Ingenii vir amansque aequi triplicisque peritus
 Linguae, scita patrum callens divinaque libri
 Dogmata sacrati, cuius non futilis author
 Moses afflatus coelesti numine vates,
 70 Pervigil aetherei custos et rector ovilis
 Urbis Debreciae, clarum quae nota per orbem

75 Emporium propter, quo non opulentius ullum
 Pannonis ora tenet, nec maius plebe frequenti
 (Turca licet multum nunc defoedarit et illud).
 Hic animum regis crebris accendere dictis
 Coepit, ut indictis docti conventibus Albae
 In regno coeant, verum scrutentur, et aequo
 Deprenso ex sacrae scripturae fontibus, error
 80 Rarae instar nebulae tenues vanescat in auras.
 Rex proceresque omnes, quorum pars maior adhaesit,
 Arte coloratis verbis pictisque cavillis
 Colloquio intendunt motam discernere litem.
 (Ne cadat incaute, vigilet, qui stare videtur,
 Undique nam vastis erroribus omnia plena.)
 85 Principio statuunt, patrum ne sensa vetustum
 Pro fulcro adducat susceptae et robore causae
 Orthodoxa cohors, sed quem tantummodo sensum
 Littera et expressus textus det clara, sequantur.
 Symbola damnabant, quae docta et sancta vetustas
 90 Errores contra antidotum certamque medelam
 Esse omnes voluit, quam et rite sequamur amussim.
 Impuro et patres lacerabant ore sacratos,
 Ceu Sathanae fuerint servum pecus atque ministri.
 Astute interea, suppresso nomine tantum
 95 Haeresiarcharum, turpissima quaeque serebant
 Ex Arii putridis anomaeorumque lacunis
 Vulgus in ambiguum, summique oracla Tonantis
 Esse ea periuro sceleratoque ore canebant;
 Ceu spurii occultant patrum probrosa suorum
 100 Nomina, ne pariant ipsis patefacta pudorem.
 Denique sacrarum consueta vocabula rerum:
 Personae Triados reliqua hisque simillima tolli
 Ceu figmenta hominum voluere inventaque Papae.
 His usi insidiis, nec rege inhibente, tenaci
 105 Proposito demum congressi bella ciebant.
 Urgebant unum esse Deum, sine fine, sine ortu
 Cunctarum rerum qui sit moderator et author,
 Quique, hominum ne stirps peccato immersa periret,
 Ante orbis longe fabricata exordia vasti
 110 Insignem prolem coelo demittere ab alto
 Decrevit, cui vis humanos fusa per artus
 Divina, innumeris excellat dotibus omnes
 Consortes, quorum ille assumserat ossa cutemque,
 Amissae vitae restauratorque salutis
 115 Solus ut is maneat delictis morte piatis.

75 Hic **Z** Hinc
 111 *marg.* **M** Confessio Arrianorum

Inferiore gradu minor et genitore locatus,
 Ut pote cui dederit Pater omnia munera egenti,
 Ex se nequicquam proprium, data praeter, habenti
 Cum carne assumpta latum prodisset in orbem.
 120 Insuper horrendas maledictaque turpia voces
 Evomere, Sathan quibus haud Acheronte sub imo
 Unquam usus legitur, neque turba prophana priorum
 Haereticūm. Manes quicquid delirus et oris
 Arius impuri, Samosata Ebionque Cerinthusque
 125 Effudere: iocus ludusque fuere, venenis
 His si contuleris. Triadem dixere trifaucem
 Cerberon et capitum multorum immanius hydrae
 Lernaee monstrum, ex variis formisque Chimaeram
 Conflatam vel Geryonem, cui corpore triplex
 130 Vultus et ora manent, aut Aegeona stupendum.
 Spurius et quod sit Christus suppositaque proles
 Anti- dico Christi, propius quae tempora circa
 Ascensus Christi in coelum inclarescere coepit
 Scriptaque per patrum fieri notissima mundo,
 135 Cuius praecipuus fuerit Sathanasius author,
 Eius et aetati quotcunque fuere propinqui.
 Maelius at contra comites illumque secuti
 Ungaricae gentis, quique inclita Saxones arva
 Saxi instar stabiles animis coluere Dacorum,
 140 Vi magna et vario nixu multoque labore
 Dogma recens dictis coepere refellere obortum.
 Summus eras inter quos Schiffbawmere, secundus
 Nominis ipse nepos eiusdem, probus honoris,
 Scribere Matthiam placuit quem carmine nostro.
 145 Esse Deum verum Christum, prolemque supremo
 Aequaevam Patri, divinae et stirpis alumnum.
 Natura genito cui nullo tempore nasci
 Confierique datum est unquam, qui saecula cuncta
 Ante, modo haud ullis noto mortalibus aegris
 150 Prodiit: ex toto totus, genitoris imago
 Expressa et vivum exemplar, quo vera relucet,
 Non vigor aut aliquis solum, substantia, motus.
 Filius is siquidem proprius verusque Parentis
 Dicitur aeterni, non susceptivus alumnum
 155 Seminis alterius, quem gratia Patris adoptat;
 Nec verus dici gnatus propiusque meretur,

125 venenis **M** veneni

135 Sathanasius **Z** Athanasius

142 Schiffbawmere **Z** Schiffbaumere

143 Nominis ipse nepos **MZ** Ipse nepos nominis *sed M* his vocabulis 2, 3, 1 numerorum notae *suprascriptae*

149 mortalibus aegris — cf. Verg. Aen. X, 274

Quem pater haud genuit, cui non caro, sanguis et ossa
 Participata manent, totumque id et omne, quod ipse est.
 Saepe vides, ut apes patefacti ex viscere tauri
 160 Sole operante trahunt ortum genus aethereumque:
 Nec tamen hinc soboles taurique propago vocantur
 Aut solis nati, quia non natura, sed ipsis
 Prolificus vigor effectusque infusus adhaesit.
 Hinc etiam gentis furor implacatus Hebraeae
 165 Effera et in Christum rabies odiumque nefandum
 Acris exarsit, prolem quod cunctipotentis
 Aequalemque Deo sese affirmaverit esse.
 Idcirco merita ut blasphemum morte necandum,
 Qui sit sacrilegus Divorum et raptor honoris.
 170 Hinc patet, ante alios longe praestantius omnes
 Usurpasse decus sibi, quod non competat ulli
 Semine mortali genito; nam speque fideque
 Acceptum esse Deo, summique Parentis haberi
 Progeniem: non est blasphemia, gloria at ingens
 175 Atque illustris honos, quo sidera celsa petuntur.
 Vox quoque supremi sic est audita Parentis:
 Hic meus est, ante omne fuit qui filius aevum,
 Hunc aeternus amor semper mihi iungit, et idem
 Divinam clausit mortali in corpore mentem.
 180 Ille opifex rerum quando componeret orbis
 Ingentis molem, fabricatisque ordine rebus
 Sensumque afflaret, motum formamque perennem
 Omnibus indueret: simul assistebat, et una
 Cum Patre cunctarum digessit semina rerum
 185 Filius, immensa Patri virtute synergos.
 Semper adhuc operans et cuncta creata gubernans
 Maiestate pari; sermo, sapientia virtusque
 Infinita, Patrisque una et sincera voluptas.
 Omnia perque ipsum consistunt: arduus aether,
 190 Quicquid et ingentis complectitur ambitus orbis,
 Sive oculis hominum valeant obiecta videri,
 Corporea fuerint genii seu mole soluti,
 Coelestis quibus ora Patris manifesta tueri
 Obtigit, aethereis avidas et pascere mentes
 195 Delitiis, laetos semperque agitare triumphos.
 Nec solum humani generis reparatio, ut hostes
 Affirmant, tribui Christo aut recreatio debet,
 Quando aliena suo commissa cruore piarit,
 Namque ille angelicas, quarum sine crimine, turmas,
 200 Vita fluit, penitusque Deo conformis et insons,

194 avidas M avidus

177 Hic meus — cf. Matth 3,17

Morte sua haud habuit tristi instaurare necesse,
 Cum solum medicum velit et desideret aeger.
 Humanae praeter nullius et induit artus
 Naturae formamque omnem, Mediator ut esset
 205 Mortales interque Deum, qui numinis atrox
 Peccatum ob memorem componat et expiet iram,
 Et cum nemo Deum sine Christo agnoverit unquam,
 Vota nec aut gemitus sint exaudita piorum,
 210 Hic nisi siderea bene conscius arce revelet
 Arcanum, ac doceat summi decreta Parentis,
 Consilii magni interpres, legatus et aequus,
 Oblatisque Deo votis sua vota reorum
 lungat, et ardentem mediator comprimat iram.
 Interea certo constet novisse vetustos
 215 Rite Deum patres animo coluisse fideli,
 Ipsorumque preces vires habuisse, periclis
 In summis quando auxilium et petiere salutem.
 * Indubio ergo patet, manet immotumque fuisse
 220 Ante creaturas Christum aeternoque coevum
 Patri, qui rerum moderator et extitit author
 Omnia sustentans cum Patre simulque gubernans.
 Competit huic etiam sacer et reverentia cultus
 Spesque fidesque Deo et fiducia debita soli,
 225 Victor enim mortis Stygiique Draconis et Orci
 Omnia sub pedibus calcit; colit aethere summo
 Hunc omnis coetus, tremit et Phlegetonte sub imo
 Tartareis miseranda cohors constricta catenis,
 Quique colunt homines spaciosi climata mundi.
 Est via, vita, salus dubiisque in rebus asylum.
 230 Sic excepturus validis vibrata lacertis
 Fragmina saxorum tergo, cum poplite terram
 Coniungens, Stephanus coeli patuisse fenestras
 Aspicit, adque Dei Iesum consistere dextram,
 Quem sic alloquitur: Cui mors mea vitaeque curae est,
 235 Suscipe, Iesu, animam, tecum sine regnet Olympo.
 Dexter et exsolvens meritas pro crimine poenas
 In cruce latro vocat tua numina, Christe, Deumque
 Te putat et regem, cui post exhausta supersint
 Tormina siderei longissima gaudia regni.
 240 Nonne Deum dominumque suum iam credula Thomas
 Corda gerens reducem in vitam de morte vocabat?
 Nec tantum ut mediator opem fidusque sequester
 Ferre potest aliunde petens, quae dona ministret

235 sine **Z** sive

230–235 excepturus fragmina — Act ap 7,54,59

236–239 Dexter latro — Luc 23,40–43

240–241 iam Thomas — Ioan 20,26–29

245 Supplicibus, sed per se etiam largitur ut author
 Principiumque boni cuncti et scaturigo perennis.
 Divinam quoque signa probant in corpore formam
 Mortali latuisse, errans quae plurima circum
 Edidit, insignem famamque decusque per orbem
 250 Egregium nactus. Canaae novus hospes in urbe
 Fontanas mutavit aquas in pocula Bachi.
 Naturae rerum sator et liberrimus author
 Restituit coeco visum, qui matris ab alvo
 Usura caruit lucis; tribuitque loquelam
 Mutis perfectam; surdis patefecit et aures;
 255 Erexit claudos; vitali et lumine cassas,
 Pallentes inter manes umbrasque vagantes,
 Invitas revocans animas coniunxit avitis
 Corporibus, sensum inspirans priscumque vigorem;
 Expulit invitum Sathanam, si quando potens ceu
 260 Armatus coepit, late possedit et arcem
 (Infractis sese defendere viribus ausus)
 Humani cordis, dirum inflavitque venenum,
 Mancipium ut tanquam Sathanac convitia dicat,
 Blasphemiaque Deo lingua maledicere certet.
 265 Insuper et pelagi rector rabiemque furem
 Placavit verbo, fluctus velut aequora campi
 Sicca gradu calcans sedataque murmura ponti.
 Et quanquam duodena cohors quoque signa stupenda
 Ediderit, tamen haud propria virtute vigeant,
 270 Salvifici sed ope et divino numine Christi.
 Denique cum peccarit homo, summique Tonantis
 Ultricem adversus sese commoverit iram,
 Lex hoc divinaeque immobilis ordo poposcit
 Iustitiae, fieret Deus ut mediator homoque,
 275 Quo simul offendens et pars offensa, soluto
 Sufficiente lytro et precio aequivalente, perennem
 Sic in amicitiam aeternum foedusque coirent.
 Sola Dei immensum natura humana furorem,
 Ut pars debilior, patiendo ferre nequisset,
 280 Ni divina ipsa tunc sustentasset, onusque,
 Vi licet arcana, mortis prae grande levasset.

249 urbe M orbe

249–250 mutavit aquas — Ioan 2,1—10

252 Restituit visum — Matth 9,27—31; 20,29—34; Marc 8,22—26; Ioan 9,1—7

253 tribuitque loquelam — Matth 9,32—34; Marc 7,32—37

254 patefecit aures — Marc 7,32—37

255 Erexit claudos — Marc 2,1—12; Luc 5,17—26; Ioan 5,5—9

257–258 revocans animas — Marc 5,33—43; Luc 7,11—17; Ioan 11,38—44

259–264 Expulit Sathanam — Matth 8,28—34; 17,14—17; Luc 8,26—39

265–267 rabiemque Placavit — Matth 8,23—27; Marc 4,35—40; Luc 8,22—25

Postremo horrendas et mente revolvere poenas
 Par fuerit, quibus affecti sunt coelitus ore
 Blasphemi in Christum primi errorumque magistri.
 285 Et si communi nascuntur lege necemque
 Mortales obeunt merita et contagia culpae,
 Saepe tamen saevi, rabies quos dira, tyranni,
 Per vim perque dolos populis nocuisse subactis
 Impulit, horrenda oppressi periere ruina
 290 Consuetum praeter morem, quo constet ocellis
 Cernere vindicibus scelera et punire Tonantem.
 Sic homicida, latro, periurus, fur et adulter
 Raro divorum effugiunt impune molares.
 Occidit in Christum maledicta horrenda Cerinthus
 295 Fundens, saxorum caput excerebrante ruina,
 Dum convulsa domus summoque e culmine tectum
 Corruit, et dura pressit sub mole iacentem.
 Ante ipsumque Ebion fato properavit acerbo
 Extinctus Phlegetontis ad irremeabilis undas.
 300 Arius, ambitione tumens, blasphemus inopsque
 Mentis, Alexandro praelatum invidit honorem,
 Et sua tutari mendacia nititur astu
 Vimque per officii ad summum conscendere culmen,
 Nec deerant procerum plausus vulgique favores;
 305 Ergo ubi stipatus numerosa plebe suorum
 Delubrum petiisse parat, quo sede receptus
 Antiqua errores insanum et dogma doceret:
 Corripitur subito tortura ventris, et infert
 Ad loca sordentis gressus secreta cloacae,
 310 Ut grave ventris onus tumidamque resolveret alvum.
 Utque opus impurum summis conatibus urget,
 Discrepuit, rupto et fluxerunt viscera ventre
 Foedam in latrinam, foedum sortitus atroxque
 Exitium, fuerat foedi qui dogmatis author.
 315 Quo periit casu Iulianus Apostata, quisque
 Cogitet, et coelo percussus Olympius alto
 Fulmine, dum Triadi malediceret ore protervo.
 Nestorii consumpta phthisi quoque lingua refertur,
 Turpia qua Christum contra convitia dixit.
 320 His aliisque modis deitas aeternaue Christi
 Gloria per nostros defensa viriliter haesit
 (Cumque sit officium mediantis, ut omnia praesens
 Damna rei inspiciat, vota hauriat, haustaque summi
 325 Perferat ante thronum supplex faciemque Tonantis,
 Id vero nullus possit praestare, nec ausit,

285 Et si Z Etsi

290 constet Z constat

294 Occidit Cerinthus — Euseb. Hist. IV, 14

Excepto Christo; solum, liquet, esse Parentis
 Aeterni aeternam mortali in corpore prolem)
 Nos apud inviolata, Deoque favente manebit
 Incolumis, patrias donec non perfidus oras
 330 Occupet omnino Turcus, cogatque sacratam
 Abiurare fidem, penitusque extinxerit armis
 Reliquias huius terrae, quas circulus ambit.
 Utque sit, et duret maneatque immota potestas
 Haec tua, Christe Deus, blasphemias comprime linguas,
 335 Atque tuo remove, fidus ceu pastor, ovili
 Pelle sub agnina latitantia monstra luporum.
 Quotidie interea rex debilitatus acerbis
 Morborum agminibus, curarum et fluctibus aeger
 Deficere et sensim vires amittere coepit,
 340 Ad metam properans supremaque funera vitae.
 Ne vero regnum per vim fraudesque malignas
 Eius post obitus invadat et occupet hostis,
 Saepius ad Thracii legatos caesaris aulam,
 Qui poscant, mittit, quo ipsi succedere detur
 345 In regno, procerum quem concors legerit ordo
 Cognata de stirpe virum, iurataque patris
 Foedera restauret pacto firmata recenti.
 At Thrax immanis vota haud iniusta petentis
 Respuit, affirmans Scytico de sanguine cretum
 350 Se post missurum passam, cui fidere possit
 Tutius augusti et sceptrum committere regni.
 Hinc etiam Budam Themesinaque rura tenentes
 Szolnocumque duces, nuper Iulaeque subactae,
 Legatis missis data dona, orabat, ut arva
 355 A patre, dum supplex ante ipsius astitit ora,
 Ipsi conferrent, ac certis finibus agros
 Dividerent, positis metis et limite regni
 Cuiusque, alterius ne partes occupet alter,
 Unde graves surgant odiosaque iurgia lites;
 360 Caesareo super hoc promebant scripta sigillo
 Confirmata, queat ne res suspecta videri.
 Ast fuerant quotquot bassarum nomine Turci
 Huc missi, indigne votum regale ferebant,
 Iraque accensi fremebunda voce minantur
 365 Regi exterminium, patria nisi sede quietus
 Vivat, et augusta contentus sorte precando
 Immodice Turcarum obtundere desinat aures.

327 aeternam M aeterna / prolem M prole

353 Iulaeque Z Gyulaeque

356–357 ac certis finibus agros Dividerent Z om.

360 promebant Z premebant

362 bassarum M passarum

Insuper oblatas partes in mille tabellas
 Discerpere manu, et pede calcavere loquentes
 370 Hunc summum clausisse diem, qui foederis author
 Istius extiterit, leges et iura novato
 Cum duce mutari, cui, quod velit, omne liceret.
 Legatos etiam invadunt furialibus armis
 375 Occiduntque aliquot, misere Bethlenius inter
 Occubuit quos Gregorius, vir fortis et audax,
 Iazygiae banus Charan princepsque Sabesi.
 Adde, quod assiduo Selymus Varadina poposcit
 Rura sibi tribui suaque intra moenia sponte
 Praesidia admitti, contra ut sit tutus Alanos,
 380 Vicinos tractus terrae illius oraque tota.
 Quae res causa fuit cingendi moenibus arcem
 Firmius et deinceps cura maiore tuendi.
 His rex auditis doluit, velut ultima regno
 Fata dolis Teucrum immineant tristesque ruinae.
 385 Et quia cum Venetis asperrima bella fovere
 Indubie Teucros constans tunc fama ferebat
 Ob Cypri regnum, vix et super esse, tueri,
 Turcas, Ungariae loca qui confinia possent,
 Assensu procerum foedus pacemque Quirino
 390 Caesare sollicitis animis componere gaudet.
 Ergo opus ad tantum peragendum rite Bekessus
 Deligitur Caspar, quo regis nullus in aula
 Promptior ingenio fuerat linguaque diserta.
 Ille iter aggressus pulchrae petit alta Viennae
 395 Moenia, quaque tulit celeri vestigia cursu
 Agmine cum socio, cunctorum pectora et ora
 In se convertit; fuerit quam comis et aequus
 Munificusque omnes erga, plebs cuncta fatetur.
 400 Audiit orantem caesar procerumque caterva
 Percupide, et miro applausu excepere loquentis
 Arte laborata librataque pondere verba.
 Responsumque illi est placide, foedusque petium
 Ultro concessum, modo rex proceresque fidele
 405 Obsequium mentemque probent et nescia frangi
 Pectora, fortunae dubiis concussa procellis.
 Hoc sit ut immotum, cuncti iurare iubentur
 Regnicolae propriisque fidem obsignare sigillis.
 Postea coniunctis animis et viribus urbem
 Budae aggressuros, quasque horridus occupat arces
 410 Thrax, erepturos, superi si coepta secudent.

386 Indubie M Indubia
 393 fuerat Z fuit
 410 erepturos Z erecturos

His laetus patrias remeat legatus ad oras
 Pollicitis, reducemque animo excepere benigno,
 Pulchra quibus placuit factae concordia pacis.
 Nec mora, primates simul et cum Principe vulgus
 415 Iuravere fidem, exoptataque pacta probabant.
 His actis iterum properabat adire Viennam
 Idem legatus, coeptamque absolvere causam
 Plenius aggreditur, regis procerumque sigillis
 420 Obsignata ferens secum chyrographa pressis;
 Neve metum ob Turcae res clandestina pateret,
 Omnibus hunc placuit facto praetendere fucum,
 Quod sponsam regi petiturus adisset Alanos,
 Quae Bavari fuerit ducis una et dulcis alumna.
 Interea laetas spes inter et ardua vota
 425 Dum pacem et foedus componit nuncius absens,
 Pene ipso aetatis precioso in flore virentis
 Ante diu variis morbis curisque molestis
 Consumptus, miserae post tanta pericula vitae
 Casusque innumeros et taedia mille laborum,
 430 Exuviis animae mortali hac carne relictis,
 Falcigerae oppressus graviore tyrannide mortis
 Fata subit Princeps. Proh, quam durable toto
 Nil manet orbe diu, nulla est sincera voluptas
 435 Usque adeo, mortis quam non metus, horror et ingens
 Imminuat, mutet, corrumpat et auferat omnem.
 Heu decus eximium patriae sidusque refulgens
 Virtutum aeternis radiis, speculumque politum
 Principis, audentis proprio vel sanguine regnum
 Conservare suum crudeli et ab hoste tueri:
 440 Occidit, ingratas et terras hasce relinquit.
 Tantum erat ingenium, mens tanta animusque virilis
 Huius in aegroto iuvenis fragilique brevisque
 Corpore, tam fervensque audacia et impetus ardens,
 445 Ut, si non illi robur natura negasset
 Corporis integrum, neque tam brevis ambitus eius
 Imperii in populos et regni meta fuisset,
 Vicisset virtute novos, aequasset avitos,
 Qui modo sunt orbis, quotque ante fuere, monarchas.
 „Non uni dat cuncta Deus. Quem vultus honestat,
 450 Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat,
 Corpus destituit; cui mens promptissima bello,
 Bellorum desunt, plebs atque pecunia, nervi.”

424 *Versum Z om.*

449 *Signa citationis Z om.*

449 Non uni dat — Hom. Od. VIII, 167—175; Lucan. Phars. II, 146; Margalits: Deus in universa Latinitate. Budapestini 1914. 2571; Walther: Prov. 18657a

Mors huius procerum quorundam cautius astu
 Occultata fuit, quos ante elegerat ipse,
 455 Ut testamenti decreta novissima scripti
 Exequerentur, et absque dolo legata fideles
 Conferrent istis, ad quos rex transtulit ultro,
 Tantisperque statum patriae et nutantia vulgi
 460 Pectora consiliis regerent, novus usque gubernet,
 Qui regnum procerum succedat vaivoda voto.
 Tandem ubi res patuit lachrimabilis omnibus, ingens
 Pectora cunctorum concussit et obruit horror,
 Ceu cum scissa ratis natat alti in gurgite ponti
 465 Imbriferis iactata Nothis, rectore sine ullo,
 Exonerata viris exhaustaque mercibus amplis;
 Quisque suae cupidus vitae charaeque salutis
 Nititur ad placidum vi multa evadere portum;
 Sic quisque externi caedes hostisque rapinas
 Aut fera civilis metuebat vulnera dextrae.
 470 Fit fuga, quaeruntur latebrae tutique receptus,
 Omnibus a tergo velut instet et urgeat hostis,
 Obvia quaeque truci prosternere Marte paratus.
 Tam tristi in casu fractarum et turbine rerum
 Testamentarii procerum accelerare catervam
 475 Praecipunt Albam, tanto in discrimine regni
 Quid facto sit opus, votis concordibus omnes
 Ut statuunt, quo salva queat respublica regni
 Perdurare diu florensque, propinqua ruinae
 Absque alias dubio, pia si concordia desit.
 480 Ut coiere duces, decreta salubria condunt:
 Post quadraginta primum esse cadaver humendum
 Triste dies; multos diversa ex parte vocandos
 Magnates orbis, quorum praesentia functo
 Officium in terris extremum et solvat honorem.
 485 Caesaribus censent vulgandum et funus utrisque,
 Adversi quicquam ne tarda silentia regno
 Inducant, ubi neglectos se sorte putarent,
 Et mutasse fidem obsequiumque fidele priorem,
 Quos humeris prius ambobus tolerare duorum
 490 Imperium varios dominorum apparuit Hunnos.
 Praeterea urgebant multo clamore legendum
 Esse ducem interea, si quando adversa vocarent,
 Civili motos qui seditione tumultus
 495 Comprimat, externi rabiem compescat et hostis,
 Vaivoda legitimus dum regni duxque creetur.

458 Tantisperque Z Tantis perque / nutantia Z natantia

463 ratis Z navis

487 Inducant Z Inducat

491 legendum Z eligendum

Ante alios Bathorūm illustri de sanguine cretus
 Christophorus, multis praestans virtutibus heros,
 Communi assensu dux praefectusque creatur,
 Cui tamen indictum, peditesque equitesque foveret
 500 Ne plus quam mille et quingentos, utque moretur
 Herboso invigilans Thordensis in aequore campi.
 Tempus erat, procures quo convenere frequentes
 Ex longe positos variis et partibus orbis
 505 Inferias cineri supremaque [funera] iusta daturi.
 Vix plures unquam patria in regione cohortes
 Vidimus armatas et opum contendere luxu
 Servorumque duces numero, cum rege sepultum
 Ceu prius esset onus, quo quisque gravatus inique
 Antea, iam leges libertatemque vetustam
 510 Poscere et in priscos posset componere mores.
 Imprimis Scytuli, quos dura et iniqua tyrannis
 Urgebat nimium (namque haud Pharaone sub ipso
 Plebs Hebraea iugum tulit aut Babylonide pressa
 Saevius: infantes equidem matresve coacti
 515 Vendere pauperie moti et conferre tributum),
 Confluxere equites, iungebantque agmina castris
 Bathoreis, prope Tvisch multa qui plebe manebat.
 Tristis erat rerum facies, ruituraque cuncta
 520 Turba putabatur per mutua vulnera bello,
 Funestum et regis procerum fore sanguine bustum.
 Quis modus aut fuerit regalis funeris ordo,
 Et quis honos tumuli, pompae funebris et actus
 Extiterit, velut est transacta reapse solennis,
 Expediam. Vos, o Musae, aspirate canenti,
 525 Atque pios manes gemitu lachrimisque decoris
 Ornate, ac violas et candida lilia busto
 Mittite, perpetuum verisque aflate virorem.
 „Et Superos hominum casus et funera tangunt.”
 530 Pixidibus stabant pedites longo ordine primi
 Armati, omne forum regalia et atria late
 Cingentes, postesque sacras et limina templi.
 Hos inter variis regnorum partibus orti
 Magnifici procures, vulgi et promiscua turba
 Nobiliumque cohors, pius et venerabilis una
 535 Ordo sacerdotum, summi anxia cura Tonantis.
 Moesti ibant omnes, et regia tecta petebant,
 Cum sic funerea iussi procedere pompa
 Sex ostro alipedes et versicoloribus ibant

504 funera M *linea deletum* Z *om.*

517 *marg.* M Tövisch / Tvisch Z Tövsch

528 *Signa citationis* Z *om.*

534–535 una Ordo M ordo Una *sed super ordo 2, una 1 numeri videntur*

540 Strati tegminibus; velamina corpora tota
 Ambierant, oculis solum patuere fenestrae;
 Nescio, in insueta moestum quid veste paventes:
 Et gemere hinnitu, et visi lachrimare trementi,
 Nec velut ante alacres spumantia mandere frena,
 545 Seseque in gyrum huc illuc agitare feroces.
 Post ferrugineo ibat eques spectandus amictu,
 Qui clipeum tergo, manibus gestabat et hastam
 Squalentem maculis atra fuligine ductis.
 Arria deinde phalanx propius comitante Davidis
 Francisco, Ungarica funebria cantica lingua
 550 Moesta canens, altis et coetum vocibus implens.
 Hos serie pulchra placida gravitate verendi

Cetera desiderantur.

542 trementi Z tremacti

551 *Post versum interruptum in M haec legi possunt*: Anno 1667 die 21. Decembris transumpta in Germanismum.

VII. ELEGIAE IN OBITUM TRIUM
ILLUSTRIUM VIRORUM, ERUDITIONE,
VIRTUTE ET PIETATE PRAESTANTIUM:
M<AGISTRI> IOANNIS HONTERI, M<AGISTRI>
VALENTINI WAGNERI ET D<OMINI> IACOBI
MELLEMBERGERI, GUBERNATORUM
ECCLESIAE ET SCHOLAE CORONENSIS
IN TRANSYLVANIA

1. <Praefatio>

<Die Vorrede wendet sich an Richter und Geschworene Kronstadts und preist das seltene Glück dieser Stadt, drei Männer als Leiter von Kirche und Schule besessen zu haben, in deren Treue und Aufopferung für den wahren christlichen Glauben Gott sich ähnlich offenbarte, wie in der Sendung der von Herodes bedrohten drei Weisen aus dem Morgenlande. Auch wird gerühmt, dass Kronstadt als erste Stadt im Osten das Licht der Reformation sah. Weit entfernt, eignen Ruhm zu suchen, will der Verf. gebührenderweise eine Dankesschuld abtragen:>

- ¹ Scripsi ergo breve et humile carmen, quo non tam laudes et immortalia praeconia horum heroum me complecti potuisse, quam erga ipsos grati animi significationem et honestam voluntatem declarare voluisse, omnibus haec legentibus
- ² constaret. Quid enim aequius, quam Musarum praesides, authores et cultores (quales hii tres insignes poetae et theologi fuerunt), ubi facultas et ocium suppetit, pro viribus ornare et posteritati ipsorum famam carminibus commendare.

.....

- ³ ... in qua (urbe vestra) et ego prima bonarum artium elementa degustavi.

Cetera desiderantur.

2. Elegiae
in obitum trium illustrium virorum

<Die Elegie selbst beginnt mit einer etwas weiter als im Vorwort ausgesponnenen Betrachtung über die durch keine Hindernisse beeinträchtigte Sehnsucht der drei Weisen, das Christuskind zu sehen und die Kunde von ihm in alle Welt zu verbreiten. Wieder wird Kronstadt glücklich gepriesen, einen Honterus, Wagner, Melleمبرger zu den Seinen zählen zu können, die einander unmittelbar nachfolgten wie in der Schlachtreihe ein Soldat dem anderen.

HONTERUS, dessen sonstiger Verdienste (Verbreitung des Buchdruckes, Schul- und Bibliotheksgründung, literarische Tätigkeit) hier ebenfalls gedacht

wird, — reinigte das Wort Gottes von allen unheiligen Beimischungen, wie der Schmied das Gold von Schlacken, und bot es in dieser geläuterten Gestalt seinen Mitbürgern dar.

Wie er Gold, so brauchte WAGNER, indem er das Werk fortsetzte, Weihrauch...>

Hontero similis quisquam pietate vel arte,
Ferventi aut zelo si fuit, ille fuit.
Ergo recens nostris per verbum in finibus orto
Christo etiam addictus munera digna tulit.
5 Thus equidem, sed non Panchaeo rure petitum,
In sacris cuius ritibus usus erat:
Hoc sed adumbratum sincero in pectore cultum,
Quo non est toto sanctior orbe, preces.
Thus velut optato delectat odore cerebrum,
10 Quod capitis summa possidet arce locum:
Sic sublime petens devota precatio coelum,
Delectat summi corda movetque patris.
Unde fit, ut coelo bona plurima depluat alto,
Queis genus humanum vult sine fine frui.
15 Ille suis precibus velut Atlas coelifer axem
Sustinuit, premerent ne mala damna reos,
Nostra nec urgerent vicini regna Valachi
Aut Bizantina missus ab urbe Getes.
Cum crebra incideret patrii mutatio regni,
20 Nunc hoc, nunc illo sceptrum gerente duce.
Nec solum viva contentus voce docere
Unius populos gentis et urbis erat,
Sed docet ac docuit, posthac semperque docebit
In lucem sparsis hic et ubique libris.
25 Ille Catechesim lingua conscripsit Achiva,
Divinae plenum mentis et artis opus.
Quam multi Argolica vicini e gente legentes
Conversi ad Christi mente fuere fidem.
De hac lingua in Graeca, nostro Camerarius aevo
30 Cui similem totus vix habet orbis, ait:
Caecropio in studio totos trivi impiger annos,
Estque mihi hac primus laude petitus honos,
Attamen, hoc fateor me victum, huic defero palmam,
Hic mihi ceu numen suspiciendus erit.
35 Laude pari Ausonio vulgavit carmine librum,
Tradit ubi leges de pietate sacras.
Cui si posterior non laudem inviderit aetas,
Vatibus eximiis aequiparandus erit.
Ille tuum facinus, scelerate, fatebitur, Amnon,
40 Carmine, cui tragicum nomina syrma dedit.
Visendi studio Saxonica rura, Philippum
Supremos adiit funeris ante dies.

Unde magisterii claro redit auctus honore,
 Non sine re titulum grandeque nomen habens.
 45 Comis in alloquio, verbis gestuque modestus,
 Facundo poterat promptus et ore loqui.
 Aspectu pulcer, placida gravitate verendus,
 Multa egit iuvenis, quae decuere senes.
 50 Vix scio, num Pario simulacrum marmore factum
 Picta vel effigies cultior esse queat.
 At veluti precox citius perit arbore pomum
 Autumni botrus tempus et ante rubens:
 Haud secus ante annos rerum prudentia maior
 Indicium subitae mortis et omen erat.
 55 Tale sibi moriens breve carmen condidit ipsi,
 Incidi tumulo iusserat idque suo:
 Exigui vixi, sed fido pectore vixi,
 Cura fui patriae quantulacunque meae.

Cetera desiderantur.

(Das Symbol des Dritten in diesem Dreigestirn, JAKOB MELLEMBRIGERS, ist die Myrrhe. Sie eignet sich zur Einbalsamierung der Leichen, ihre belebenden und reizenden Eigenschaften deuten auf Kraft, Widerstandsfähigkeit, Selbstbeherrschung. Wir müssen an M(ellembri)gers energische Bekämpfung der Sünden seiner Zeit, seine Unerschrockenheit gegen Anfeindungen denken, die Geduld womit er leibliche Krankheiten ertrug, bis er letztlich, wie viele, die er getröstet hatte, von der Pest dahingerafft wurde. Treu harrete er so lang bei seiner gefahrvollen Pflichterfüllung aus, gleich der ihre Jungen schützenden Henne, welche nur durch den Tod von ihrer Mutterliebe abgebracht werden kann.

Wenn sich schon die Ärzte Dank verdienen, welche Blinde für die kurze Zeit irdischen Lebens sehend machen, wieviel Lob und Preis sind jene wert, die blinden Herzen das himmlische Licht schenken und den Weg zum ewigen seligen Leben zeigen! So wird der Ruhm der drei Männer nicht untergehn, solange die hohe Zinne Kronstadt überragt und der mit Eichen und Eschen bedeckte Zeidener Berg in die Luft emporstrebt. Möge Gott auch ihrem neugewählten Nachfolger (Petrus Apus Bogner, Trausch I 156), der als Heilkundiger während der Pestzeit segensreich wirkte, dieselbe Kraft verleihen.

Für jeden, dem die oben dargelegte symbolische Bedeutung von Gold, Weihrauch und Myrrhe nicht klar geworden ist, lässt der Dichter einen Anhang:

Allegoria munerum Christo a magis oblatores folgen, der nichts als eine Wiederholung ist und im Grunde keinen neuen Gedanken enthält.)

VIII. IMAGO SEU TYPUS

de lapsu et restitutione humani generis per
Christum sine operibus legis et cultibus Leviticis:
ex parabola evangelica de homine saucio et Samaritano.
Additum est Carmen de sanctorum angelorum
officio et custodia erga pios.

*Textus desideratur. De his carminibus perditis v. fusius in parte
introductionis, quae inscribitur Opera (editiones, Mss) in ordinem
chronologicum redacta (VIII).*

IX. EPITHALAMION
⟨IN NUPTIAS MARTINI BERZEVICII⟩

1. Magnifico domino Martino Berzeviceio, equiti etc.

S⟨alutem⟩ P⟨lurimam⟩ D⟨icit⟩

Sudasse effigiem ferunt salignam
Vatis Threici: subactor orbis,
Heros Aemathius domare vellet
Cum gentes Asiae potentis armis.

5

Hoc signo docuit sagax haruspex
Portendi fore plurimum laboris
Sacris vatibus, ut disertiore
Partos concelebrent lyra triumphos.

10

Sic tu, dum thalami sacrata iura
Laetus, sponse, subis, venustiore
Vultu conspicuam, piis et aequis
Ducens moribus inclitam puellam:

15

Praebes materiam tuis amicis
Curarum, vigilanter ut revolvant,
Quo te munere censeant beandum,
Non ficti quod amoris extet arra.

20

Dant reges tibi dona praepotentes
Auro turgida lucidisque gemmis,
Et quas Sydoniae nurus superbas
Texunt artificii labore vestes.

At nos Pegasei liquore fontis
Perfusi, tibi, sacra turba vatium:
Vati carmina tradimus diserto,
Aeternum tua laus quibus canetur.

V⟨estrae⟩ M⟨aiestati⟩ addictiss⟨imus⟩
Christannus Schesaeus
Mediensis P⟨oeta⟩ L⟨aureatus⟩

2. Eiusdem Epithalamion

Cum tua festa piis decorent hymeneia votis,
Tecumque exultent divorum cura poetae,
MARTINE, Aonidum decus amplaue fama sororum,
BERZWICIAE columen, lux et clarissima stirpis:
5 Id quoque me decuit, verum tibi vinxit amicum
Mens quem fida, animusque tuae virtutis amore,
Laudis et eximiae, successus, totus et ardens.
Nam quae iura sinunt, venerandaue suadet honestas,
Sinceros inter communia habentur amicos,
10 Sive tonet, placido seu sibilet aura susurro.
Ergo fidem veterisque tibi rata signa favoris
Officiumque volens non ficti ostendere amici
Ornare hoc humili placuit tua gaudia versu.
Cumque simul vates habear templique sacerdos,
15 Sacra Dei pure tractans mysteria verbi,
Qua ratione, canam, genialis gaudia lecti
Foemina virque avibus, foelici et sidere, dextris
Debeat ordiri: quae et quanta pericula circum
Stent miseros, coecis qui affectibus indulgentes
20 Consilio absque omni, temere et sine lege vagantur,
Et sua inexplicitis involvunt pectora nodis
Matris Acidaliae fixique cupidinis arcu.
Non equidem nostrae dent ut documenta Camoenae
Vel tibi, vel reliquis, quorum sapientia, virtus
25 Doctrina, rerum cum longo innotuit usu:
Sub leges iuvenum stolidos revocare furores
Connubii, recitans praecepta salubria, conor,
Forte quis haec relegens absistet turpib(us) ausis
Carminis ingenuo tibi motus amore dicati.
30 Qui nova prolificae concepit semina flammae
Pectore, et insano violentius uritur aestu,
Nocte dieque furens atque immedicabile in imis
Vulnus alit venis, et coeco carpitur igni:
Comprimat illicitum, levet aut medicamine morbum
35 Concesso, sociamque thori si foedere iungat.
Id Deus et foetae, bene sano in corpore, vires
Cunctaque iura sinunt, et cordibus insitus ardor.
At prius aethereum votis precibusque Tonantem
Sollicitare decet, regat ut tua caepta, et habenis
40 Distractum in partes animum componat, ut uno
Firmus in obiecto maneat, constansque moreris.
Artibus et multo sudore alimenta parantur
Vitae huius; gazas vi iure vel occupat haeres,
A proavis atavisque datas vel fraude repertas.
45 Suntque bonis reprobisque aequae communia, tellus
Quae foecunda parit, mare fert aut educat aër.

Fida thori coniunx dos est amplissima, ab alto
 Aethere sincere Dominum concessa timentī,
 Relligione pia totoque ex corde colenti.
 50 Isaaco famulus sponsam petiturus Abrami
 Voce Deum supplex veneratur et orat, ut actus
 Ipsius auspiciis remque omnem rite secundet,
 Errantique viam ac sedes, ubi sistere detur,
 Monstret, quamque velit roseo rutilantia vultu
 55 Sidera adaequantem stabili iunxisse puellam
 Connubio effoeti, spei et curae, patris alumno.
 Unde tot insignes successere ordine reges
 Continuo, magni pars florentissima mundi.
 Thobias sponso in et Daemonis arte peremptos
 60 Accipit, unius ob sponsae petulanter amores
 Absque Dei firmo et praesenti numine coeptos.
 Cautus et exemplis horum divinitus orat
 Orsa gubernari thalami sacrata iugalīs.
 Ergo exauditus ducta cum coniuge sedes
 65 Auctus adit patrias, fessumque aetate parentem
 Aspicit, et reddit numerosa plebe nepotum
 Foelicem, late famamque extendit in orbe.
 Sic decus Anna pium matronae et regula castae
 Impetrat in sterili sobolem effoetaque senecta,
 70 Dum precib(us) Dominum lacrimisque fatigat obortis.
 Altera, ne monitus spernas, sit cura, parentum
 Consiliumque virūm prudens, quos longior aetas
 Erudiit, rerumque ingens exercuit usus.
 Hi tibi cum fragilis dederint exordia vitae,
 75 Artib(us) imbuerintque animum et rude pectus honestis:
 Totus ad arbitrium te horum componere debes.
 Saepe fit, optatam vix ut prudentia metam
 Contingat, recto sed tramite devia aberret.
 Quid bene sperandum, si nox inimica pudori
 80 Hesterno inflatum cum scorto iungat Iaccho?
 Stultorum vocem: non rebar id esse futurum
 Edes, insanos frustra deflebis et ausus.
 Conscia mordebit saevo praecordia morsu
 Spretus honos patrum, sanaeque salubria mentis
 85 Commissa Aeoliis praecepta ferenda procellis.
 Sed meliore feres animo rarusque dolebis,
 Si qua tuis inimica obstant adversaque votis,
 Si non ipse mali fueris temerarius author,
 Exitique tui faber attractaeque ruinae.

50–58 sponsam petiturus — Gen 24

59–67 Thobias sponso — Tob 7,1–17

68–70 decus Anna — I. Sam 1,20–23

80 Hesterno inflatum — Verg. Ecl. VI, 15

90 Conscia mens recti duris in reb(us) opimum
 Solamen praebebet, vultusque animosque serenat.
 Sed nec ad invisos pater imperiosus amores
 Vi multa natum cogat, cito namque coactus
 95 Cessat amor, velut rubor ementitus in ore,
 Quem manus induxit malas fucata terendo.
 At bene libratis multumque diuque negotiis
 Concordi assensu rectumque piumque sequantur,
 Quodque sit utilius, pulchro nec aberret honesto.
 100 Tertia castorum sit regula lexque procorum,
 Ne nivei, falsa defixi in imagine, vultus
 Venalis fidei nympham dubiique pudoris
 Ducant, praecipueque gazas vel propter opimas
 Aut genus egregium praeclarae et stirpis honorem.
 Forma bonum fragile est, morbis vitatur et annis,
 105 Instar et abscissae paulo qua floruit herbae
 Ante, rudi macie et defectis virib(us) aret.
 Ac velut immundum decet aurea purpura porcum,
 Sic et forma malum, cui mens est leva, geritque
 Labe incaestatos polluto in pectore mores.
 110 Quin et divitiae pereunt, dosque ampla repente
 Diffluit, ingentes minuuntur et aeris acervi
 Immodico luxu, vel Marte furente cruento
 Mulcibere aut rapidis grassante per oppida flammis.
 Saepe nurus duris inopem dotata maritum
 115 Allatrat verbis, petulanter et obiicit arctam
 Ipsi pauperiem, rixatur, opesque recenset,
 Quas dederit, quantisque bonis ditarit egentem.
 Nec genus egregium, veteris stirpsque inclita gentis
 Te imprimis capiat, magnum plerumque virorum
 120 Progenies neglecta, domi sedet ocia curans
 Pabula nequitiae, dapibusque epulatur opimis,
 Non famam ingenio, nec claris nititur actis
 Arte vel insigni mansurum acquirere nomen.
 Rarius aut nunquam patrios adipiscitur haeres
 125 Degener, eximiae virtutis praemia, honores.
 Te nuptae pietas vulgi et rumore probati
 Mores alliciant, primisque exacta sub annis
 Vita carens maculis gravium toleransque laborum.
 130 Quarta tuae lex haec memori sit condita menti.
 Dum tener es, nec adhuc tegit hispida barba iuventae
 Pubentis malas, tua nullus et ossa remordit
 Intus amor, rigidi placide perferre magistri
 Frena stude, et faciles praebe monitoribus aures.
 Arte aliqua excellens valeas praeclarus haberi,

135 Hinc alimenta gravis surgent tibi multa senectae,
 Rite tuis et parta nepotibus aera repones.
 Disce vel incultam proscindere vomere terram.
 Vitisator teneris aut iungito vitib(us) ulnos,
 Aut procul externis preciosas impiger oris
 140 Duc mercator opes, vel miles fortis et audax
 Pro patria Martis sectabere castra cruenti.
 Diversos diversa iuvant: hic legib(us) urbes
 Consiliisque regit, libertatemque tuetur.
 Ille Machaonias medicatis potib(us) artes
 145 Exercens aegros ex faucibus eripit Orci,
 Daedaleis opifex spatiosas cultibus aedes
 Ornat, adaequantes sublime toreumate coelum.
 Sexus at imbellis mulier muliebria tractet
 Munia, sitque domus custos et sedula nutrix,
 150 Sicut apis quaerat, parta aut formica reponat.
 Torqueat aut teretem lassato pollice fusum
 Lina colo ducens, contextaque stamine fila
 Sublimi in pulcras faciat concreescere vestes,
 Unde hiemis rabiem contra aestivumque calorem
 155 Corporis exornet nudos et muniat artus
 Natorum, famulantis et agminis atque mariti.
 In precium partem vertat, locupletior unde
 Facta emat in proprios, quae res efflagitat, usus.
 Fida domus coniunx ratis est velut, alta pererrans
 160 Aequora et adducens preciosas undique gazas,
 Tota quib(us) regio gaudet fruiturque referta.
 Sedula humum fodiat, teneris et semina sulcis
 Inspergat, dapib(us) nec semper vicitet emptis
 Desidiosa foro, propriis collectus in hortis
 165 Grator est fructus, magis oblectatque colonum.
 Ultima lex esto, patienter ut omnia et aequa
 Mente feras, quibus haec, incommoda, vita referta est.
 Est labor in victu varius durusque parando,
 Naufragium in partu patitur saepe anxia coniunx,
 170 Degener excruciat natus cor mite parentis,
 Est aerumnarum schola multorumque dolorum
 Coniugium, in quo opus est animis et pectore firmo.
 Hic curae ingentes, hic sollicitudo, timores,
 Spes vanae, morbi, lites et iurgia, rixae,
 175 Funera natorum, paupertas, suspitiones,
 Innumerae et pestes regnant velut agmine facto.
 Attamen in melius cedunt mala tanta timenti
 Orantique Deum, qui mitigat illa vel aufert.

144 Ille G Illi

150 quaerat G quaeret

152 stamine G stamina

180 In Chana ut latices in dulcem vertit Iacchum
 Salvator decorans thalami novus hospes honores:
 Sic accersitus pietate fideque piorum
 Sponsorum praesens in reb(us) conferet arctis
 Robor, consilium, victum, solamen opesque.
 Coniugium leges inituris hactenus aequas
 185 Dixi, nunc referam, quantis vaga turba periclis
 Subiaceat iuvenum, caeco quando acta furore
 Absque Deo furtim et sine mente invadit amores.
 Res ea quo fiat conspectior, ordine pandam,
 Quae fuerit monachum sors, vita statusque, subinde
 190 Ex uno peius deflectens ordine damnum.
 Gaudebant primi a Benedicto sumere divo
 Nomina, praeque aliis meliorem ducere vitam.
 Sic in coniugio est primus iucundior annus,
 Blandus ubi risus, grata oscula, verba faceta,
 195 Molles attactus alternaque gaudia fervent.
 Post segnes, primoque aliquantum in amore remissi,
 Damna vident quando, experiuntur et omnia votis
 Atque suis placitis inimica adversaque cunctis:
 200 Ingenium fratrum, quorum pleno ore docere
 Cura fuit populum vitia et taxare, sequuntur.
 Sepe virum coniunx, uxorem virque vicissim
 Arguit, obiectans fallacis gaudia vitae:
 In sincera nimis promissaque vana, maligne
 205 Queis animum alterius magis aequo abstraxit amore,
 Dotem ementitam vestesque fuisse superbas
 Aere alieno emptas, alieni iuris et esse
 Omne, quod angusti capit area sordida tecti.
 Durior hunc multo sequitur tandem ordo statusque,
 210 His similis, pedibus nudis qui ducere gressus
 Gaudebant, laceroque humiles incedere cultu.
 Namque ubi dos madido luxu diffluit, et aera
 Debita cesserunt rigidi exactoris in arcam,
 Nil superest, premit atra fames ieiunaque torret
 215 Viscera, lactatur voto spes falsa sinistro.
 Hinc vetitas agit ignavos sors tristis ad artes,
 Fit meretrix coniunx, infame et filia scortum.
 Gnatus furatur, genitor fit praedo scelestus.
 Omne nefas audet, quem extrema affligit egestas.
 220 Sed nec adhuc gravium modus est aut meta malorum,
 Namque flagelliferae studium moresque catervae
 Induere hosce iuvat, qui duro verbere corpus
 Caedebant miserum, inducere et stigmata plumbo,
 Pectora enim postquam impatentia fregit, et ira

225 Ardescunt animi, furor et ferus arma ministrat:
 Vertitur in telum tunc omne, occasio quidquid
 Suggest, inque caput volat impetuosius olla
 Contorta uxoris, liber aut vel acuta bipennis,
 Nec domus una duos mensa aut capit amplius una
 230 Discordes: aegre ut faciant, huc robur et omne
 Vertunt ingenium, inque vicem vehementius ardent
 Implacato odio, inter sese et praelia miscent.
 Vix ut ab his iudex unquam queat esse quietus
 Atque fatigatos occludere questibus aures.
 235 Postremo cum nulla gravi medicina furori
 Ulterius restat, faciunt quod Chartusiani.
 Hi procul in densis gaudebant vivere silvis
 Solivagi, coramque audire et reddere vocem
 Haud unquam, tacito mentem sed prodere gestu:
 240 Sic illi latebras, loca sola et devia quaerunt
 Tecta, atque in tenebris vitam luctuque trahentes
 Triste suum cor edunt, hominum vestigia vitant,
 Usque sibi exitium accersunt obitusque tremendos,
 In sua sanguineum vertentes viscera ferrum.
 245 Talia prolixo meditor dum dicere versu
 Innumerae Sponsi dotes Sponsaeque pudicae
 Ornamenta, iubent me coeptum abrumpere cursum,
 Amborumque brevi perstringere carmine laudes,
 Fesso operi summum sic tandem imponere finem.
 250 Sed quae vena? quod ingenium? quae lingua referre
 Arsque satis poterit tantarum encomia laudum?
 Tu pietatis amans sacra dogmata, Sponse, revolvis,
 Et verum coluisse Deum tibi summa voluptas;
 Nulla latent veterum nec te modo scripta sophorum,
 255 In quibus et mores hominum traduntur et artes.
 Es Latio simul et sermone disertus Achivo,
 Concinis et Musis grata et dignissima Phaebo
 Carmina, doctorumque aures et pectora mulces.
 Consiliis cautas regum prudentibus aulas
 260 Dirigis, in varias et partes nuncius orbis
 Mitteris, ut pacem mansuraque foedera firmes.
 Charus eras Ferdinando, te adamavit et ipse
 Maximus Aemylius et longe maior utroque
 REX STEPHANUS, nostri phoenix rarissimus aevi,
 265 Sauromatum iustis populos qui frenat habenis.
 Te quoque clavigeri Petri successor in Urbe
 Romulidum trifido redimitus tempora serto,
 Torque et magnifico decoravit honore, referres
 Nomen ut aurati generosaque militis arma
 270 Deturbantis equo superatum viribus hostem.
 Tu procul Oceani sparsas prope littora gentes
 Arctoumque solum peragrasti, nuper et orbis

275 Accessi Eoi dominam et caput impiger urbem,
 Fixit ubi regni rabies Mahometica sedem.
 Quid quod adhuc florens et rebus idonea agendis
 Corporis integrum tibi robur sufficit aetas:
 Ingeniique acies necdum caligine hebescit.
 Nec minus eximias inter CATHARINA puellas
 Laude vehi digna est felici patre creata,
 280 Cui Woiana domus praelustrem praebuit ortum.
 Et genus et stirpem Damerana propago vetustam,
 Longaeva proavum serie meritisque decoram
 Poestanas imitata rosas et lilia vultu
 Fronteque siderea Laedaeon adaequat Achivam.
 285 Integritas, candor, pietas rarissima dona
 Ingenuusque pudor generoso in pectore regnant
 Ipsius, hoc miro decorata nitescit amictu,
 Atque immortales vocat in certamina divas.
 Ast mea iam tempus spatiosa reducere vela.
 290 Vivite felices, nec mutua carpite segnes
 Gaudia, ut optato pulcherrima pignora vultu
 Spectati thalami, quae non tantum ore referre
 Vos valeant: verum virtute et vincere certent.
 Quos tamen aeternae decorant praeconia famae,
 Subvectos et humo super aurea sidera tollunt.

X. ORATIO
DE ORIGINE ET PROGRESSU INCHOATAE ET
PROPAGATAE COELESTIS
DOCTRINAE IN HAC MISERRIMA
PATRIA NOSTRA

1. 〈Introductio〉

- ¹ 〈Synodus pastorum Saxoniorum anno 1580 ad diem 8. Maii a clarissimo Luca Unglero BIRTHALBINUM indicta.
- ² David Hermann: Protocollum actorum; p. 51
Codex Adamianus; p. 6
Codex Pöldner(ianus); p. 250
- ³ In cuius ingressu clarissimus dominus Christianus Schesaeus, pastor Mediensis, poeta laureatus, doctissima oratione historiam repurgatae doctrinae coelestis in
- ⁴ Transsilvania et vicina Hungaria complexus est. Ex qua, ceu omnis antiquitatis ecclesiasticae promptuario fere unico decerpsimus, quicquid ea de re a reformatione in rebus fidei enarravimus. Eam integram describere iuvat hoc tenore:〉
- ⁵

2. Oratio de origine et progressu inchoatae et propagatae
coelestis doctrinae in hac miserrima patria nostra

- ¹ Quodsi ex privata animi libidine, venerandi fratres, huc ad dicendum pro ingenii fama vel eruditionis existimationisque affectu venissem, recte fecissem, si siluissem, cum virium mearum imbecillitas, tum argumentum huic loco conveniens, dignitas et eximia vestra auctoritas ab instituto me deterrere merito atque iure optimo potuisset.
- ² Quam enim invida natura arctis me spatiis constrinxerit exiguasque ingenii vires dederit, quam nec maximarum rerum scientia, nec sermonis lepore et copia, nec exercitatione et usu dicendi instructus et excultus sim, adeo mihi probe conscius sum, ut meam ipse sortem satis infelicem apud me saepissime deplorare cogar.
- ³ Ut de argumento sileam, de quo paulo post dicturus sum, cum sacratissimum hunc coetum, ex tot praestantibus viris coactum animo et oculis intueor, quorum eruditio, pietas et in maximis periculis et certaminibus constantia reipublicae atque

Io OR *nec non* cod. Ad. et Herm. om.

1 fecissem O facturus fuisset / argumentum O argumenti

3 cum sacratissimum O profecto cum sacratissimum

- ecclesiae Christi plurimum opis et salutis attulit, longe religiosius sentio, quam si in florentissima republica quapiam extra ecclesiam Dei amplissimae dignitatis viros de pacis bellicae studiis summa cum gravitate et sapientia consilia agitare viderem. Sunt enim pii verbi Dei praecones currus et aurigae regnorum, Atlantes coelum precibus suis sustinentes, atque bases et fundamenta, quibus incolumitas et totius orbis salus incumbit. Quo animo ergo, quo vultu, inter spem et metum constitutus iudicium vestrum gravissimum me subire et perferre posse existimabitis, ubi non tam scripta, quam sculpta oratione opus esse video? Atqui cum frangat vel attollat animos militum causa, ac pii conatus in necessariis et utilibus rebus propitio sancto numine secundentur, nec non benevolentia et favore summorum virorum excitentur et promoveantur: me quoque, viri ornatissimi, hoc a vobis consequi et impetrare posse, ut placidas dicturo aures accommodetis, nequaquam diffido. Nam et aliorum hortatu et amicis obtestationibus compulsus prodii, quorum auctoritatem refugere et detrectare piaculum, cum contumelia violati superni numinis coniunctum esse arbitrabar, siquidem honesta, licet difficilia et non omnino impossibilia, efflagitarent, — ad hoc, non ut mea ieiuna, squalida et incondita declamatione nomen decusque conciliarem aliquod, nedum ut aliis splendido et copioso dicendi genere et apparatu instructis ingenii et eloquentiae laudem praeiperem, sed ut obedientiae potius et obsequii laudem hoc genere officii apud aequos censores referrem et obtinerem. Dabitis ergo veniam, auditores benevoli, nihil in bona causa praeter aequam mentem, cum timore Dei coniunctam afferenti, ac Deo grata dicere et vobis auditoribus pias et utiles commonefactiones instillare pro virili mea impensa laboranti.
- 9 Priusquam vero ad rem, de qua dicturus sum, me accingam, quorundam opinionem sinistram de huiusmodi conventibus refellere operae pretium fore existimavi. Illi, nescio quo praeiudicio corrupti, non restringi aut tolli, sed magis accendi et augeri publicis disceptationibus dissidia ecclesiastica et latius propagare errores vociferantur. Fieri enim, ut pertinaciter de victoria magis, quam de veritate et superba ambitione contententes consensum turbent et veritatem amittant, nam ut dicitur: Qui velit ingenio cedere, rarus erit. At vehementer falluntur illi. Magna enim erit differentia inter piorum et eruditorum hominum conventus, moderate et placide pio studio veritatem ex verbo Dei et purioris ecclesiae testimoniis inquirentium et inter conciliabula Cyclopum, ubi sine duce et ordine, tumultuarie et confuse, velut Lapitharum convivio, infanda quaeque aguntur impune et designantur.

3 sentio O sensi

4 atque O adeoque

5 quam O qua

6 propitio sancto numine O propitio Dei numine / excitentur et promoveantur O excitentur ac provehantur

7 prodii O huc prodii / superni O supremi / ad hoc O ad haec / genere et O om. / praeiperem, sed O praeiperem, et velut proverbio dicitur: oculos carnicum configerem, sed

8 commonefactiones O commonifactiones / impensa O impense

9 vero O om. / sed O at / propagare O propagari

10 de O om.

11 erit O est / veritatem O de veritate

4 currus et aurigae — Ov. Met. II, 327

10 Qui velit — Mart. VIII, 18,9—10

11 convivio — Hom. Od. XXI, 295—304

- ¹² Talem olim cum sibi usurparent licentiam episcopi, potentia et opibus armati, occasionem dederunt piis regibus, ut ipsimet praesentes sua auctoritate interposita
¹³ vim veritati inferre volentes reprimerent et compescerent. Laudanda ergo sunt plurima concilia sub Constantino, Theodosio et aliis piis regibus habita, quae toti orbi Christiano admodum fuere salutaria. Ibi enim de concordia tuenda in doctrina et ritibus ecclesiasticis, de moribus tam docentium quam auditorum eorumque toto vitae genere utilissimae conditae leges, damnatae, proscriptae et prostratae haereses, unde nec immerito synodus Nicaena trophaeum fidei Christianae adversus Arianismum et blasphemum deliria appellatum est. Quam pulchra et iucunda fuit olim prima
¹⁴ novi testamenti synodus, ubi convenerunt praestantissima id temporis feminei sexus duo lumina, Maria et Elisabeth, quibus et Zacharias, quamvis tunc mutus, coniunctus fuit! Contulerunt inter se in extremo ecclesiae discrimine de summo fidei articulo, incarnationis nempe filii Dei iam impleri coepto et divinis patefactionibus ipsis revelato, ac mutuis colloquiis pleni ardentibus affectibus, a spiritu sancto excitatis, sese erudierunt, oblectarunt, et in tantis temporum perturbationibus contra omnis generis pericula confirmaverunt, praeferentes sane ingens beneficium
¹⁵ omnibus regnis ac totius orbis voluptatibus. Taceo, quam necessaria et conducibilis fuerit recens plantatae et crescenti ecclesiae divorum apostolorum synodus, in qua de abroganda circumcisione et aliis legalibus quibusdam ritibus, Christo initiatis
¹⁶ non amplius necessariis, constanter et graviter decretum est. Tradunt ecclesiastici scriptores, statim post apostolorum tempora, cum ecclesia ingentes persecutiones a crudelissimis tyrannis pateretur, nec inter minas et pericula horrenda et immania supplicia et mille mortis imagines a mutuis congressibus Christianos abstinuisse.
¹⁷ Si quando publicis edictis prohibiti, ut fert humana fragilitas, aut metu impediti lucem fugerent, nocturnos conventus agere non destitere, adeo, ut apud ethnicos crimini datum sit, quasi infanda quaevis flagitia committerent, quae luce conscia designare minime auderent. Quod Caii Plinii testimonio comprobatur, qui cum Bithyniam provinciam obtineret, motus misericordia ob multitudinem Christianorum interfectorum ad Traianum imperatorem, cuius iussu ea saevitia eruperat, scripsit, multa milia hominum obtruncari, in quibus nihil omnino sceleris inveniretur, nisi quod essent soliti die stato ante lucem convenire carmenque Christo quasi
¹⁸ Deo concinere. Commemorabant fidem et constantiam in adserenda pietatis doctrina et perferendis animose suppliciis martyrio coronatorum, quos in vita multis sibi honestissimis officiis obstrictos habebant, seque ipsorum exemplo ad similem militiam pro Christo subeundam, ubi res posceret, gravibus ac sanis cohortationibus, velut milites in acie, excitabant, animabant et confirmabant.

12 dederunt **O** om. / compescerent **O** composcerent

13 plurima **O** quam plurima / eorumque **O** eorumque / appellatum est **O** appellata est

14 olim **O** omnium / convenerunt **O** convenerant / temporis **O** aetatis / quamvis **O** quamquam / fidei **O** fidei Christianae / nempe **O** nimirum / coepto **O** incepto / patefactionibus **O** revelationibus / revelato **O** patefacto / ingens beneficium **O** ingens hoc beneficium

15 crescenti **O** crescentis / apostolorum synodus *marg.* **O** Act(us apostolorum) 15

16 scriptores **O** Scriptorum / minas et pericula horrenda et immania **O** minas aut pericula et horrenda atque immania

17 ut ... fragilitas **O** *uncis inclusa* / fugerent **O** refugerent / ethnicos **O** ethnicos illis / quaevis **O** quaeque / quae luce *cod. Pöhl. et Herm.* qui luce conciliabula designare minime auderent

18 interfectorum **O** interemtorum / imperatorem **O** om. / concinere **O** canere

19 habebant **O** habuerunt

18 Plinii testimonio — Epist. X, 97 (locus mendose citatus)

- ²⁰ Quare facessat frigidum velut de Midiae, Marsiae et Apollinis cantu illorum de synodis iudicium, qui tanquam noctua solem, ita illi veritatis inquisitionem, defensionem, propagationem, corruptelarum abolitionem, ordinis et disciplinae, morum et vitae emendationem refugiunt et detestantur.
- ²¹ Cum vero hic conventus noster pleraque cum praedictis communia habeat, vestrum est, viri clarissimi, quam pie et reverenter de utili et valde necessario instituto clarissimi et venerabilis pietate viri, domini superintendentis, sentire et loqui, cum haec postrema tempora longe plura et tristiora mala, certamina, pericula ecclesiae allatura videntur, iuxta ipsius filii Dei vocem, Luc. 18,8: Putasne, cum venerit filius hominis, fidem reperturus sit in terra? Atque adeo nunc, nunc praesto sit illa hora, quae segnes et veterno oppressos hac voce quasi singulis in aurem inclamans excitare videtur: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Ah! Quid dormitis et requiescitis? En adest, qui me est proditurus.
- ²² Dicam autem ex arbitrio clarissimorum amicorum *de origine et progressu inchoatae et propagatae coelestis doctrinae in hac miserrima patria nostra*, quibus monstris varie impedita et afflicta fuerit, et qui sese, velut fortes athletas decet, his in defendenda veritate animose opposuerunt cum dulcissimae patriae incomparabili commodo et immortalis sua laude animarumque multarum salute aeterna.
- ²³ Et quamvis in tractatione huius argumenti tantus sese mihi offerat campus dicendi, ut si pro merito et decoro varium et toties mutatum patriae fatalem statum commemorare saltem, non explicare coner, dies me deficeret, faciam ergo, quod astronomi, qui non singulas, sed praecipuas et maxime illustres insignium nominum observant stellas, et summa saltem sequar fastigia rerum. Ac velut apiculae floriferis in saltibus optima quaeque libant, utilia et maxime necessaria decerpam. Et certo varietas rerum maximarum vobis, ut opinor, auditores doctissimi, prolixitatis tedium, si quod obrepserit, facile leniet et mitigabit.
- ²⁵ Postquam itaque clementissimo Deo visum est, corruptissimum ecclesiae statum per totum orbem ab impiis Antichristi faecibus repurgare per selectissimum Dei organum, pia memoriae D(octorem) Martinum Lutherum (cui mox, ceu fidus Achates, vir nunquam satis laudabilis, Philippus Melancthon, tantorum laborum socius, non sine gravi Dei consilio est additus), qui vere in spiritu et virtute Eliae Baalitarum pontificiorum fraudes et tyrannidem detexit, cum coronam papae et ventres monachorum, quemadmodum doctissimus Erasmus dixisse fertur, durius tractasset et ex multis regnis idolomaniam pontificiam profligasset: tandem ad nos quoque Dei beneficio scintilla divini illius favoris et splendoris pervenit, cum iam paulatim nostrates linguarum et artium cognoscendarum studio in exteras et

21 et reverenter O reverenter / venerabilis O commemorabilis / videntur O videantur / Luc 18,8 O om. / Atque marg. O Luc. 12 / nunc, nunc O nunc / quae O qua

22 autem O nunc / athletas O athletas Dei / opposuerunt O opposuerunt / patriae O patriae nostrae

23 offerat O offert / dies me O dies una / singulas O singulas sic! / insignium nominum O insigniunt nominibus et

24 certo O certe

25 impiis O impuris / laudabilis O laudatus / cum coronam O coronam / doctissimus O om. / pontificiam O om. / favoris et O om.

21 Vigilate — Matth 26,41—46; Marc 14,38
Quid dormitis — Luc 22,46

25 Erasmus dixisse — Manl. Coll. p. 69

- ²⁶ procul dissitas regiones commearant. Inter quos facile primus ac summus fuit, aeterna memoria dignus dominus M(agister) Iohannes Honterus, Coronae natus. Is cum aliquamdiu Cracoviae commoraretur, linguarum et artium nec non verioris philosophiae praecepta atque instituta feliciter didicisset, postea Basileam profectus liberalitate et favore serenissimi principis, regis Poloniae, Sigismundi senioris, adiutus, ut ego quidem accepi, ibi editione cosmographiae, gratissimo lepidissimoque carmine scriptae, insignem famam et doctissimorum virorum familiaritatem et necessitudinem summam postquam comparasset, domum, literis probe onustus et
- ²⁷ excultus, vocatus rediit. Coepit initio hic vir pientissimus leges condere, ex civili iure decerptas, quibus ad mitiora humanitatis studia in civilibus negotiis administrandis gentem Saxoniam assuefaceret. Hinc cum velut Lycurgus aut Solon apud nos in admirationem venisset, sensim maiora pertinaci studio occipit.
- ²⁸ Artem typographicam primus omnium suis impensis in regnum adduci curat, multos utiles libros, a se partim confectos, partim ab aliis prolixioribus auctoribus in compendia redactos in lucem edidit, Latinae et Graecae linguae, atque artium dicendi studia sedulo et diligenter iuventuti in schola proponi serio demandat.
- ²⁹ Hoc quasi iacto fundamento religionis negotium attingere, reformationem ecclesiarum per regnum moliri ac certis praeceptis ac institutis definire, quod ad rem totam conducere videretur, summis viribus conabatur. His tantis meritis excitatus senatus populusque Coronensis urbis divinarum rerum curam et quicquid ad religionis negotium spectabat, Hontero committit. Conditur illius consilio sumptuosissima bibliotheca, et ex variis vastatae Graeciae immani furore Turcarum bibliothecis conquiruntur et coacervantur libri utilissimi. Erat ea tempestate adhuc iuvenis rex illustrissimus princeps Iohannes I., qui externis bellis et seditio-
- ³⁰ nibus domesticis occupatus religionis curae minime vacare poterat. Erat sacrorum antistes Albae Iuliae Iohannes Statilius, natione Dalmata, homo impius et foedis-
- ³¹ simarum libidinum dira quasi proluvies. Occupabant ubique per regnum, potissimum Albae, canonici, monachi, uncti et rasi sacrificuli, pingues et bene saginati Epicuri de grege porci, dominia ecclesiarum, ac superbe et flagitiose omnibus
- ³² ordinibus imperitabant. Erat et amplissima dignitatis monachus, frater Georgius dictus, ordinis Eremitarum, Iohanni regi ob fidem egregiam saepe praestitam summe carus, de quo postea mihi dicendum, cum fere praecipuam sustinuerit in

26 facile O om. / summus O sumus / Honterus marg. O Fuisse quoque praeceptorem I. Honterum Isabellae, quidam referunt. Grammatices suae Elementa prima, Cracoviae edita antiquissimis typis vidi, quibus in aliquibus scholis ad huc utuntur / principis O om. / gratissimo O gravis-simo / literis O Musis

27 hic O om. / pientissimus cod. Pöld. prudentissimus / in admirationem O in admirationem et favorem

28 Artem typographicam marg. cod. Herm. 1535 / impensis O impendiis / libros O libellos / compendia O compendium / serio O om. /

29 definire marg. cod. Herm. et Ad. 1542 / quod O quae / totam O tantam / videretur O sum-mopere viderentur

30 bibliotheca cod. Herm. et Ad. ann. Bibliotheca Coronensis 1528

31 iuvenis O in vivis / princeps O om.

32 Albae Iuliae O om. / Statilius marg. O Albae Iuliae; moritur Io. Statilius 1542

33 pingues et bene saginati Epicuri de grege porci L om.

34 dicendum O saepe dicendum

33 pingues et bene saginati Epicuri de grege porci — cf. Hor. Epist. I, 4,16

hac fabula personam atque adeo paene totum orbem fama suorum facinorum
 35 impleverit. Erat et alius quispiam vicarius Albensis, cuius nomen prudens dissimulo,
 monacho quidem dignitate inferior, sed nocendi et impediendi religionis cursum
 36 cupiditate atque conatu non longe inferior. Inter has ergo angustias et plus quam
 Augiae stabuli sordes, velut lilium inter aculeos spinarum succrescens, veritatis lux
 ex profundissimis tenebris emergere coepit. Opposuerunt se huic luci varia illa
 37 Centaurorum monstra, quae nihil intentatum inausumque reliquere, quod faceret
 ad propulsandam et extinguendam coelestis verbi faculam. Quod vel ex paucis
 illorum molitionibus tyrannicis (nolo enim plura nunc commemorare) satis docu-
 mento esse puto hoc: monachus, regii aerarii quaestor, cum regni praefecturam
 consecutus esset, Varidini aedituum quemdam, qui alapam impegerat mulieri, in
 38 templo statuum suppliciter adoranti, comburi iussit. Magnifici domini Urbani
 Bathiani, spectatae virtutis et eruditionis viri (etiam historia Iovii celebrati) vetus-
 tissimo atque nobilissimo genere Hunnorum nati, qui summum fere apud reginam
 Isabellam locum obtinebat, eo quod cum paucis aliis de Reformationis libello
 conservando plurimum laborasset ac profecisset, iussu reginae honorifice in basili-
 cam Albensem demortui corpus sepulti effodi iussit et in fimum sepeliri, cum nihil
 39 intemperantius asperiusque metu reginae in miserum cadaver auderet. Colosva-
 rienses etiam, quibus maxime religionis causa infensus erat, magna saepe pecu-
 niaria mulcta affecit, praemia uberrima pollicitus, si quispiam isthinc capita docen-
 40 tium amputata ad se deferret. Impurus ganeo, porcorum potius quam sacrorum
 antistes, Dalmata ille (Iohannes Statilius) miserum quendam sacerdotem, qui
 praedicarat carni esum in scripturis sacris non esse prohibitum, in vincula
 coniecit, quem et post hebdomadas aliquas e carcere produxit poena afficiendum.
 Oneravit enim fidelem ministrum leporibus, anseribus, gallinis circum corpus
 undique pendentibus, contra quem instigavit canes, qui quicquid potuerunt attinge-
 41 gere, decerpserunt, sicque pius homo actus a canum latratu per civitatem triste
 spectaculum multis, sed ridiculum impiis. Verum quid accidit? Paucos post dies
 42 episcopus ille miserrime afflictus et ad insaniam redactus horrendam mortem obiit,
 dignam tali Epicuri discipulo vocem eructans: vixi, ut sus, morior, ut canis. Mona-
 chus, cum ob immaniter oppugnatam veritatis doctrinam, tum ob varias proditiones
 ac toties mutatam periuriis fidem praestitam, tum ob sceleratam iniuriam

35 quispiam O quisquam / dissimulo *marg. cod.* Ad. Vicarius diu vixit Musnae, vocatus Francis-
 ciscus, canonicus Albensis, inde Kis-Selkinum appulit, unde vicissim explosus est / monacho O
 monachi / cursum O causam

36 succrescens O sic crescens / Opposuerunt O Opposuerunt / luci O *om.* / quae nihil O nec / reli-
 quere O relinquere

37 illorum O ipsorum / puto O possunt

38 conservando O confirmando / demortui O *om.* / auderet *cod. Herm. et Ad. ann.*: anno
 circiter 1542

39 quispiam isthinc O quisquam isthic

40 Iohannes Statilius O *om.* / sacris O divinis / aliquas O aliquot / potuerunt O potuerant /
 decerpserunt O derepserunt / impiis *marg.* O 1543 *aliena manu* sed male, si Statilius 1542 mor-
 tuus est

41 Verum O Utrum / episcopus O morboepiscopus / ille O *om.* / horrendam O *om.* / mortem
 obiit O mortuus est

42 mutatam O mutatum / periuriis O periuriisque / praestitam O intestatam

ingratitude et erga reginam Isabellam et regulum designatum, dum regno es opibus spoliatus triste ac diuturnum exilium ageret, ab Hispanis et Italis militibus in arce Alvinciensi multis confossus vulneribus inter horrendos gemitus et clamores vitam finiit.

- ⁴³ Vicarius vero, de quo supra, cum multis insidiosis actibus in aula exosos reddidisset evangelii professores, multaque mala ipsis intulisset, eo demum vesaniae redactus est, insolenter ipsis comminando se curaturum, ubi reverteretur ex aula imperatoris Ferdinandi, quo tendebat (episcopale munus in Transsilvania non obscure affectans), ut pastores ecclesiarum eorumque liberi et uxores ad aratra trahenda adigerentur. Verum subito, opinione sua celerius, et hic Saulus violento abreptus fato (suorum, ut fertur, famulorum manibus suffocatus) in castro Monostor vivere et miseris illudere atque insultare pastoribus desiit.
- ⁴⁴ Hic quidem primi actus finis posset, nisi illos debita sua laude fraudari meo silentio nefas et flagitium morte piandum arbitrer, qui socias operas in hac gloriosa, non minus periculosa militia fidemque et constantiam incredibilem praestitere.
- ⁴⁵ Iuvere M(agistrum) Honterum in diversis locis quam plures alii. In dioecesi vero Barcensi ipsaque urbe potissimum Coronensi egregius ac pietate insignis vir, Iohannes Fuchsius, id temporis reipublicae Coronensis dictator, cum quo in Libello reformationis ecclesiarum confirmando plurimum operae et diligentiae clarissimus vir, dominus Matthias Calvinus, vir magna audacia et facundia extemporalis excellentissimus contulit et impendit. Fidelis quoque parastates erat domino Hontero clarissimus atque doctissimus M(agister) Valentinus Wagnerus, Coronensis, peritissimus Graecae linguae, qui in gratiam Graecorum (quorum subinde maxima copia Coronam venit) edidit Graecam catechesin, ab omnibus
- ⁴⁷ vere orthodoxis approbatam. Multa scripta prophetarum, apostolorum dominus Casparus Heltus, Claudiopolitanae ecclesiae pastor, cum aliis symmetris suis, domino Stephano Gyulai, Ungarorum concionatore, domino Georgio Vizakmanno ludimoderatore, ex Latino et Germanico idiomate in idioma Ungaricum utiliter transtulerunt. Vixit et docuit postea diu isthuc cum magno civium fructu et immortalis praeconio ac multa utilia scripta arte sua typographica in lucem edidit, donec atrociora certamina temporis defluxu suborirentur.
- ⁴⁸ In urbe Bistricia summum decus exstitit venerandus et inculpatae vitae sanctimonia celebris dominus Albertus Cerasinus, qui ad extremam usque senectam constanter puritatem doctrinae coelestis cum summa fide et diligentia propagare non destitit. Fuere duo illi in vicinia coniunctissimi veneranda canitie et longo

42 designatum O disignatum / spoliatus triste ac O spoliatus in triste et / finiit marg. O A. 1557

43 actibus O artibus / ipsis O ipse / est O om. / ipsis comminando O comminado / ubi ... Monostor O uncis inclusi / pastores O pastorum / eorumque O om. / sua O om. / hic O sic / Saulus O om. / abreptus O aberptus / castro O Kolos / desiit marg. O An. circ. 1544

44 posset O constitui posset / arbitrer O arbitrarer

45 Magistrum O om. / locis quam plures O locis regni complures / vero O om. / Fuchsius marg. O Io. Fuchsius iudex Coron. 1545 / Calvinus cod. Ad. Matthias Calvinus primus pastor Requiensis post monachatus abrogationem per annos 21

46 domino Hontero O domini Honteri / quorum ... venit O uncis om. / maxima O magna 47 Gyulai O Iulano / Vizakmanno O Wizaknanno / idiomate O om. / transtulerunt O transtulere / isthuc O isthic

48 Cerasinus marg. O Bistricii Albertus Dürfner, alias a patria Draconites (Wurmloch)

rerum usu accersita prudentia conspicui viri, dominus Christianus pastor ecclesiae Lechniciensis et dominus Adamus Pomarius, pastor Heydendorffensis.

⁴⁹ Segesvarii dominus Lucas Crocaeus et non longe ab ea urbe dissito loco dominus Aegidius, ecclesiae Kyzdensis pastor, summa industria et animi candore idem illi quod alii fundarunt pii.

⁵⁰ Nec merito sua laude spoliandus est clarissimus vir, dominus Bartholomaeus Altenbergerus, qui in urbe Mediensi primus idololatrias imagines et altaria aboleri et evertere summe conatus est. Habuit cooperarios in vicinia duos insignes viros, dominum Vincentium Aurifabrum, pastorem Muschnensem, virum multis praeclaris cinctum excultumque virtutibus, et dominum Franciscum Salicaeum, Birthalbensis ecclesiae pastorem, magna comitate et miti ingenio insigniter commemorabilem.

⁵¹ Urbs Cibina, regni caput et metropolis, quantum equidem mihi constat, habuit contionatorem quemdam Iohannem Surdastrum vulgo apellatum; is magno et ardenti spiritus zelo fervens mirificam in persuadenda et provehenda religione vim apud imperitam plebem habuisse dicitur. Docuit fere eodem tempore ibidem in schola et templo eruditus et astronomiae artis peritia insignis dominus Martinus Hentius, donec tandem dominus Altenbergius in locum defuncti isthic ultimi papistici pastoris subiiceretur. Omitto Ungaricae nationis viros quam plurimos, qui partim in Ungaria, partim in patriae nostrae gremio in hac quoque palaestra laudabiliter desudarunt, utpote dominum Sebastianum Carolinum, Ludovicum Szegedinum, Matthiam Devai, qui Ungaricus Lutherus a suis ob insignem eloquentiam est habitus, Andream Batsium, dominum Leonhardum Stöckelium, Barthphensis scholae rectorem, praeceptorem meum carissimum, cuius Pannoniae ora non habuit similem, nec habet, nec habebit deinceps, praeterea multos quosque referre mora est.

⁵⁴ Venio iam ad secundum actum. Cum, uti dixi, aliquamdiu mediocriter in scholis et ecclesiis optata in tranquillitate doctrina instaurata florisset, incidit deinde fatalis regni mutatio, quae et religioni cladem maximam, nisi Deus avertisset, attulisset. Astu enim et scelere monachi regina in Poloniam mittitur; Germani, Itali, Hispani duce Iohanne Castaldo, a monacho accersiti regnum occupant.

⁵⁵ Mox deinde monacho interfecto ad propria rediere. Substituti in locum eorum duo vaivodae, magnificus dominus Stephanus Dobo et Franciscus Kendius cum Paulo Abstemio Quinqueecclesiensi, Transsilvaniae episcopo, sub quibus multa tristitia in tam crebris rerum vicissitudinibus respublica et ecclesia passa est.

49 Segesvarii *marg.* O Schaesburgi, sive Lucas Rufus Roth / candore O ardore / illi O ille / fundarunt O factitarunt

50 sua O summa / Altenbergerus O Altenbergius / idololatrias O idolatricas / aboleri O abolere / conatus est *marg.* Megjessini hoc factum 1545 / cinctum O auctum / Salicaeum *marg.* O Successor fuit mag. Lucas, qui a. 1547 d. 2 Maii diem obiit

51 Cibina O Cibiniensis / et metropolis O *om.* / fervens O fruens

52 Hentius *marg.* O Martinus Henzius astronomus et ludimagister Cibinii / Altenbergius O Altenbergius / subiiceretur O sufficeretur

53 Batsium O Batysium / cuius Pannoniae O cui Pannonis / nec habebit O neque est habitura

54 instaurata O instructa / mutatio *marg.* O 1551

55 eorum O illarum / dominus O *om.* / Quinqueecclesiensi O *om.* / episcopo *marg.* O 1552 / passa est O Ultimo tandem ex Solimanni imperatoris iussu et regnicolarum sponte inclinata voluntate regina cum filio reducitur U *om.*

- ⁵⁶ Petrovichius reginae adventum praetervertens locumtenentis titulo reginae provinciae curam subiit. Et quidquid reliquum erat ex sacrificulorum grege superstitioso, totum id vitae conditionem mutare coegit. Monasteriorum et templorum aurea vasa eo nomine et praetextu transfert, ne reginae reduci ullam instaurandi papatus occasionem relinqueret, quam adhuc in gratiam Sigismundi Augusti, regis Poloniae, fratris sui, veteri superstitione imbutam esse sciebat.
- ⁵⁷ Sed ecce, quam fatalis regni nostri calamitas, quae patriae Erinnyes et totius propemodum Christiani orbis labes sub idem tempus erupit! Duo insignes maximarum turbarum in doctrina auctores, Franciscus Stancarus, Mantuanus et Martinus Calmanchaeus, cum in familiaritatem Petrovichii miris artibus sese insinuassent, coeperunt errores tetros, eodem fere anno in Ungaria et Transsilvania
- ⁵⁸ disseminare. Calmanchaeus negabat cum Zvinglianis et anabaptistis veram et realem corporis Christi in sacra coena praesentiam. Stancarus de mediatore docebat Christum secundum humanam naturam tantum pro nobis intercedere.
- ⁵⁹ Erat, ut quoque breviter aspergam, Calmanchaeus ferocis, elati tumidique spiritus, qui multa Thrasonice de sese gloriabatur, et mirum in modum theatricis suis clamoribus auram vulgi captare poterat. Multa praeter decorum et parum honeste faciebat, sicuti Claudiopoli ex immunda hara lintrem porcorum in plateam publicam pertrahi curavit, in qua infusa aqua infantes baptizasse dicitur cum tali exclamatione: haec est libertas Christiana. Is, ubi non procul a Tybisco amne ad Bereckzazium oppidum primo, deinde Debreczinum pastoratus officium ibidem consecutus consedisset, ultimo omnium in Transsilvaniam ad Petrovichium per-
- ⁶⁰ venit. Stancarus cum furoribus Osiandri in Prussia sese opposuisset ac aliquamdiu Francofurti ad Oderam et Regiomonti theologiam et Hebraeam linguam docuisset, plane in contrariam sententiam ab errore Osiandri deflexit, ut vere illi obtigisse potuisset dici, quod Flaccus ait: Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
- ⁶¹ Nugatur Osiander: meritum passionis et totum opus redemptionis filii Dei plane nihil ad salutem hominum promovendam facere et prodesse, sed essentiali ipsius filii Dei iustitia, habitante in nobis nos esse iustos et acceptos Deo. Cumque hic, scriptis et propositionibus passim vulgatis, in publicis disputationibus sua placita defendere conaretur, necdum ecclesiarum nostrarum doctores satis instructi ac parati ad resistendum essent (paucos enim adhuc de illis controversiis eruditorum viderant libros, excepto iudicio domini Philippi de Stancari dogmate, quod recens erat editum), optimam tum et peregre regiam operam Franciscus Davidis navavit,

56 praetervertens O praevortens / titulo O titulo insignitus / reginae *marg.* O A. 1556. Hunc Petrum Petrovith in arce Munkaiz Martin. Calamanizi alias Sánta reformavit / aurea O aurea et argentea / relinqueret *marg.* O A. 1556. Dom(inica) Iudica mandato Petrovith, monachi ex monasteriis amoti ante accessum reginae

57 quam O quae / regni O fundi / Petrovichii O Petrovithii / coeperunt *marg.* O 1555

58 Calmanchaeus O Calmachaeus / humanam O humanum

59 quoque O id quoque / elati O et praealti / auram O animum / Multa O Multa enim / qua O quem / infantes O infantem / Bereckzazium O Beresckzasium / Debreczinum O Debrecium / Petrovichium O Petrovium

60 furoribus O erroribus / Regiomonti O Regimonte / potuisset O possit

61 redemptionis filii O redemtionis Christi filii / promovendam O promerendam / et O aut / habitante O habitantis

62 hic O hi / conaretur O conarentur / instructi ac O instucti et / tum O tunc

60 Flaccus ait — Sat. I, 2,24

- qui ludirector scholae Claudiopolitanae existens a Thoma quodam monacho, tum ecclesiarum Ungaricarum praeside, ut respondentis partes sustineret, invitatus, adeo animose rem agit omnium cum admiratione, ut nemo non eum supra aetatem excellentibus ingenii et eloquentiae viribus divinitus ornatum esse confiteretur.
- ⁶³ Edidit postea libellos aliquot contra Stancarum, quibus ipsius auctoritatem adeo extenuavit et in contemptum apud omnes aulicos adduxit, ut post obitum Petrovichii et Antonii Kendii nusquam receptus, nusquam perfugium amplius in hoc regno sibi pateret. Quare cum in Poloniam se recepisset, cum absentia auctoris
- ⁶⁴ error etiam umbra citius evanuit. Calmanchaeum in praesentia optimum regni in disputatione publica Franciscus Davidis argutiis dialecticis tam arcte constrinxit, ut se nullo pacto evolvere et extricare potuerit, cum artium et linguarum cognitione nulla instructus esset; fuitque illud ultimum paene certamen Francisci cum Calmanchaeo, qui ignobili tandem fato naturae concessit.
- ⁶⁵ Multa inter haec dissidia mala intentabantur Saxonicarum ecclesiarum pastoribus. Laborant summae dignitatis viri apud reginam et regulum de adimendis sacerdotum decimis: idque regno consultum fore, his posse ali milites et exercitus,
- ⁶⁶ congeri omnia necessaria, quae pacis ornamenta et belli subsidia esse possent. At illi, cum aliena et cultui quidem divino dicata bona avide appeterent, vitam horribiliter trucidati amiserunt cum perpetuo famae et rerum suarum dispendio et iactura.
- ⁶⁷ Ut et hoc ad posteritatis memoriam dignum relatu addam: multa horribilia convicia ex officina illa claudi Calmanchaei prodire in personam unigeniti filii
- ⁶⁸ Dei contumeliosa, quae animus meminisse horret luctuque refugit. Praecipuus quidam eius sectae acerrimus propugnator impuro ore et canina impudentia dixerat: per secessum egeri corpus Christi necesse esse, si sacramentali manducatione realiter accipiat (quamquam Zvinglianorum officina his abundet deliciis). Sed quid accidit? Dii boni, quam iusta talionis impurum illud animal de hac blasphemiam divina corruptit ultio! Paulo enim post, cum horrore mortis opprimeretur, stercus per os proprium multa vi et luctamine miserabili cum eiulatu evomere coactus est, atque ita suffocatus interiit, ut merito in eorum numerum referri
- ⁶⁹ possit, de quibus dicitur: Crudeles obitus impius omnis habet. Quod omnium est maximum, quod et vobis consciis et Deo teste vere sine fraude recito: scitis enim et adhuc memorare potestis, quod in illam oram Ungariae, in illum tractum, ubi haec impia dogmata primum doceri coeperunt, omnis belli illius septennalis inter Iohannem secundum et Balassium gesti moles potissimum translata et

62 animose rem agit O animose et crudite rem egit

63 Petrovichii O Petrovii / Antonii O Mag(nifici) Antonii

64 Davidis O om.

65 Laborant O Laborabant / regulum U regulam / ali milites O uti equites / possent O possunt

66 At O Ast / illi marg. O 1558. Antonius et Franciscus Kendi fratres et Georgius Bebek

67 illa O illius / Calmanchaei O Calmachaei

68 eius O cuius / Christi O Domini / necesse O necessum / accipiat marg. O Imo Paulus Kerzius in Bibliotheca contra D. Danielelem Reipsium dicebat: Si Christus est ubicumque, esset in recessu. Ad quod respondebat Reipsius minando periculo: time Deum / de hac blasphemiam O ob has blasphemias / interiit O interiit

69 Quod O Quodque / vobis O nobis / scitis enim O scitis enim scitis

67 animus meminisse — Verg. Aen. II, 12

68 Crudeles obitus — ubi?

69 scitis — Ov. Met. XV, 623

- ⁷⁰ conversa fuit. Illic Turcae, illic Tartari, illic Valachi et Moldavi reginae ex Polonia redeunti proferuntur; illic Ungari in propria viscera civili bello ardentes, arma stringentes, omnia immano furore delevere incendiis, rapinis, ferro, populationibus, ubi nec sexui, nec aetati, nec dignitati habitus est honos; tanta ruina et plus quam vastitas barbarica ibi accidit, ibi inquam, ubi blasphema doctrina primum hospitio excepta est, ut merito cum poeta exclamare iustus cogat dolor: Quis cetera fando explicet aut lacrimis queat exaequare dolorem? Haec si divini iudicii documenta probe expenderemus animo, non tam praecipites ac proni in terribilissimos quosque errores prolaberemur.
- ⁷¹ Accedo iam ad actum tertium, et quia plerisque est notior, breviter rei summam constringam. Dum haec aguntur, sublato iam Calmanchaeo, Franciscus Davidis post domini Heltii spontaneam officii pastoralis resignationem simul cum pastornatu officium superintendentis Ungarorum adipiscitur, qui hucusque in fidei doctrina concordans perstiterat. Debrecini et in vicinia suscitatur iterum cum aliis quibusdam incendii flammis Petrus Melius, vir sane non indoctus et trium linguarum peritus, cum praesertim in Saxonia, vivente adhuc domino Philippo, hoc certamen quorundam Heidelbergensium improvida contentione recruderet. Illico Franciscus Davidis, mirifice rerum novarum studiosus et gloriae perquam appetens et cupidus, adeo theatri disputationibus gaudens, ut nusquam quiescere, nec quemquam sibi aequalem, nedum superiore pati posset — erat, ut uno verbo dicam, Vallae persimilis, de quo Pannonius inquit: Corrector veterum, contemptor Valla novorum — cui nemo doctorum satisfaciebat, privato ergo et ambizioso ausu, nullis imperiis coactus, cum Ungaris certamen iniiit, disputat, contionatur;
- ⁷⁴ rixis et iurgiis res saepenumero et vix sine tumultu geritur. Demum cum Franciscus, seu nobilium favore illectus, qui iam ea labe infecti erant, seu tam crebris concertationibus fractus, existimaret, tum sibi primas deferri ab Ungaris, nec minus id etiam apud Saxones consecuturum arbitraretur, quos de se praeclare et magnifice hactenus sensisse animadverterat, cum ab ipsis locupletibus parochiis liberaliter ipsi oblatis aliquoties invitatus esset, idque aeternum et amplissimum immortalitatis praeconium sibi illaturum, si utriusque gentis animas, sua industria in firmam veramque pacem coire et coalescere facere posset, — in castra ergo
- ⁷⁵ illorum descendens, cum iis coniurat amice. Addidit illi stimulum, ut ad eam partem inclinaret Gregorius Molnarus, Claudiopolitanae scholae rector, excellenti ingenio et eruditione haud vulgari praeditus. Ubi sic animum spe consequendi id,
- ⁷⁶ quod maxime aiebat, fascinatum haberet, simplicitate et ingenuitate Saxonum, ut qui doctorum dolorum minime idonei essent artifices, abusus, cum illis auctor

70 reginae O regina / immano O immani / dignitati O dignitati ullius / est O om. / tanta O tantaeque / ubi O ubi prius / exclamare O exclamare me

71 constringam O perstringam / aguntur marg. O A. circ. 1557 / adipiscitur O om. / in fidei doctrina O in fidei sana doctrina cum eo

72 incendii O veteris incendii / cum ... recruderet O *uncis inclusa*

73 contemptor O corrector / doctorum O eruditorum / iniiit O init

74 tam O tot / tum O tamen / aeternum O aeternum sibi / praeconium O patrociniū / sibi illaturum O illaturum / animas O animos

76 fascinatum O fascinatū / simplicitate O simplicitate etiam

70 cum poeta — Verg. Aen. II, 361—362

73 Pannonius inquit — Ianus Pannonius: Panegy. Guar. Ver. 801

- fuisset paulo ante mutandorum quorundam rituum, causam literis et colloquiis cum veteribus amicis tractat; ubi vero se ab iis contemni et alloqui dedignari videt (imitabantur illi Polycarpi exemplum, qui aures ad haereticorum blasphemias obstruere solitus fuit), optimatum quorundam opera et favore impetrat a reginali maiestate diplomata, quibus ad disputationem Saxones vel inviti coguntur et pertrahuntur. Tum certe, in tanta rerum ecclesiasticarum perturbatione et metu
- ⁷⁷ varie trepidatum est, cum omnino veritatis causa periclitatura videretur. Erant plerique grandaevi senes veneranda modestia magis ornati, quam artium illarum ad disputationem necessariarum praeceptis et usu instructi, propter temporis iniuriam, cum et argutos et exercitatos et veteranos milites sibi obiici et opponi viderent, institere nihilominus piis precibus, ut Deus benignissimus causam suam tueri et propagare contra fraudes et imposturas sycophantarum velit. Meminerant, propriissimum divinae maiestatis esse opus, humilia exaltare et alta deprimere.
- ⁷⁸ Haec dum ita fiunt, opportunissime clementissimus Deus, rerum hominumque sator, duos insignes et aeterna laude dignissimos heroes et athletas, acerrimos verae doctrinae propugnatores, praeter omnium opinionem in aciem contra haec monstorum agmina educit: clarissimum virum dominum Matthiam Heblerum, pastorem ecclesiae Cibiensis, Saxonicae gentis superintendentem, qui ingenio, doctrina et eloquentia magnificaque vi et dexteritate explicandi ea, quae animo conceperat, plurimum valebat et Dionysium Alesium, ecclesiae Fenesensis pastorem, quem sibi quoque pars sincerior, nondum castris initiata sacramentariorum, Ungaricae gentis superintendentem constituerat. Egere hi duo rem coniunctis viribus strenue et fortiter, nec quicquam inde lucri retulere adversarii, qui tanto cum fastu et apparatu huc confluerant, tanquam coelum Gigantea sua audacia oppugnaturi.
- ⁸⁰ Et hic secundus fuit conventus pastorum, indictus reginae iussu in ea urbe, quae me nascentem primum excepit. Accidit inter haec, ut morbo gravi impeditus clarissimus vir, dominus Heblerus partes synodicae actionis optimo et integerrimo seni, domino Nicolao, pastori ecclesiae in Insula Christiana, demandasset, ubi tamen fere nihil aliud actum est, quam ut causam mutatae doctrinae adversarii exponerent, et orthodoxorum patrum testimonia non admittenda esse ad huius controversiae diiudicationem contendebant. Porro, cum velut famelici lupi ab ovili Christi sine praeda vacui et inglorii abacti, nullam requiem rabies et inexsaturata edendi libido illis concederet, Franciscus sensim in cuiusdam falso crediti Itali, nimirum blande latrantis familiaritatem sese insinuare, cuius apud reginam et magnates magna erat auctoritas, cogitabat. Conspirabant illi de cogenda synodo Enyedinum, ubi Italus ille, cuius subdolas artes et prodigiosas opiniones de sacrosancta triade pauci fere et nulli prorsus nostratium sciebant, praeses et

76 alloqui O alloquio / pertrahuntur O protrahuntur

77 veneranda O verecunda cod. Pöld. veneranda canit et modestia / ornati O ornati viri / quam O qua / propagare O propugnare

78 Haec U Hac / Deus O om. / duos O varios / heroes et athletas O heroes, athletas et / omnium O omnem / dominum O om. / Fenesensis O Feneschensis

79 duo O om. / oppugnaturi O expugnaturi

80 urbe cod. Herm. et Ad. ann. anno 1559 / Accidit inter haec ut morbo O Primum enim fere praeterieram cum absens esset / gravi O om. / seni O sene

81 cum O om. / Itali marg. O Blandrata / magnates O magnates aulae

82 Enyedinum marg. O Anno 1564 dominica quasi modo geniti / sacrosancta triade O sacra trinitate

- moderator colloquii constituitur. Res agitur vi et maxima contentione. Calvinus,
⁸³ Beza, Petrus Martyr et alii ab adversariis allegantur. Nos contra D(omini) Lutheri, Heshusii, Martini Chemnitii, Nicolai Selnecceri et veterum patrum sententias, a domino Philippo diligenter et fideliter collectas et aliorum libros utiles, qui feliciter hoc tempore e diversissimis academiis prodire, et arma satis valida
⁸⁴ praebuerunt, adversus hostium insidiosas machinationes opposuimus. Cum nec hac via quicquam adversarii proficerent, coeperunt alios pientissimos ac doctissimos quosque viros falsa accusatione gravare, quasi et illi illorum factionis essent complices. Quae res permovit Saxonicarum ecclesiarum pastores, ut impetrato a rege clementissimo salvo conductu et literis ad academias et earum principes, ut de controversia toties ventilata suas exponerent sine ulla occultatione sententias.
⁸⁵ Designati ergo legati ad id munus exsequendum peridonei et discreti, publicoque nomine sumptus dati. Illi et auditi benigne et perhumaniter tractati, re optime confecta sospites redire domum, quatuor insignium academiarum afferentes iudicia, Wittebergensis, Lipsiensis, Francofurtanae ad Oderam et Rostochianae,
⁸⁶ quae quoniam in manibus sunt omnium, nihil nunc de his dicam. Atque hic tertii actus finis esto, si id unum quoque diligenter observaveritis, eo ipso die, quo Enyedini res cum maxima spe triumphi consequendi ab adversariis ageretur, Gregorium Molnarum Claudiopoli mortuum esse, quem velut Herculem aut Gorgonem omnibus diversum sentientibus opponi posse putabant.
⁸⁷ Hic iam quartum actum exordiar, prioribus longe difficiliorem. Callidus et ad fallendum Simoniaca arte incautos totus compositus Italus ille, cum ingenia Ungarorum et Saxonum ex publica disputatione aliquantulum, et quid quisque posset, explorasset, Franciscum alias ultro id affectantem, in suam admisit
⁸⁸ familiaritatem. Videbat enim organon esse aptissimum, per quod merces suas putidas, situ paene et carie obductas et detritas, publice venum exponeret. Dat operam, ut a rege in aulicum contionatorem adscitus, quae semina Servetianae blasphemiae iam pridem scelerato animo conceperat, callide aulicorum animis instillaret. Coeperat iam famosis libellis, a multis eruditissimis viris editis, praesertim Iohanne Calvino, Iosia Simlero, Theodoro Beza et aliis, fieri notior Allobrox ille, quem de periurio et transfugio accusabant, quodque perperam et impie
⁸⁹ sentiret de articulo sacrosanctae triados, de paedobaptismo et aliis. Admonebant illi serio Polonicas, Ungaricas et Transsilvanicas ecclesias, ut ab insidiis et maximo periculo istius hominis sibi caverent; fuisse illum socium Valentini Gentilis, qui ob horrendam blasphemiam non ita pridem rogo adiudicatus Bernae Helvetiorum

82 Martyr O Martir Pagninus

83 prodire *marginis*. O Hic orator tempus rerum non observat, iam ante biennium reversi erant legati / adversus O adversum

84 proficerent O perficerent / illorum O ipsorum

85 legati *marginis*. O Legati fuere: Lucas Unglerus, Georgius Christianus et Nicolaus Fuchsius Coronensis 1561 / discreti O decreti / dati O om. / quoniam O quia

86 observaveritis O observaverimus / Enyedini O Engyedini

87 exordiar O ordiar / Simoniaca O Simonia / Italus *cod. Herm. et Ad. ann.* Georgius Blaudrata, medicinae doctor

88 organon O organum / putidas O putidas et / quae O qui / Servetianae O Serveticae / impie O impiae / sacrosanctae triados O sacrac triadis

89 hominis O seminis

88 Allobrox — Hor. Epist. 16,6; Iuv. Sat. 7,214

- ⁹⁰ exustus esset. His admonitionibus praecipue Ungarici pastores excitati vespertilionem hunc vellicare et in lucem agere coeperunt. Urget et instat apud serenissimum principem Petrus Melius, ut publica synodo indicta causa cognosceretur, cum et
- ⁹¹ Franciscus initia istorum errorum in publicis contionibus patefecisset. Postquam ergo monstrum, ex semine Arii, Samosatani et Photini conceptum, partu infelici in lucem prorupisset, tetre ac impie cum summa temeritate et impudentia horribilia convicia in sanctam triadem hostes isti verae religionis evomebant: esse doctrinam illam non alienam a fabulis poetarum, qui Cerberum tricipitem finxerint, esse
- ⁹² hydram multorum capitum, vel Geryone ipso portentum monstrosius. Nacti etiam typographum regis indulgentia et liberalitate Albam accersitum, horrendas et abominandas imagines emisere, quibus vulgo deridendam et conspuendam Christianam religionem proponere studebant. At videte et hic iudicium divinum; quamprimum enim maleferiatus ille et famelicus typographus alienae nequitiae sese mancipasset, subito morbo oppressus repente occidit, et miserabiliter extinctus est.
- ⁹³ In Albensi ergo conventu omnium frequentissimo, cui et serenissimus princeps cum regni proceribus assedit, ab adversariis magna contentione obtentum est (principe sic volente), ne quis patrum orthodoxorum testimonio ad causae controversae stabilimentum citaretur. Dicebant illos fuisse Antichristi ministros, ex quorum
- ⁹⁴ castris tota illa papistarum agmina prodierint. Interea ipsi nihil fere aliud, quam ex Samosatani et Arii lacunis hausta deliria, dissimulatis astute auctorum nominibus (sicuti spurios pudet nominum suorum parentum), proponebant, quae pleno verborum hiatu nihilominus iactabant, spiritum revelationis ipsis hanc veritatem ex profundissimis sacrarum literarum penetralibus atque adytis suggessisse, nec ullis mortalium a temporibus apostolorum haec mysteria fuisse tam clare et evidenter patefacta. Summa dogmatis erat: Christum non exstitisse in hypostasi aliqua, priusquam in utero deiparae virginis conciperetur. Quotiescunque illi tribuantur in sacra scriptura divinitatis praeogativae, eas recipiendas esse respectu inchoati visibilis sui ministerii in hoc mundo et restorationis nimirum et recreationis humani generis; atque ita Christum prae consortibus suis unctum, deificatum tantum hominem, non verum et aeternum dei filium contra totius scripturae sacrae consensum esse pertinaciter contendebant.
- ⁹⁵
- ⁹⁶ Res eo demum post decem dierum continuam digladiationem rediit, ut sub iudice lis penderet, tantisper, donec eruditorum iudicia temporis successu explicatius et lucidius rem intricatissimam declararent; severo interea edicto cautum sub capitis poena, ut a maledicis et aculeatis scriptis utrinque sibi caverent et abstinerent, quibus alii aliorum famam vellicarent, neve quisquam deinceps alicuius dogmatis auctor haberetur. Haec cum satis copiose in synodice actionibus comprehensa sint, plura de his dicere cesso.

90 coeperunt O occoepere / cognosceretur O agnosceretur / et O ex

91 partu O et partu / isti O om.

92 occidit O cecidit / extinctus est **cod. Herm. ann.** 1567

93 ergo O om. / magna O maxima / testimonio O testimoniis / citaretur O uteretur

94 quae O qui / ullis O ulli

95 Quotiescunque O Quaecunque / tribuantur O tribuerentur / recipiendas O accipiendas

96 severo O severe / maledicis O maledictis / utrinque O utrique / caverent et O om. / cesso

O Ab hoc ergo tempore Saxonicae Ecclesiae fuerunt tranquillores, nec unquam ad certamen disputationis provocatae.

- ⁹⁷ Postremum omnium cum Vasarhelyini trium nationum provincialium serenissimus princeps conventum, et quidem illum ultimum indixisset, inter cetera post gravissimas de reipublicae statu habitas deliberationes movet litem publice in templo cum pastore illius loci Franciscus Davidis de eadem re controversa in praesentia principis, ac multa incomposite et clamose egit. Cum forte fortuna incideret mentio dextrae Dei patris, pastor, a principe: Quid sit sedere ad dexteram Dei patris, iussus respondit: Esse, pari potentia et gloria regnare cum patre. Rex ad haec: Quis, inquit, hanc interpretationem docet? Respondet: Orthodoxi patres. Ibi e vestigio rex hanc vocem cachinno excipiens e medio indignabundus discessit.
- ⁹⁹ Altera die cum ad arcem Görgün dictam animi gratia exspatiaretur, carpento a via cursum deflectente, in truncum latus forte graviter impegit; inde insigniter laesus, paulo post concurrentibus multis aliis atrocissimis morbis, quibus alias tenerum corpus saepe obnoxium erat, non sine omnium maximo dolore planctu naturae concessit, eo praesertim anno, quo insani illi vertiginosi doctores, enthusiastis similes, scriptis etiam in publicum vulgatis, aureum illico saeculum sibi promittebant, fore, ut totus orbis Christianus in illorum sit consensurus dogmata, ac sic futurum unum pastorem et unum ovile.
- ¹⁰⁰ Quintus et postremus actus. Iam quae restant ad finem accelerans, brevissime Deo favente pertexam. Iohanne secundo per mortem immaturam ablato concordii omnium statuum et ordinum assensu et voto magnificus dominus Stephanus Bathoreus cum utriusque etiam caesaris approbatione regni principatum occupat. Cumque is sapientia, virtute, eruditione, pietate aliisque pacis ac belli artibus sui temporis paene omnes reges et imperatores longe antecelleret, initia sui regiminis feliciter auspicari a religionis cura peropportuno putabat. Iubet convenire praecipuos Saxonicarum ecclesiarum pastores ac ad confessionis Augustanae formulam, doctrinam ac ritus ecclesiasticos conformare ac attemperare. Iubet eligi superintendentem in locum pie in Christo defuncti domini Hebleri, qui consensum doctrinae et rituum cum tota disciplina ecclesiastica diligenter sua vigilantia et auctoritate tueretur ac conservaret, ne cuius, quod liberet, liceret.
- ¹⁰² Conticuere tunc omnes arianismi et anabaptismi adsertores, cum plerique omnes amplissimae dignitatis viri, qui a rege praefecturis donati erant summoque loco habiti, intra biennii spatium, aut circiter, non sine admiratione insperata morte abriperentur. Imo Caspar Bekes, qui basis et fulcrum eius factionis habebatur, ceterum vir bonus et de patria praeclare meritis, singulari Dei providentia in aliam migrare regionem coactus ecclesias nostras maximo tandem metu liberavit.

⁹⁷ Postremum O Postremo / omnium O om. / Vasarhelyini O Vassarhelii / conventum cod. Herm. ann. 1571 / indixisset O edixisset

⁹⁸ Cum O Cumque / iussus O dicere iussus

⁹⁹ Altera O Altero / Görgün O Görgön / gratia O causa / truncum U trivium / enthusiastis O enthusiasticis / illico O illud

¹⁰⁰ et O ac / Deo favente O uncis inclusa / pertexam O pertexam / ablato O sublato / et ordinum O ex ordinum / et voto O ex voto / Bathoreus cod. Herm. ann. 1571. 26. Maii / pietate O et pietate / ac belli O et belli

¹⁰¹ convenire O convenire Medieschinum / ac attemperare O et attemperare / ac conservaret O et conservaret / liberet O luberet / liceret O impune liceret

¹⁰² arianismi et anabaptismi assertores, cum plerique omnes O om. / omnes marg. O Arianismi et anabaptismi assertores, cum plerique omnes

¹⁰³ ceterum O cactera

- ¹⁰⁴ Accidit etiam, non sine singulari Dei iudicio, quod Franciscus Davidis, alias nullis dialecticorum laqueis vincibilis, cum Vertumno aut Protheo volubilius esset, ab una muliercula, propria nimirum sua uxore coarctaretur, adeo ut infamia publice notatus omnem sui existimationem apud omnes bonos amitteret. Tam tetra enim et horrenda illi obiecta sunt flagitia et quidem evidenter testibus efficacibus comprobata, ut uxorem ab eo divelli per divortium leges publicae admiserint. Hac fatali lucta aliquot annis mirum in modum paene ad rabiem usque exagitatus,
- ¹⁰⁵ omnem curam commiscendi et disseminandi haereses remisit et abiecit. Non multo post, cum serenissimus princeps ad Polonici regni gubernationem profectus esset, ac summa rei Transsilvanicae administrandae cum imperio illustrissimo heroi Christophoro Bathori divinitus omnium applausu obtigisset, fatali sic urgente necessitate, quam nec ferrum, nec murus arcere potest, Franciscus cum altum fere ubique esset silentium, etiam domino magnifico Christophoro Halmagio quoque sublato, in cuius potentia et auctoritate spem omnem adversarii sitam habebant, iterum ad priorem versus insaniam, peiora prioribus ausus, confingit theses, tanta blasphemia refertas, ut vel Turcas vel reprobos Iudaeos profanitate
- ¹⁰⁶ et scelerata impietate vinceret. Quibus docet: Christum non adorandum ac ad dextram Dei collocatum plane residuum et otiosum esse, nec ullas mediatoris partes explere, quas demum inchoaturus sit post huius saeculi consumationem; Christum ex Iosephi semine conceptum esse, — et his longe tetrora, quae ex professo ex alcorano desumpta approbat.
- ¹⁰⁷ Cum ergo a discipulis suis ex ore ipsius et scriptis excepta vulgo innotescerent, et a suo illo doctore Italo ad serenissimi principis cognitionem deferrentur, metuentes illi, qui harum rerum conscii erant, et primum strenui coadiutores, ne, si tam crassus error (ipsis consentientibus) in lucem erumperet, poenam incurrerent maximam, malunt ergo in tempore antesignanum suum ipsimet manifeste prodere,
- ¹⁰⁸ quam in apertum discrimen incidere. Ac merito illi accidisse putatur, quod in versu dicitur: Morum, quos fecit, praemia doctor habet. Detecto iam ac vulgato illo diabolico furore, die a serenissimo principe constituta, sub custodia diu per satellites principis in parochialibus aedibus Claudiopoli Franciscus detentus, Albam ante conspectum principis, regnicolarum et pastorum ecclesiarum utriusque nationis, qui magna frequentia eo ex serenissimi principis mandato confluerant, productus, cum rogatus esset, num illarum assertionum esset auctor, de quibus accusetur, ille cum negare non posset, respondit: se ab initio moti certaminis idem
- ¹⁰⁹ docuisse, quod alii, qui in ipsum iam solum fabam cuderent. Iussi ergo altera die ex ordine dicere sententiam ad hoc delecti, — damnatur, primum tamen omnium

104 iudicio *marg.* O A. 1572. 1. Maii eligitur superintendens D. Lucas Unglerus iuravit in Augustanam Confess. Huic Unglero successit D. Matthias Schiffbaumerus Neapolitanus Cibirii a. 1601 / Protheo U Prometheo / sua O *om.* / commiscendi O comminiscendi

105 serenissimus O potentissimus / Bathori O Bathoreo / obtigisset *cod.* *Herm. ann.* 1576 / etiam domino O *om.* / Halmagio O Hagymasio / sublato O tandem sublato *cod.* *Herm. ann.* 1577 / versus O reversus / theses *marg.* O Theses Franc. Davidis Iudaicus a. 1576 / vinceret O vicerit

106 residuum O residem / approbat O approbat

107 excepta O excerpta / Italo O stato / incurrerent O se incursum

108 accidisse O accidisset / Claudiopoli O Clauseburgi / serenissimi O *om.* / accusetur O accusaretur *cod.* *Ad. ann.* 1577

108 Morum quos fecit — ubi?

- a suis discipulis et ab Italo illo, ipsius primario doctore et praeceptore, tanquam blasphemus et novi dogmatis contra regni decretum inventor, dignus, in quem princeps pro suo arbitrio animadvertat, qui necis vitaeque potestatem divino et humano iure concessam habeat. His actis ab apparitoribus satis inkomposite et indecore tractatus in carcerem reducit. Triduo post Devam missus, omni salute ipsius iam absumpta et desperata, sub custodiam traditur, ubi continuo irrequietae conscientiae aestu horribiliter, fractis iam et prostratis omnibus corporis viribus, ceu furiis agitatus, per totum triduum sine respiratione horrendum ululans, communi sensu et ratione privatus miserrime vitam finit, ut vere de eo dici possit et similibus sacri numinis contemptoribus: Vitaeque cum gemitu fugit indignata sub umbras. O ambitio! O humani ingenii luxuriosa procacitas, infrenis indomitaque licentia, quid non mortalia pectora cogis! Et sic ecclesiis nostris accidit, quod divus Basilius de omnium piorum victoria in aeterna felicitate dicit: Quos antea velut leones timuimus, nunc velut pellem conculcamus.
- Haec est, venerandi viri, vera, perspicua et succincta praecipuarum vicissitudinum in causa religionis narratio, quae in nostro regno obtigere fere per quadraginta annos. Unde liquet, quanto miraculo coelestis verbi doctrina inter tot dissidentes nationes et tot opinionum monstra in hoc quidem mundi angulo, paene in mediis Turcarum faucibus constituto, inter tot bella civilia et regni periculosas mutationes singulari Dei providentia inchoata, propagata et in hodiernum usque diem viriliter et animose, immenso Dei beneficio piorum doctorum industria defensa et conservata fuerit, malorum tantorum architectis mirabiliter repressis et fatalibus poenis obrutis.
- Si quis haec humano consilio aut ope ullius creaturae confectum esse cogitat, dicet pari temeritate res Israëlitarum in Aegypto et deserto humanitus esse gubernatas, negabit liberationem Lothi ex Sodomae incendio aut Danielis e lacu leonum, Iona ex ventre ceti [liberationem] esse opus Dei miraculosum. Non autem mediorum profectum contulit huic difficillimo operi pia et sancta concordia et unio inter se docentium et coniunctio etiam politicorum virorum nostrae gentis, qui tanquam pii et vere nutritii ecclesiae in omnibus certaminibus et periculis praesto nobis adfuerunt. Inter quos honoris causa amplissimum virum, dominum Georgium Hechtium, consulem Cibiniensis quondam reipublicae compello, ut et dominum Georgium Chaeum, reipublicae Mediensis praesidem, qui dum eruditione et pietate excelleret miris modis, una cum clarissimo viro, domino superintendente, cuius, ut scitis, ecclesia prae omnibus aliis per totum regnum maxime ab Arianis molestissime infestabatur, coram principe et regnicolis summa cum prudentia et gravitate rem

109 ab O om. / animadvertat, qui O om. / concessam O sibi concessam / habeat O habeat et animadvertat

110 aestu O cestro / agitatus O exagitatus / finit cod. Herm. et Ad. am. 6. Iunii;

111 non O enim / dicit O dixit

112 in causa O causa / mundi O orbis / mutationes O mutationes nec non astutissimorum hostium insidiosas machinationes / immenso Dei O om. / industria O om.

113 confectum O confecta / ventre U ventro

114 pii et O pii ac / nutritii O ministri / certaminibus O illis certaminibus

115 amplissimum O clarissimum / Cibiniensis O Cibiniensi / ut O om. / dum O cum / eruditione et O eruditione ac

110 Vitaeque — Verg. Aen. XII, 952

111 Quos antea — ubi?

- iuvabat et provehebat, atque ita dulci coniunctione virium feliciter dimicatum fuit.
- 116 Benevolentia mutua et fida animorum coniunctione paravimus auximusque res nostras hactenus; eas porro stabilire et confirmare nonne iisdem artibus nunc maxime opus esse animadvertimus? Nondum enim extra periculum in portu nos navigare putemus; imminet enim tristiora prioribus, — quod omen Deus avertat!
- 117 Videtis, humani generis hostem sub forma magis plausibili venustam illam Laiden, veterem nempe pharisaismum nobis velle obtrudere, ut pro Iesu unico illo salvatore nostro ovina pelle vestitos iupos in gregem, pretioso sanguine Christi redemptum irrumperet et libere grassare tandem concedamus.
- 118 Sed his quoque nocentior pestis Stygiis sese extulit undis, nimirum quod multi, ingrati cuculi instar, piorum praeceptorum nostrorum sanae doctrinae genere pertaesi, scripta illorum velut insincera non solum in dubium vocant, sed rabiosis conviciis manes ipsorum etiam onerare non verentur, cuius foedae ingratitude et levitatis, imo corrupti iudicii multi reos se ostendunt, qui duorum praestantissimorum luminum, D(omini) Martini Lutheri et Philippi Melanchtonis scripta inter se in praecipuis quibusdam religionis Christianae capitibus hostiliter dissidere contendunt, ac inprimis Locos communes domini Philippi peremptoria censura
- 119 damnare ceu multorum errorum officinam sine ulla fronte audent. De quo tamen libro D(omini) Lutheri gravissimum iudicium toti orbi notum est: Nullum unquam librum a tempore apostolorum dexterius et eruditius esse scriptum, qui propius ad canonica scripta accedat, in quo doceat, pugnet, vincat et triumphet religionis causa Philippus, nec omnium patrum scripta, si in unum volumen conferrentur,
- 120 huic conferri posse. Pollicentur alii, corpus doctrinae Christianae se edituros, sanctissimo praeceptore repudiato et damnato totius argumenti opere. Quis ridiculus mus ex tam diu expectato montium partu nasciturus sit, docebit eventus.
- 121 Quantus candor, quanta pietas erat nostri praeceptoris dulcissimi in aliorum scriptis diiudicandis, naevis tegendis? Quod praeclari illi Chamitae, verenda patris sui non occultantes, sed aliis prodentes, non faciunt. Non ex una vocula falso praesertim detorta de toto libro aut genere doctrinae mox iudicandum esse, quis non videt, nisi velint insulsi illi Midae vulturibus similes perhiberi, qui sanarum ovium gregibus neglectis cadaveribus insident, ea vellicant et crudeli morsu depascunt, aut impuris muscis, quae sana corporis parte contempta purulenta atque carcinomata rostro impetunt.
- 122 Censentur inepti iudices, qui elegantem picturam ob exiguum lineam, paulo inegantius ductam plane reiiciunt; multo magis candor et modestia Christiano homine in his summis rebus aestimandis non praetermittendus erat. Quin potius omni contentione pugnante fratres, ut laudem constantiae in conservando sanctis-

116 quod ... avertat O *verba uncis inclusa*

117 generis O ingenii / grassare O grassari

118 nostrorum O nostrum / imo O imo et / se O se esse / duorum praestantissimorum luminum O duo praestantissima lumina / Martini O *om.* / Lutheri et Philippi O Lutherum et Philippum / Melanchtonis scripta O *om.* / inter O intra

119 religionis O in religionis / omnium O omnia / conferrentur O conflarentur

120 sanctissimo praeceptore O sanctissimi nostri praeceptoris / totius O eius / sit O scit

121 diiudicandis O indicandis / Quod O Quid / praesertim O praesertium / de toto O alio de toto / purulenta U prurulenta O *om.* / impetunt O impetunt contactuque foedant

122 homine O homini

120 ridiculus mus — Hor. Ars poet. 139

121 Chamitae — cf. Gen 9,22

- simo piorum nostrorum praeceptorum deposito (hae enim verae sunt sanctorum reliquiae, longe maiori veneratione dignae, quam quas papistica vanitas tantopere
¹²³ ostentat) eoque ad posteritatem integre et pure transmittendo retineatis. Quod cum ingenti exterarum gentium admiratione hactenus fecistis, quod et deinceps vestra cum laude et patriae regnique decore et emolumento, nec non nominis Saxonici per totum orbem Christianum nunquam defectura gloria, regni etiam et populorum atque omnium statuum incolumitate et omnium isthaec operantium in vero timore domini salute deinceps quoque praestabit.
- ¹²⁴ Iam canam receptui, vosque fratres frater, amicos amicus impense atque summo-
 pere oro, ut si quae forte verbosius, ubi non opus erat, vel contractius, ubi fusius
 dicendum fuit, dixi, candide et fraterne interpretemini. Varietas et copia rei, tot
 annorum spatio gesta, quemadmodum audivistis, et animum et memoriam [ut]
¹²⁵ et orationem propemodum turbavit. Quorum etiam bene meritorum de ecclesia
 Dei et literarum studiis forte nomina hic non inserui, aut minus, quam par erat,
 laudis attribui, sciant me dicto illo commonefactum: In faciem laudare est adulari,
 consulto abstinuisse, nihilominus aliam commodiorem captaturum in dies occa-
 sionem, quo cumulatus id a me praestetur.
- ¹²⁶ Quod superest, ex naufragio liberatorum cum Paulo exemplum consideremus,
 qui pietati et precibus Pauli acceptum habebant, quod divinitus servati evasissent.
 Ita donec Pauli, prophetarum et reliquorum apostolorum doctrinam patria nostra
 (inter tot tempestatum fluctus iactata) vehet, sonabit, amabit et sinceram conser-
 vabit, tuta et salva erit ab omnibus inferorum portis; non autem si commota vario-
 rum hominum fallacia somnia admiserit, cum vere dictum sit de discrimine verbi
 Dei et hominum nugis: Textus durabit, glossa peribit iners. Dixi.

122 enim O om. / maiori O maiore

123 Quod O Quid / vestra O immortalis vestra / decore O decore / nec non U nec / Christianum
 O abbr.

124 summopere O cunctis / quae O quid / fuit O erat / dixi O dixerim / ut O om.

125 laudis O laudes / captaturum O captaturos

126 consideremus O confideremus / habebant O debebant / commota variorum O commenta
 vanorum / fallacia O et fallacia / Textus cod. Pöhl. Verbum

126 ex naufragio — Act ap 27,15—44
 Textus durabit — Walther: Prov. 31403

XI. ENARRATIO
PSALMI XC. VITAE HUMANAЕ MISERIAM ET
FRAGILITATEM DEPINGENS:
SAEVISSIMA PESTILENTI LUE GRASSANTE
PER TOTAM TRANSILVANIAM, ALIQUOT PIIS ET
SALUTARIBUS CONCIONIBUS EXPLICATA

1. Epistola dedicatoria:

Serenissimo atque inclito principi D(omino) Christophoro
Bathoreo vaivodae Transylvaniae et Siculorum comiti, nec
non verae ecclesiae Dei fautori, domino clementissimo
Salutem et omnium rerum felicem
successum precatur

- ¹ Hortatur D(ivus) Paulus Corinthios, ut mortis Domini memores ad finem usque seculi eam in ecclesia annuncient, crebraque huius recordatione fidem excitent ac confirmet, qua huius et secuturae vitae aerumnas vincant ac superent.
- ² Hoc enim tristissimo spectaculo in cruce pendentis et morientis filii Dei homines non prorsus ἄθροϊ commonefacti, non solum ingens irae divinae incendium adversus totius mundi scelera agnoscunt, et Deum offensum vera poenitentia placare student, immundiciam suam veris gemitibus deplorantes, sed etiam immensam et inenarrabilem illius misericordiam intelligunt, tantopere diligentis genus humanum, ut filii sui unigeniti morte redemptum aeterna vita et perpetua felicitate frui voluerit. Unde ad amorem, invocationem, gratiarum actionem et veram obedientiam ipsi praestandam astringuntur. Quae unquam beneficia maiora generi humano exhibere Deus potuisset? suamque ardentius declarare bonitatem, quam cum pro servis redimendis filium suum unigenitum lanienae saevissimorum obliicit hostium? Quae maior unquam et efficacior consolatio animo concipi potest contra sensum peccati et horrores mortis aeternaeque damnationis, quam ex dilectione ardentissima coelestis patris in filii sui missione declarata, quam Paulus tantopere commendat, ut nihil, dicat uspiam, vel in coelo, vel in terris, quod nos ab ea separare possit unquam, sive in hac, sive in futura vita, Rom. 8.
- ⁴ Atqui cum insignem hanc et illustrem gloriationem favoris et gratiae divinae erga pios maxime obscurare et extenuare, tristissima facies ecclesiae cruci et calamitatibus multisque infirmitatibus et scandalis in hac vita expositae et obnoxiae videatur: vix ut ab impiis externo habitu discerni possit, operae precium facturus videor, si in eadem historia passionis Christi totius ecclesiae typum usque ad finem mundi luculenter expressum breviter indicavero, ut ex hac consideratione, sicut Paulus monet, in his postremorum temporum turbis et confusionibus nos consolemur, erigamus et sustentemus.

2 gemitibus T gemitibus

3 lanienae T lansena

1 Hortatur Paulus — I. Cor 15,1—58

- ⁵ Ut enim contra Christum innocentem et omnibus bene cupientem tota cohors potentum et plebis, ecclesiastici et politici status Iudaeorum et gentium insurgit, fremit et tumultuatur iuxta secundi psalmi vaticinium, et odio doctrinae illius castigantis impietatem illorum et monstrantis veram salutem non nisi eius merito et obedientia cuiquam conferri: ita potior et florentissima pars generis humani, praedita potentia, opibus, honoribus, autoritate et tumidis titulis, quod sint, quibus ecclesiae cura prae aliis maxime sit commissa: tam civilis, quam politici
- ⁶ status oppugnet Christum et eius verbum. Sapientes huius mundi stultitiam cum ratione pugnantem verbum Dei esse calumniabuntur. Potentes seditiosam appellabant, ut quae dissidere faciat invicem reges et subditos, filios cum patribus, matres cum filiabus, sicut et Christus ipse dicit: Non veni mittere pacem, sed gladium. Hypocritae omnem divinitus praeceptum cultum aboleri, disciplinam maiorum institutis sancitam laxari ac fenestram multis sceleribus patefieri vociferabuntur.
- ⁷ Sicut prophetis cum regibus Iuda, Christo cum pharisaeis, apostolis cum pseudo-christianis idem semper fuit certamen, cum opera ipsorum electilia quantumvis splendida et sumtuosa acriter reprehenderent: nobis idem nunc accidit, dum fidei iustificationem ex consensu universae prophetae et apostolicae scripturae (quem Petrus Act. 10. citat: Huic omnes prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum in nomine eius, quotquot credunt in eum) docemus, ac reprehendimus omnes humanas traditiones, a quibuscunque aut quocunque tempore in ecclesiam, praeter scripturae sensum introductas, nimirum invocationes sanctorum, beatae virginis cultus, vigiliis, peregrinationes ad reliquias
- ⁸ sanctorum, hypocritica ieiunia et totum pharisaismum veterem et recentem. Alii Epicureis similes humili specie offensi, aut cruce hanc professionem sequente deterriti contemptui et ludibrio Christum habebunt, cum mundus suum potissimum quaestum etiam in religionis causa quaerat et sectetur.
- ⁹ Sicut discipuli in summis Christi pavoribus et lucta cum morte et toto regno tenebrarum, toties in horto mortem deprecantis, somno victi, non eam attentionem et ardorem ad precandum habent, uti Christus requirebat: ita securitas postremorum temporum notatur, ubi in salutis negotio maxima pars etiam eorum, qui membra sunt ecclesiae, segnius et remissius vigilabunt. Atque ideo saepius opus habebunt hac commonefactione: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.
- ¹⁰ Ut Iudas vigilans promptus et expeditus est ad prodendum et vendendum Christum, suum praeceptorem et quidem sub praetextu amicitiae osculum illi offerens: ita hypocritae postremorum temporum sub larva et specie angelicae sanctimoniae, spe lucri, honorum, potentiae, opum et voluptatum veritatem euangelii prodent, et sub agnina pelle lupos rapaces occultabunt, artem parasiticam gnaviter exercentes. Sed Iudae tandem mercedem consequentur.
- ¹¹ Ut Pilatus, Caiphas et Herodes alias inter se dissidentes in hac conspiratione contra Christum consentiunt: ita complures potentes huius mundi a Turca dissidentes et hac in parte strenue operas inter se ad veritatem euangelii delendam et extirpandam conferent. Videmus enim non minus persecutionum piis imminere

7 electilia T electitia

8 potissimum T polissimum

5 iuxta vaticinium — Psal 2,1—13

6 Non veni — Matth 10,34

9 Vigilate — Matth 26,41

ab iis, qui titulo verae ecclesiae gloriantur, quam a Turcis aut aliis barbaris gentibus.

¹² Quemadmodum Pilatus, ut caesaris benevolentiam retineat et in officio contineatur, nec vulgo sit despectui, Christum licet innocuum condemnat et patibulo adiudicat: ita haec aulica erit prudentia sese ad navis flatu felicius inclinare et pro palato dominorum suorum miscere iura et attemperare consilia ad eorum voluntatem, a quibus aliquid commodi habere possunt, licet reclamet conscientia, et perpetua formidanda ipsis sint supplicia, sicut multi hoc tempore faciunt.

¹³ Adhaec velut Simon Cyrenaeus ut adigitur ad ferendam crucem, cum nullo suo merito, civiliter loquendo, id fieret. Non enim de ullo crimine accusatus, nedum condemnatus erat: ita pii multa adversa pati cogentur propter Christi confessionem, non tanquam fures aut seditiosi, quorum vitam si alias cum sceleratissimo mundi ingenio contuleris, quibus ille non parricidiis, adulteriis, furtis et latrociniiis contaminatus est, ut si ad exigendam poenam Deus acceleret, quae fulmina? quis infernus sufficeret? Quae crux eo sit suavior et tolerabilior, quo Christi eam esse, non nostram, scimus, ac nos non in ea morituros, sed Christum, qui in ipsa expiavit totius mundi et nostra peccata, qui et in nobis patitur, quoties pro veritate evangelii persecutionem patimur, sicut inquit: Saule, Saule, quid me persequeris?

¹⁴ Item, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, Zach. 2. Estque in summis persecutionibus hoc efficacissimum solatium, cum bene nobis conscius sumus, immerito nos odiis et suppliciis gravari et affici, ac socium aerumnarum habere eum, qui potior est toto regno tenebrarum.

¹⁵ Praeterea vestium Christi divisio significat fore raptos et sacrilegos tyrannos, qui reducti ad sacri ministerii evangelici et honestarum artium ac disciplinarum conservationem et propagationem, piorum regum munificentia et liberalitate ordinatos, in prophanos usus sint conversuri ac operam daturi, ut famelicus Lazarus desertus et inedia consumptus pereat: tantum abest, ut de suis aliquid conferre et erogare cupiant. Significatur etiam haereticos scripturam falsa et violenta interpretatione, pro suo libitu in hanc vel illam sententiam detorsuros, ut suorum errorum pallium obtendant, et quoquo modo imperitis et incautis fucum faciant.

¹⁷ Maxime vero omnium digna est consideratione duorum latronum exemplum, qui cum Christo supplicium patiuntur. Hi totius humani generis imaginem referunt. Sinister, qui Christo conviciatur, et nullis quantumvis stupendis totius naturae compatiens Christo prodigiis, nec morte ipsa, nec Christi concionibus, nec socii poenarum admonitione et reprehensione ad peccati cognitionem et vitae emendationem gratiaeque Christi implorationem permoveri et flecti potuit: omnium impiorum est typus, qui in delictis contra conscientiam perseverantes nullis promissionum delinimentis, nullis etiam comminationibus aut poenis ad sanio rem mentem, ut resipiscant, adduci possunt, sed scientes, videntes et volentes perseverant in delictis, et gravissimorum onerum peccati et calamitatum mole oppressi Deum maledictis incessunt, et desperatione fracti horribiliter pereunt. Ac ut in versu dicitur: Vita ipsorum cum gemitu fugit indignata sub umbras.

12 flatus T lactus

17 et nullis T et nullus / compatiens T conpatientis

13 Saule, Saule — Act ap 9,4

17 in versu — Verg. Aen. XII, 952

- ¹⁸ Econtra ad dexteram pendens imago est verorum membrorum ecclesiae: licet is quoque reus esset scelerum ac eiusdem propterea supplicii socius, tamen vel Christi aliqua antea audita concione, vel totius naturae inusitata facie, Christi patientis innocentiam contestantis, motus peccatum suum agnoscit et confitetur, seque merito plecti affirmat, et in supplicio ferendo ostendit patientiam, vera interea fiducia ad Christum supplicii socium confugiens, quem pro suo et totius mundi peccato velut victimam iram Dei placantem apprehendit, eumque ceu mediatorem invocat, et regem aeternum fatetur, qui post exantlatas huius vitae misérias aeternum possessurus sit regnum, idque etiam daturus sibi et omnibus
- ¹⁹ ad ipsum fugientibus. Adhaec fit concionator, enarrans prophetarum de beneficiis Messiae aeternis vaticinia, et convitia adversarii seria et gravi oratione refutat. Ideo post petitionem: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum, audit
- ²⁰ hanc consolationem: Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiso. Ex hoc typo perspicuum est impios perseverantes in peccatis et beneficia Christi irridentes et repudiantes, aeternis cruciatibus afficiendos esse. Pios vero poenitentiam agentes et ad meritum Christi confugientes aeternae vitae gaudia cum Christo et omnibus
- ²¹ electis Dei possessuros. Ac ut multi futuri sint, partim blasphemi, quales Iudaei et latro sinister, multi etiam timidiore, quam ut aperte ausint in tanta perturbatione suam edere confessionem et refutare hostes Christi, quales erant apostoli, qui vel ipsum negaverant, vel fuga sibi consuluerant, vel alioqui taciturni et tristes spectatores supplicii erant, et animo compatiebantur, velut Maria et Ioannes, tamen omnib(us) temporibus Deus excitabit suos praecones, qui ipsum lingua, scriptis et quocunque tandem modo contra omnes tyrannorum et diabolorum furores confitebuntur, eiusque gloriam propagabunt et illustrabunt. Quemadmodum omnibus
- ²² temporibus, ab origine mundi exempla Noe, Lothi, Eliae ostendunt. Nec abs re et illud historia passionis commemoratur, quod matrem suam Christus Ioanni commendat, et Ioannem vicissim matri. Significat enim ecclesiam opus habere piorum gubernatorum, defensione et nutritione in maximis persecutionum fluctibus, quorum eleemosinis sustentetur et alatur, et consolatione docentium verbum Dei, contra omnes terrores et tentationum procellas erigatur et confirmetur.
- ²³ Ubi vicissim pii ecclesiae benefacientes, quibuscunque tandem officiis possunt, experientur se velut a matre admatos et quasi ubere lactatos atque altos. Confert enim benedictionem multiplicem iis regnis, quae hospitium praebent ecclesiae, pacem videlicet, successum in rebus agendis, victoriam contra hostes et his maiora, agnitionem Dei, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et haereditatem vitae aeternae, iuxta promissionem: Benedicam benedicientibus tibi. Sicut propter Ioseph toti Aegypto benefecit. Et viduae Sareptanae, quae Eliae diverticulum praebuit. Et Iudaeae dum Christum docentem foveret. Et nostro tempore Germaniae urbibus opulentissimis propter evangelii professionem. Nostrae etiam patriae nidulo benefacit, quae sedes est verae doctrinae, contra Turcarum immanem crudelitatem ipsam tam diu defendens ac conservans.
- ²⁴ Accedit huc et exemplum duorum illustrium et insignium virorum, qui in hac ipsa historia proponuntur, Iosephi nimirum Arimathiensis et Nicodemi, qui et

19 Domine, memento — Luc 23,42—43
Amen dico — ibid.

23 Benedicam — Gen 12,3

24 viduae Sareptanae — I. Reg. 17,9; Luc 4,26

- ipsi non consenserant in necem Christi, licet furores Iudaeorum reprimere minime potuerint. Hi etiam aliquid ex suis facultatibus ad cohonestandam Christi sepulturam conferunt. Ita et deinceps ad finem usque seculi cum ecclesiae Christi agetur, quae illius mysticum est corpus, erunt aliquot summae dignitatis viri, qui horum exemplum et magorum liberalitatem, Christi cunas muneribus cohonestantium, imitabuntur, et ad ecclesiae et piorum docentium ac discentium coetus alendos aliquid ex suis opibus conferent, et in urbes illorum intrare volenti per euangelii sui praedicationem portas velut regi gloriae patefacturi, et vestes, quemadmodum Ierosolymam eunti in die Palmarum factum est, substraturi. Quales olim fuere, quamvis pauci, aliquot reges Israelii, Carolus Magnus, Constantinus et nostro hoc aevo illustrissimus heros Ioannes Fridericus, dux Saxoniae, elector.
- ²⁷ Postremo sicut Christus erumpit ex mortis et inferni laqueis invitis omnibus suis hostibus, et in coelum ascendens aeterni regni felicitate perfruitur, ac Spiritum sanctum largitur suis apostolis, quos linguarum variarum cognitione imbutos et miraculorum edendorum dono ornatos, ingentia illa beneficia per totum orbem iubet evulgare et poenitentiam agentibus remissionem peccatorum et vitam aeternam gratis propter nomen eius annunciare; deletis paulo post hostibus, generalis urbis, populi et totius politiae Iudaicae cum perpetuo exterminio, quod 40. post anno acciderat: ita dominabitur hic rex aeternus in medio inimicorum suorum, etiam in hac vita per verbum, cuius veritas invicta manebit, et aliquas sinet esse reliquias huius coetus, quos defendet, et iis hospitium largietur, licet fremat orbis et Orcus, quos tandem aeternae vitae gloria ornabit, abiectis et deletis funditus hostibus ecclesiae, Diabolo, peccato, morte et inferno, cum omnibus tyrannis, hypocritis, haeticis, Epicuraeis et aliis Diaboli larvis et impietatum instrumentis.
- ²⁸ Recensui, quantum in hac concisa brevitate fieri potuit, praecipua historiae puncta Passionis Dominicae, quae in Christi exemplo totius ecclesiae faciem repraesentant, praesertim horum postremorum temporum: ut pii nec paucitate, nec cruce oppressae, nec desertae, ut putatur, nec scandalis et multis infirmitatibus deformatae deterreantur, ut castris filii Dei desertis, cum Diabolo et mundo
- ²⁹ paciscantur. Sed hac imagine adhuc hodie Christi patientis in membris suis, sese consolentur, fore hunc tandem gloriosum exitum militantis ecclesiae, qui fuit Christi triumphantis et omnium eorum, qui maximo iubilo et tripudio cum eo in coelum visibiliter 40. post resurrectionem illius die ascenderunt, ubi perpetua laetitia fruuntur.
- ³⁰ Porro ut dicendi finem faciam, has conciones in psalmum 90., qui Mosi omnium prophetarum antesignano asscribitur, tibi clementissime Princeps dedicare volui: cum propter argumenti suavitatem, elegantiam et insignem utilitatem, qua te potissimum delectatum iri confidebam, in tuis illis magnis regni occupationibus,
- ³¹ et corporis adversa valetudine, quacum saepe colluctaris. Proponit enim velut in illustri pictura, totius humani generis calamitates et infinitas miserias, morbos, vitae brevitate, afflictiones animi, metum mortis et aeternae damnationis, quibus propter peccatum universus mundus constrictus et oppressus tenetur: Deo horribiliter irascente et redigente in nihilum omnes filios Adae.

27 erumpit T perumpit

30 quacum T qua cum

- ³² Ad haec monstrantur efficacia remedia, videlicet agnitio misericordiae Dei infinitae, per Christum mediatorem promissae, omnibus ad se velut arcem munitam confugientibus. Cum is sit aeternus et omnipotens mortis, morborum et Diaboli dominus, mitigans poenitentiam agentibus calamitates, sibi per orbem universum ad extremum usque iudicium in genere humano populum aliquem per evangelii praedicationem colligens, cui gloriosa et magnifica sua opera etiam in hac
- ³³ vita ostendat, ac tandem aeterna felicitate cumulet. Praeterea cum illustrissima Cels(itudo) vestra serio verae religionis cura se affici manifesto nuper exemplo sit contestata, in dissidio Arriano, dum blasphemias horrendas in filium Dei, toti nomini Christiano invisas publica actione synodica, cui praesens adfuit, convocatis passim undique doctissimis et pientissimis viris, compescere et e medio tollere ac vulnera ecclesiae sanare constituerit, Deoque propitio non parum profecerit, ac nunc etiam Saxonicas ecclesias in hoc regno priscis suis privilegiis liberaliter gaudere permittat, quis non Cels(itudinem) tuam antiquis illis heroibus annumerandum censeat, qui veri nutritii ecclesiae fuisse perhibentur; ac non omni conatu desudet, ut quacunque grati animi significatione immortalia tua merita piis Deoque
- ³⁴ accepta esse declarare contendat? Accipe igitur, clementissime Princeps, has lucubrations iucundo et sincero animo, tristissimo pestis tempore inter medias mortis angustias publice ad populum habitas, easque ut patrocinio tuo fulcias ac tuaris,
- ³⁵ humillime et suppliciter I(llu)strissimam C(els)itudinem T(uam) obsecro. Quod superest, clementissimo Deo Cels(itudinem) T(uam) commendo, cui in languida aetate tua iam senescentis ecclesiae vocem, quae psalmo 70. extat, quotidie occinere, quae tua est pietas, non dubito: Ne proicias me in tempore senectutis meae, et cum defecerit virtus seu robur meum, ne derelinquas me.

Vestrae Cels(itudini) humillime subditus
 Christianus Schesaeus
 pastor ecclesiae Mediensis

2. Explicatio psalmi XC.

Prima concio

- ¹ Tanta est vitae humanae miseria et fugacitas, ut si spe aeternae beatitudinis et immortalitatis consequendae destitueremur, merito atque optimo iure illud Sileni poetae dictum ceu vero simillimum approbaremus: Optimum non nasci,
- ² aut quam celerrime aboleri. Videmus enim cunctos fere mortales, a primordio ortus sui ad ultimum usque vitae occasum, innumeris periculis et calamitatum procellis expositos, labore continuo confici et dolore consumi, ut privatas singulorum aerumnas taceam, morbos, paupertatem, exilia, contemptum, ignominiam, odia,

32 Ad haec T Adhaec
 33 accepta T accepta

¹ Optimum non nasci — Theognis: Gnomae 425; 427; Cic. Tusc. d. I, 48; Plin. Nat. h. VII, 4; Lactantius: Inst. div. III, 19, 13; Auson. Ecl. III, 2, 48—54; Brandolinus L.: De humanae vitae conditione dialogus; cf. Fv 57—58

- persecutiones et similes molestias, quas subinde experiri et ferre coguntur. Publica profecto vulnera maiora sunt et atrociora, quam ut satis intelligi aut ullis querelis et lamentis a quoquam in tanta securitate et humanarum mentium stupore commemorari et deplorari possint. Conspiciuntur omnibus mundi aetatibus nunc hic, nunc alibi in genere humano horribilium poenarum exempla, ubi fame, bello, variis morborum generibus, incendiis, seditionibus potentissimae urbes amplissimaeque interdum regna cum innumeris gentibus pereunt ac funditus delentur. Ante annos trecentos tam horrenda lues pestilentialis per totam Europam vagata est, ut vix tertia pars hominum superstes manserit. Memoratur inter caetera in Catalogo prodigiorum mundi, ex pestis saevitia decem dumtaxat homines Romae anno Christi 1213. incolumes evasisse. Autor est Bergomates in supplemento Chroniconum, anno Christi 727. in urbe Byzantina, cum triennali obsidione a Saracenis premeretur, tercentum millia hominum extincta esse. Tempore Davidis intra triduum septuaginta millia periere. Nota est et Attica calamitas ab hoc genere morbi orta. Quantus denique malorum concursus Iudaicam gentem in ultimo urbis Solymae excidio opprimeret, animus meminisse horret luctuque refugit.
- Nunc autem vetera et peregrina omittam, nostra quoque tempestate iram et iudicium Dei adversus mundi flagitia horribilis eadem plaga satis superque declarat, latissime enim per totam Transylvaniae provinciam serpit, et quidem tam celeri impetu et immani rabie in omnis aetatis, sexus conditionisque homines promiscue bacchatur, ut vix decimus quisque hac contagio infectus convalescere, mortisque miserabilis laqueos declinare et evadere possit. In tanto vero periculo, propter mortis crebrum conspectum horrore et trepitatione plenissimo, mirum in modum anxii et solliciti sumus, quid de nobis ipsis, coniugibus et liberis, cognatis et amicis futurum sit, quo pacto fortunis, rebus adeoque saluti communi quam rectissime tutissimeque consulamus, ne vel facultates dissipatae a iustis haeredibus per violentiam aut fraudem abalienentur, aut negligentia et ignavia, vel curiositate et temeritate ultro nobis incauti exitium accersamus. Alii fugae praesidio alibi sibi latebras et receptus quaerunt, medicorum istud *προφυλακτικόν* tutissimum, ut arbitrantur, secuti:

Haec tria tabificam pellunt adverbia pestem:
Mox, procul et tarde caede, recede, redi.

- Nonnulli extremam falsa inter gaudia noctem agentes ex animis metu et sensu mortis consternatis formidinem helluando et ludendo excutere et profligare contendunt. Sunt, qui nulla vel reverentia sanguinis aut cuiuscunque arctae necessitudinis vinculo amicorum moti e vita sublato cuperent, ut ipsorum opibus, praediis totaque rei familiaris supellectile potiri perfruique valerent. Pauci admodum

4 in Catalogo prodigiorum — Goldwurm: Wunderz. p. 121; Calendarium Historicum, 1554. p. 23v; Hermann: Ann. Eccl. p. 26

5 in urbe Byzantina — Bergomates: Supplementum supplementi Croniconum. Venetiis 1506. p. 253

Tempore Davidis — II. Sam 24,15; Goldwurm: Wunderz. p. 121v

Solymae excidio — Ios. Flav. Bell. Iud. VI

meminisse horret — Verg. Aen. II, 12

8 Haec tria — Walther: Prov. 10612

veram secum sobrie et prudenter ineunt rationem, ut causas tantae calamitatis cogitent, aut quibus animis praesens excipiant periculum, patienter tolerant, Deique numine propitio viriliter et animose vincant.

- ¹¹ Quocirca cum id nostri sit muneris et officii, ut irae et iudicii divini poenis consideratis vos ad seriam poenitentiam et vitae emendationem sedulo et fideliter cohortemur et excitemus, ne in nos culpa neglectae salutis vestrae recidat (sumus enim speculatores, quorum est hostilem gladium urbi imminentem diligenti praemonitione civibus patefacere, ut saluti ipsorum et rebus consulatur). Ex composito deliberatoque iudicio decrevi publice aliquot concionibus explicare psalmum 90., quo in tota sacra scriptura nihil nervosius evidentiusque extat, cum in deploranda miseria et humanae conditionis fragilitate, tum in causis recensendis calamitatum, morborum et mortis, quaeque iis adhiberi debeant et opponi remedia, vera nimirum et ardens invocatio divini nominis, cum seria ad Deum conversione, pro mitigandis, sanandis et avertendis hisce malis. Nihil autem mortales sanae mentis ad recte, moderate beateque vivendum magis movet et impellit, quam diligens et crebra mortis meditatio: (quam et ethnici summam philosophiam esse dixerunt). Sicut Syracides 7. cap. inquit: Memorare novissima, et in aeternum non peccabis. Et in hoc ipso psalmo orat Moses: Domine, doce nos, ut sciamus numerum dierum nostrorum, ut ambulemus corde sapienti. Cumque incertum sit, ubi locorum nos mors expectet, parati simus illam omni loco et quovis momento expectare in vera ad Deum conversione, invocatione certaue divini auxilii fiducia Christum mediatorem, de qua dicit Salvator: Qui credit in me, mortem non videbit in aeternum, in iudicium non venit, sed transibit a morte in vitam, Ioan. 5. Nunc pauca de authore et argumento huius psalmi, velut inscriptio habet, dicemus.

¹⁵

Oratio Moysi viri Dei

- ¹⁶ Author huius psalmi est Moyses, vir Dei, divinitus speciali vocatione ad munus propheticum excitatus, per quem Deus multa admiranda et stupenda edidit miracula in Aegypto et deserto, aliaque salutaria opera, non solum tunc populo Israelitico necessaria, sed toti ecclesiae ad mundi usque finem maxime profutura. Non autem privato instinctu, sicut et alios Dei homines locutum esse, sed ex Spiritu sancto d(ivus) Petrus testatur. Ac ut sol reliquorum luminum est moderator, ita hic est prophetarum et apostolorum omnium fons, unde oracula et conciones suas hauserunt. Sicut et Christus saepenumero ad Mosis et prophetarum vaticinia provocat, cum de passione sua et resurrectione regnoque spirituali et aeterno discipulis suis concionatur. Nec vult Deus aliam doctrinam de religione et vero Dei cultu spargi in ecclesia, quae huic sit contraria. Ideo dicitur Esai. 8.: Ad legem et ad testimonium, si non dixerint iuxta verbum hoc, non videbunt auroram matutinam. Item: Habent Mosen et prophetas, audiant illos. Non ergo respuunt Mosen, sed Spiritum sanctum, qui furenter huius verbis fidem derogant, aut de iis levite;

13 ethnici — Plato, v. Hieron. Epist. ad Heliod.; Socrates, v. Cic. Tusc. d. I, 30,74
in hoc ipso psalmo — Psal 90,12 (Locus cum Vulg. et Sept. non consentit!)

14 ubi mors expectet — Sen. Epist. 26,7

15 Oratio — Psal 90,1

17 Petrus testatur — II. Epist. 1,21

18 Habent Mosen — Luc 16,29

- ¹⁹ sentiunt, vel contemtim et scurriliter loquuntur. Huius prophetae praeconium d(īvus) Basilius in Exaimeri principio (primum caput Genesis enarrans) splendide et eleganter recitat: Caeterum priusquam verborum acumen expendamus, et quanta sint, parvarum harum vocum significationes perscrutemur, consideremus, quis sit, qui nobis dicit, quo etiam si scriptoris acumen non assequamur propter intellectus nostri debilitatem, tamen ad fidem ac dignitatem dicentis intenti, sponte
- ²¹ ad assensionem dictorum perducamur. Moyses itaque est, qui hoc nobis historiae scriptum proponit. Moyses ille, qui probitatis testimonium, dum adhuc sub mammis haereret, a Deo accepit, quem adoptavit filia quidem Pharaonis, verum regaliter educavit. Sapientibus ex Aegyptiis ad erudiendum ipsum praeceptoribus prae-
- ²² fectis, qui tyrannidis fastum odio habens et ad cognatorum suorum humilitatem decurrens maluit cum populo Dei mala tolerare, quam temporariam peccati fruitionem habere, qui amorem ad iusticiam ex ipsa natura nactus est, quandoquidem etiam priusquam populi principatus ipsi committeretur, videtur ob naturae suae
- ²³ in malos odium usque ad mortem malos persecutus esse. Qui fugatus est ab his, quos beneficiis affecit, et Aegyptios tumultus ultro reliquit, et Aethiopiam accessit, illicque ab omnibus ferias agens per totos quadraginta annos speculationi veritatis vacavit. Qui octogesimum iam natus annum vidit Deum, quantum hominem videre possibile est, imo quantum nulli alii datum est, iuxta ipsum adeo testimonium Dei, Num. 12. Nempe si contingat propheta vester Domino, per visum ipsi cognoscar, et in somno ipsi loquar, non sic velut servus meus Moses, in tota
- ²⁴ domo mea fidelis est, ore ad os loquar illi in specie et non per aenigmata. Hic itaque qui ipsam faciem Dei aequaliter cum angelis videre dignus factus est, et quae a Deo audivit, nobis recenset. Audiamus ergo verba veritatis non in humanae sapientiae persuasionibus, sed in doctrinis spiritus prolata, quorum finis non est audientium collaudatio, sed eorum, qui docentur, salus. Hactenus Basilius.
- ²⁵ Titulus est, quod sit oratio, in qua ab initio toti generi humano divinitus praestitorum beneficiorum recordatur, eaque grata mente ac voce praedicat. Deinde ingentem molem calamitatum praesentis et secuturae vitae, quibus non solum illius temporis populus premebatur, sed et totum genus humanum obnoxium est ob varia et enormia scelera, mitigari et prorsus tolli ac restitui veram laeticiam et aeternam vitam, a Deo ecclesiae suae gubernatore et opitulatore veris gemitibus
- ²⁶ et ardentibus votis precatur. Quia vero Deus invocari vult, eoque praecipuo cultu impense delectatur, ac certo exauditionem vere ipsum invocantibus promisit, nec validiora nobis arma adversus Diabolum, morbos, mortem et omnis generis mala attributa sint, nostrae quoque assiduae et innumerae calamitates ad orandum exuscitent atque cohortentur: huic unico et firmo, velut asylo et sacrae anchorae, praesidio totis viribus inniti decet. Nam ut pie dicitur: Preces et lachrimae sunt arma ecclesiae.
- ²⁷ Quatuor sunt partes huius psalmi
1. Dei providentia erga ecclesiam suam semper declarata commendatur, ipsiusque omnipotentia et aeternitas.

26 exauditionem T exaudationem

19–24 Basilius recitat — Hexaemeron I, 1

22 ad erudiendum — Act ap 7,22

ad mortem — Philo: De vita Moysis I, 8

2. Respectu eius aeternitatis, immutabilitatis et omnipotentiae: infinita imbecillitas, miseria, inconstantia et fugacitas humanae vitae describitur.

3. Causae tantarum miseriarum et efficacia remedia iis opponenda recensentur.

4. Fit ardens et seria deprecatio pro mitiganda avertendaque ira Dei a populo misere ingenti aerumnarum mole oppresso, totaque ecclesia ad finem usque seculi defendenda et gloria aeterna vitae ornanda.

Domine, habitaculum tu factus es nobis a generatione in generationem.

- ²⁹ Trepidat mens mole aerumnarum oppressa, ideo horribili odio adversus Deum fremens in blasphemias ruit, vel desperatione frangitur, aut ad inconcessa praesidia confugit, nisi divinis promissionibus erigatur et sustentetur. Atqui docemur hic, ut spem et fiduciam auxilii impetrandi in nomine Domini collocemus, qui potest polletque quovis tempore necessitatis ad se confugientes protegere, eripere, ³¹ gloria ornare magnificeque exaltare. Ut si quispiam in arce situ, natura opereque probe munita, milite valido, commeatu sufficiente atque omni apparatu ad hostem arcendum et propulsandum necessario instructa spem posuerit, tuto hostibus insultet, ipsorumque minas et irritos conatus irrideat, ita dominus hic omnibus in se sperantibus tutum praebet perfugium, estque protector et defensor, quando Diabolus eos horribili furore oppugnat, omnibus manipularibus suis ad arma accitis, cum toto regno tenebrarum sit fortior, omnium nimirum rerum arbiter summus potentissimusque ad miserandum opitulandumque longe promptissimus expeditissimusque. Huius insignem potentiam Nabuchodonosor Dan. 4. cap. scite et eleganter describit inquit: Potestas eius potestas sempiterna, et regnum eius in generatione et generatione. Et omnes habitatores terrae apud eum in nihil reputati sunt, iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus coeli, quam in habitatorib(us) terrae, et non est, qui resistat manui eius et dicat ei, quare fecisti? Appellatur etiam saepenumero Deus exercituum. Imperat enim omnibus creaturis, qui coguntur velut obsequentissimi famuli potentissimo hero suo obedire, sicut Iob 1. cap. apparet. Ac utitur harum ministerio, velut apparitorum et fecialium tam in perniciem et eversionem impiorum, quam in piorum defensionem et liberationem, velut Syrach: 39. cap. testatur: Ignis, grando, fames et mors, omnia haec ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes et scorpii et serpentes et rhomphaea vindicans in exterminium impios. Consentit cum his Psal. 148.: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius, bestiae et universa pecora, serpentes et volucres pennatae.
- ³⁵ Hanc certitudinem praesentiae Dei didicerat Moses ex mirandis vicissitudinibus, quas toto suae gubernationis tempore videre aliquoties cogeatur. Nonnunquam populus operum Dei mirabilium oblitus contra Dominum murmurabat, et adversus Mosen et Aaronem tumultuabatur, unde aliquot millia repente miserando mortis genere periire. Rursus intercedente Mose et populo agnoscente culpam, ³⁶ maioribus subinde beneficiis cumulabat, et re ipsa testabatur se ipsorum esse habitaculum, refugium et arcem tutissimam, sicut erat omnium peregrinationum et exiliorum Abrahae, Isaaci, Iacobi, Mosis comes; ipsos in omnibus periculis de-

fendens, quod ipsum et posteri eorum in educatione gloriosa ex Aegypto et miraculosa protectione et gubernatione in deserto per totos quadraginta annos, et deinceps in terra Chanaan inter crudelissimas gentes satis superque experti erant, idemque ad finem usque seculi ecclesia experietur.

37

A generatione in generationem

- ³⁸ Hic ecclesiae perpetuitas ostenditur, nimirum semper fuisse ab initio conditi orbis durantem ecclesiam usque ad finem mundi, quae Deo peculiariter curae extitit, cui se per verbum suum et stupenda miracula insignesque liberationes patefecit, eamque in foedus sempiternum coelestis gratiae cooptavit, licet aliquando fuerit infirmissima, cruci subiecta, exiguo numero et multis scandalis deformatata, ³⁹ perque varias orbis partes dispersa. Donec enim in mortali hac conditione versatur, prorsus peccato non caret, multae sunt etiam in piis infirmitatis et ignorantiae notae, nec non pravae inclinationes ac vitiosae contra legem Dei actiones, quibus tamen velut pestilenti morbo efficaci remedio occurrunt, serio Dei opem et auxilium implorant, et quantum fieri potest, vitiis repugnant, auxilioque Spiritus sancti vitae emendationem incoant. ⁴⁰ Quicquid interea sordium manet reliquum, id totum indulgentia clementissimi Dei iis ad iusticiam imputatur, propter unigeniti filii sui meritum et intercessionem. Is enim est Iehova, iusticia nostra et agnus Dei, qui tollit peccata mundi et fortis ille armatus efficaciter destruens opera Diaboli. ⁴¹ Quoties igitur angimur animis, quae et ubi futura sit ecclesia, inter tot imperiorum ruinas et dogmatum confusiones, foedamque ingratitude et impietatem, maxime et praestantissimae partis in genere humano hunc coetum hostili odio persequentis: suavissima hac consolatione mentes sustentemus et erigamus, quam Moses hic recitat: futurum scilicet, ut in omnem generationem gubernetur, custodiatur et defendatur hic populus, qui vere Deum agnoscit, fiducia mediatoris invocat, et custos est doctrinae divinitus revelatae, licet nulli certo loco alligatus, sed per totum orbem dispersus sit, quod hae promissiones et similes testantur, Esaiiae 43.: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine meo, meus es tu, cum pertransieris per aquam, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, — hoc est, nullae quantumvis graves ⁴² afflictiones ecclesiam evertent, sed in his omnibus servabitur divinitus. Hoc est, quod Christus dixit: Portae inferi non praevallebunt adversus ecclesiam. Ecce enim ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

43

2. versus. Antequam montes fierent et
formaretur terra et orbis, a seculo
et usque in seculum tu es Deus.

- ⁴⁴ Secundus versus omnipotentiam et aeternitatem Dei describit. Solus enim fuit ante conditum mundum. Cum ergo sit conditor et Dominus totius naturae rerum, est etiam Dominus mortis, pestis, peccati et Diaboli, nec mors, quantumvis sit

37 A generatione — Psal 90,1
42 Portae inferi — Matth 16,18
Ecce enim — Matth 28,20
43 Antequam — Psal 90,2

- terribilis et implacabilis tyrannus et immanis ille Goliath, castra populi Dei solo aspectu territans, aliquod numen est infinitae potentiae, cum in tempore esse coeperit, et in piorum gloriosa resurrectione, cum ignominia et perpetua sui ipsius
- ⁴⁵ confusione sit desitura. Absorpta est enim in victoriam. Huic pii velut imbelli, exarmato et aeternis vinculis constructo hosti in omnem aeternitatem procaciter insultabunt, eique sarcastice illudentes illud occinent: Ubi est, mors, aculeus tuus, ubi morsus tuus, o inferne? Et quem nunc tamquam rabidum leonem metuimus et exhorremus, tunc velut pellem quavis pluma molliorem conculcabit, ut pie Basilius dixit.
- ⁴⁶ Separat etiam ista descriptione Deum verum a diis gentium, de quibus non potest dici, quod fuerint ab aeterno, et in aeternum maneant. Deinde hoc quoque significat, quod talis sit Deus, qui nullius creaturae sit indigus, sed simpliciter in se sit beatus, siquidem est, antequam crearetur terra et mundus. Ergo ex descriptione hac Dei, quod sit aeternus et omnipotens, immensus et infinitus, sequitur utrumque, quod et habitaculum eius, seu favor super timentes eum sit infinitus, et quod furor seu ira eius super securos etiam sit immensus et infinitus. Nam effectus semper sequitur magnitudinem causae efficientis.

Alia concio

- ⁴⁷ Cum inciderimus in mentionem providentiae Dei eiusque omnipotentiae et aeternitatis, plura argumenta, quae infirmorum mentes convincant, erudiant, fidem ipsorum confirment, ac in omnibus periculis erigant et consolentur, attexemus, quod veluti Deus creator est universi opificii huius mundi: ita et totius naturae a se conditae est conservator, gubernator et opitulator, quod novisse maxime periculoso luctuosissimoque hoc tempore prodest, ne in media morte constituti a Deo nos desertos existimemus, sed ab eo curari, iuvare et in omnibus aerumnis et periculis
- ⁴⁸ defendi credamus? Asscribit bonitati divinae propheta David, quod omnium operum suorum misereatur, ac simul homines et iumenta servet et largiter pro sua
- ⁴⁹ benignitate pascat et sustentet. Ac dulcissima est pictura in psalmo 145., ubi comparat Deum sollicito et fideli oeconomo, qui in tempore omnibus suis commissis, tam hominibus, quam iumentis, ab ipso alimenta anxie avideque expectantibus, suum quotidie demensum pro cuiusque usu suppetit ac distribuat, ad beneplacitum usque satietatemque: Oculi (inquit) omnium sperant in te, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, et implet omne animal
- ⁵⁰ benedictione. Psal. 103.: Dante te illis colligent etc. Hanc suavissimam persuasionem, ut alto immotoque animo infixam habeamus, contra diffidentiae tentationem de victu et defensione piorum, has ordine, crebro et diligenter rationes meditari et in promptu habere ad huius vitae molestias et difficultates aequo animo perferendas magnopere profuerit.
- ⁵¹ Prima, — a serie creationis omnium rerum sumi potest. Postquam Deus omnes res absolvisset, ac totum orbem iis, quae ad victum et reliquos necessarios usus hominum conducere videbantur, complevisset: postremo omnium homines condi-

49 oeconomo T oecono

45 Ubi est mors — I. Cor 15,55
Basilius dixit — cf. Od 111

- dit, eisque ad imaginem suam formatis benedixit inquit: Crescite et multiplicamini, et replete terram, dominamini piscibus maris etc. Est ergo hic mundus tanquam penu omnis generis commeatu instructissimum, quo libere et tuto tanquam legitimo haeredi dominoque potenti, homini nimirum frui vescique licet ex indultu et benignitate beneficentissimi sui conditoris. Hinc in dies prima illa durat benedictio, seque in usus nostros latissime effundit. Terra profert germina varia, arbores, amoenissimos fructus, oves, pellem et lanam, culta agrorum, linum et quidquid eius est generis pro cultu et induviis hominum comparatum. Quomodo ergo quis de sui a Deo desertione dubitet, cum tam larga profusaque beneficentia non solum pios, sed impios quoque et ingratos quotidie cumulet et prosequatur?
- ⁵⁴ Secunda, — a testimoniis divinae scripturae, cui tantam certitudinem Esaias propheta attribuit, ut terram prius et coelum perituum asserat, quam infallibili huius veritati vel minimus apex decedat. Et David inquit: Veritas Domini manet in aeternum. Sunt autem hae promissiones: Oculi Domini super iustos et aures eius in preces eorum, ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame. Item, iacta curam tuam in Dominum, et spera in eum, et ipse faciet. Psal. 37.: Iunior fui et senui, et nunquam vidi iustum derelictum. Timenti Dominum non deerit ullum bonum. Et virgo deipara inquit: Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.
- ⁵⁶ Tertia, — a miraculis petitur, quae sunt sigilla et exempla confirmantia promissiones divinas esse veras, nosque erudiunt, ut Deo tempore necessitatis fidamus, ab ipso auxilium et opem petamus et expectemus: qui novit mille vias artesque modosque iuvandi. Si miraculose servavit et liberavit Noam cum sua familia in diluvio, Lothum in interitu Sodomae, populum Israel per totos 40 annos in deserto pavit, ubi nulla parandi victus, si humana spectes consilia, suppetebat ratio.
- ⁵⁷ Daniele in specu leonum protexit. Pueros in camino Babylonico illaesos intactosque a flamma conservavit. Notum est et exemplum viduae Sareptanae. Et novo testamento Christum in deserto aliquot hominum millia miraculose pavissee constat, paucis panibus et piscibus. Quocirca cum promissiones Dei sunt universales, quilibet eas sibi applicet et accommodet. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.
- ⁵⁹ Quarta, — ab exemplis in contemplatione naturae a Christo propositis, Matth. 6.: Aspicite, inquit, volucres coeli, qui non serunt, nec metunt, neque convehunt in horrea, attamen pater vester coelestis alit illos. Aspicite lilia et flores agri etc.
- ⁶⁰ Videmus aviculas libero coelo gaudentes, non sua industria et labore repositas in longum tempus, invadere escas: sed secure volitare pabulatum, postquam pro modulo suo conditoris sui laudes suavi concentu aut garritu in abstrusis silvis, totis vallibus campisque resonantibus, prosecuti fuerint: ac a Deo sibi ordinatos

⁵¹ Crescite — Gen 1,28

⁵⁴ attribuit — Is 51,6

⁵⁵ Veritas Domini — Psal 36,5

Oculi Domini — Psal 33,16

iacta curam — Psal 36,5

Esurientes implevit — Luc 1,53

⁵⁷ protexit — Dan 6,16—23; cf. Pd 21—24

Pueros in camino — cf. Pd 33—36

exemplum viduae — cf. Pd 19—20; CB 24

⁵⁸ paucis panibus — Matth 15,32; Marc 6,30—44; Luc 9,10—17; Ioan 6,1—15

- appetere cibos, ubi vel vermiculo aut grano tritici, hordei aut milii reperto sese
- ⁶¹ pascunt et reficiunt, nihil penitus de crastino solliciti. Quod si Deus aviculas et nominatim corvorum pullos implumes et a parentibus astorgis ad tempus desertos, mirabiliter conservat et nutrit, qui non ad consuetudinem coelestis vitae sunt conditi: certo certius et nostri curam geret, qui ad ipsius imaginem facti sumus,
- ⁶² et semina originemque coelo ducimus. Gens siquidem Dei sumus, in ipso vivimus et movemur, Act. 17. Huc totus psalmus 103. pertinet. Cum is nostri causa omnes creaturas condiderit, filium suum unigenitum pro salute nostra in mundum ad expendendum pro delictis nostris triste mortis supplicium ex mera misericordia donaverit. Quid ergo de victu et amictu defensioneque vitae nostrae fluxae et caducae, homines modicae fidei, divinitus nobis dando, dubitationum procellis
- ⁶³ concutimur et fluctuamus? Mira scribit d*(ivus)* Basilus de hirundinis natura in Homelia 8. Hexaemeri: Nemo de paupertate doleat, neque de sua vita desperet, qui nullam domi opulentiam reliquit, ad hirundinis industriam respiciens. Illa enim nidum construens festucas quidem ore transvehit, lutum autem pedibus elevare non potest, extremitates pennarum aqua madefaciens, deinde tenuissimo pulvere obvolvens sic luti usum excogitat, et paulatim festucas inter se velut glutine quodam connectens, in ipso sic nido pullos educat. Quorum si quis oculos expungat, a natura quandam artem medicam habet, per quam sobolis visum ad sanitatem
- ⁶⁴ reducit. Haec te commonefaciant, ne propter paupertatem ad maleficia converteris, neque in gravissimis afflictionibus omni spe abiecta, ignavus et ab omni actione desistens, iaceas, sed ad Deum confugas, qui si hirundini tanta largitur, quanto maiora dabit his, qui ex toto corde ipsum invocant. Haec Basilus.
- ⁶⁵ Quinta, — ab experientia. Deus nos mirabiliter in utero materno formavit, aluit, conservavit, et in auras vitales produxit, in cunis nutricum ope fovit, cum plane impotentes essemus, rationisque expertes, nec quicquam ad nostri conservationem consilii et operae conferre potuimus, rationis tandem dono instructos ad honores dignitatesque provexit, opibus aliisque beneficiis cumulate auctos ad
- ⁶⁶ longos usque annos vitae usuram quibusdam indulsit. Ut merito cum patriarcha Iacob exclamare possimus: Minor sum cunctis miserationibus tuis, Domine. Sic igitur rationem ineat quilibet pius: Si clementissimus pater me in primo limine vitae tam mirifice aluit, conservavit, protexit et ante alios successu deinde temporis ad hoc vel illud fastigium dignitatis evexit: poterit ille idem per reliquum vitae curriculum, quod mihi hic in terris transigendum constituit, me conservare, cum incertum sit, num mensis vel annus aut hora praesens vitae terminum mihi abrumpat.
- ⁶⁷ Sexta, — ab animo parentum erga dulcissimos suos liberos, quos adeo illorum necessitate moveri et percelli videmus, ut nihil quod honeste peti commodeque ab ipsis largiri possit, denegent detrectentque. Hinc usitatum est prophetis ab huiusmodi parentum sinceris affectibus benefici Dei erga pios animum paternum aestimare et sedulo commendare, Esai, 49. Nunquid potest mater oblivisci filii uteris sui? Item psal. 103: Quemadmodum miseretur pater filiorum, misertus est Deus etc. Et Christus inquit Luc. 11.: Si vos, cum sitis mali, novistis bona dare liberis vestris, quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Imitemur

63–64 scribit Basilus — Hexaemeron VIII, 5
66 Minor sum — Gen 32,10

ergo parvulorum crebras et importunas flagitationes, sequamur miserae viduae assiduas querelas et postulationes, quam nolit velit iniquus iudex exaudire cogitur, Luc. 18.

- ⁶⁹ Caeterum ut suavissimis hisce rationibus persuasi et convicti doctrinam de Dei providentia verissimam esse obfirmato animo concludamus, libuit coronidis vice addere commonefactionem de consideratione commoditatum, quae sibi invicem per totius anni cursum succedunt, sicut in horto Alcinoi continuo pirum ex piro, malum ex malo nullo interrupto spacio oritur, ac inter se dulcissimo quasi com-
⁷⁰ plexu cohaeret. Videmus per omnes dies, septimanas, menses et annum pene semper nos recentibus beneficiis obrui, dantur animalia, volucres, pisces, herbae ex terra, fructus arborum, aliud post aliud, sicut David psal. 104. copiose et splendi-
⁷¹ dissime haec illustrat. Ut enim virgo circulo lamineo arrepto ex variis visu delectabilibus et suave olentibus floribus coronam quam decentissime connectit: ita Deus incoat anni circulare spacium, ac ornate et apte eleemosinam largitur, et copiose distribuit omnibus animantibus et hominibus de mense in mensem nunc herbas, nunc frutices, modo fructus ex terra producit, alias carnes, volucres, pisces, quae omnia ita comparata sunt, ut quodlibet conveniente tempore nativum suum vigorem, saporem et valorem plus quam alias habeant, usuque sit accommodatius: sicut breviter singulorum mensium peculiaria et propria commoda his versibus delineare quoque volui, cum per omnem vitam etiam in minimis Dei creaturis digne contemplandis vix sat ingenii aut oculi cuique suppetat, ut vel copiam aut vim et usum carum percensere aut intelligere possit.

- ⁷² Floribus ut virgo pulcerrima nectit odoris
Serta, quibus flavas ornet amoena comas,
Sic teretem omnigenis exornat dotibus annum
Conditor, et vice non deficiente novat.
⁵ Unde suum capiunt homines iumentaue victum,
Membra vel affecti corporis aegra foveant,
Quilibet extra alios specialia munera mensis,
Unde cani merita laude meretur, habet.
¹⁰ I. Dat Ianus vitulos, lepores pinguesque capones,
Et gallina vetus, si sit obesa, placet.
II. Ventosus teneros producit Februus haedos:
Ovaeque, quae bona sunt, candida longa, nova.
III. Martius exanimes humoribus inficit agros,
Turgida[que] vivifero palmite gemma nitet.
¹⁵ IV. Aprilis laxat praegnantis viscera terrae,
Eque sinu fundit divite veris opes.
In campis medicus pubentes colligit herbas,
E quibus unguentum aut balnea sana parat.

68 flagitationes T flagitiones

- 69 coronidis vice — Mart. 10,1
in horto Alcinoi — cf. RP I, 315
72/9 Ianus — cf. Ov. Fast. V, 424
72/11 Februus — cf. Macr. Sat. 1,13; Ov. Fast. V, 423
72/12 Ovaeque — cf. Horat. Sat. II, 4,12—13; Plin. Nat. h. X, 53

- 20 Tunc sale perfusa arridens lactuca palato
Et precium extractus littore piscis habet.
- V. Maius aves Veneris pullos gignitque volantum,
Lac pingue et crassum caseolosque novos.
Tunc morbum prohibens paeonia sacra caducum
Provenit et vires malva salubris habet.
- 25 Parva sitim arenti placans in fauce prunella
Prodit, et exurgunt lilia mixta rosis.
- VI. Iunius incurvis cerasa exultantia ramis
Promit, montosis nataque fraga locis.
Salvia melliferae, gratissima et herba, catervae
Tunc primum gestit flore melissa suo.
- 30 VII. Iulius adducit pepones dulcesque melones,
Pomaque cum croceis sunt bene grata piris.
- VIII. Sedulus Augusto comportat mense colonus,
Quae matura dedit munera flava Ceres.
- 35 IX. Fert September aves nitidosque in vite racemos,
Nux quoque dat fructus verbere tacta ferax.
Brassica nodoso et spectandus vertice caulis
Succidit, hyblaeo pressaque mella favo.
- 40 X. Musta dat October, pinguedine crassus et anser
Martini tristem non sinit ire diem.
- XI. Occubuitque aries iugulatus mense Novembri
Atque saginato de grege rapta pecus.
Dulce simul bibitur sitibundo gutture mulsum
Rusticus, ambrosiam nectar et esse putat.
- 45 XII. Praepingues milioque sues et furfure pastas
Interimit lanius, quando December adest.
Et despumato recreant sua pectora musto
Agricolae, ac Bacchi festa furentis agunt.
- 50 Ergo in tam largo et rerum praedivite luxu
Quid dubitat fidei debilioris homo?
Nuda quod argenti tabescant frigore membra,
Oraque sint tristi deperitura fame.

Secunda concio

1 De secunda parte psalmi

3. Qui redigis hominem ad nihilum,
et dixisti: Revertimini filii
hominum.

² Hic versus universum genus humanum ex iusto et severo Dei decreto omnis generis calamitatibus et tyrannidi mortis obnoxium esse propter peccatum testatur, et quod aliqui moriuntur, aliis in illorum locum succedentibus totum id providen-

- ³ tia divinae non casui vel fortunae ascribi debere. Notum est enim Deum Adae, primo generis nostri propagatori, hanc tulisse legem: In quocunque die comederis ex eo fructu (Gen. 3.), morte morieris. Item: pulvis es, et in pulverem reverteris. Observanda sunt ordine in hoc versu.
- ⁴ Primo — nos non casu nasci, nec interire casu, sed ex certa Dei providentia, qui simul et vitae est author et dominus mortis, quam propter peccatum omnibus communem esse vult hominibus ad declarandam suam hac gravissima poena iusticiam et veritatem. Non ergo somniandum est cum Manichaeis alium esse Deum pariter aeternum, a quo mors condita sit. Sed Deum huius annihilationis,
- ⁵ contritionis et destructionis esse autorem, ratione non culpa, sed poenae. Unde ingens et amplissima nobis proponitur consolatio, quod non in arbitrio nostrorum hostium et persecutorum sit vitae necisque potestas, ne tunc quidem, cum totius mundi viribus et omnibus infernalibus furiis Diabolus ipse stipatus infirmos, paucos et despectos Christi discipulos subvertere et extinguere conatur: sed in Dei manu stet, sine cuius voluntate propitia nec capillus capitis nostri in terram
- ⁶ cadere potest. Et alibi David omnes exilii sui passus a Deo numeratos esse affirmat, et lachrimas suas velut in saccum collectas ab eodem vigili obtutu inspicere et ceu
- ⁷ divorum reliquias religiose observari. Et quamvis mors sit potentissimus et formidandus hostis, summos etiam monarchas uno momento prosternens, tamen non est sui iuris, sed alterius subiacet imperio, nec est omnipotens. Siquidem occidendi vim habet, at non econtra vivificandi, quos perimit, quod soli Deo, qui est refugium et habitaculum nostrum, competit. De quo scriptum est: Dominus
- ⁸ mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, 1. Reg. 2. Nihil ergo formidemus tyrannorum potentiam, minas, opes, fastum, nec odia et persecutiones hominum impiorum, nec totius mundi et omnium Diabolorum fraudes, laqueos, machinationes et furores, quae omnia velut nubecula a sole irradiata evanescent, aut sicut araneae textum succiditur, inefficaci conatu tentata bulla citius dissipantur.
- ⁹ Discimus hinc utrumque: ut Deum timeamus, peccata cane et angue vitemus. Siquidem Deus, qui est ignis consumens, ea ita detestatur, ut pestem, febrim et alia infinita mala mortemque tristissimam ad nihilum redigentem omnes homines et aeternam damnationem, quibus impenitentes perimat, immittere potest.
- ¹⁰ Deinde in spem erigamur consequendae aeternae vitae, cum audimus esse eum dominum vitae, qui non solum initio nos condidit, corpus et animam attribuit, sed etiam mortuos excitare et aeterna felicitate ornare possit, ideoque ipsum filiali amore diligamus, omnem cordis nostri fiduciam in eum collocemus, iactantes illud Pauli confidentissimis animis: Si Deus pro nobis, quis contra nos?
- ¹¹ Secundo, — dicit in genere homines morti esse destinatos, nullo prorsus excepto, non tantum pauperes, indoctos, imbelles, stultos, deformes, morbosos, sed etiam divites, doctos, fortes, sapientes, formosos bene sano corpore in ipso quidem flore aetatis, praeditos. Mors enim omnia aequat, et aequo pede pulsat tabernas

6 eodem T odem

3 pulvis es — Gen 3,19

5 nec capillus — Act ap 27,34

6 David affirmat — ubi?

10 Si Deus — Rom 8,31

11 Mors enim — Claud. De raptu Pr. II, 302 nec non Wagner
aequo pede — Hor. Carm. I, 4,13—14

¹² regumque turres. Ac sola deorum nullis flectitur muneribus ad clementiam, cuiquam mortalium, declarandam. Viderint itaque, quam incaute et inconsulte faciant, qui minus tempestive ac religiose ad emigrationem ex hac vita sese praeparant ac componunt, praetendentes vel florentem aetatem aut potentiam, opes, honores: cum omnino eius rei periculosa sit procrastinatio, nec differri aut negligi sine aeternae salutis dispendio et iactura possit, cum verissime sit dictum:

¹³ Omnia transibunt, nos ibimus, ibitis, ibunt
 Chari, non chari, conditione pari.

¹⁴ Tertio, — nominantur omnes homines filii Adae, ubi communis origo nostra, quae ex terra est et propagatio ex peccato, nos ad humilitatem exhortatur et charitatem invicem exercendam. Ne videlicet gloriemur de stemmate et prosapia nobilitatis et generis nostri praerogativa, praesertim in aliorum contemptum ac detrimentum. Sed memores fragilitatis nostrae, proximum ut eiusdem generis nobiscum consortem amore et benevolentia prosequamur.

¹⁵ Agathocles Siciliae rex ex figulo patre natus, postquam ad culmen regiae dignitatis pervenisset, vasis testaceis in mensa inter commessandum usus esse perhibetur, quo obscurae et ignobilis census familiae, unde ortum traxerat admonitus, nil quicquam superbius et intemperantius in subditos auderet.

¹⁶ Similis historia extat de Primislao primo rege Bohaemorum, qui ab aratro ad regiam dignitatem evectus ex querno ligno confectos quos habuit calceos, una secum abstulit, ut iis inspectis despectioris suae conditionis deinceps memor esset.

¹⁷ De quo Aeneas Sylvius in historia Bohaemica sic prodidit: Interrogatus cur nam calceos querno robore factos secum afferret servandos in arce Visegradensi, respondit: ostendendos posteris, ut scirent omnes, primum qui principatum inter Bohaemos accepisset, ex agro fuisse vocatum, neque insolescendum esse, qui ex humili fortuna solium ascenderit. Servati calcei diu apud Bohaemos religiose habiti, ac per sacerdotes templi Visegradensis ante reges delati, dum pompa coronationis educitur. Proinde ne et nos supra conditionem humanam efferamur, cogitemus nos esse velut Adamum eiectum e Paradiso, velut Saulem desertum a spiritu Domini, velut Israelem a sancta radice excisum. Is siquidem profecto vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit.

¹⁸ Quarto, — quod utitur vocabulo conversionis, inconstantia et vicissitudo perpetua humanarum rerum significatur. Nemo quantumvis potens et fortunatus in suae felicitatis cursu constans persistere semper potest. Sicut enim aetas hominum incremento et decremento, ita fortuna variatur. Namque:

²⁰ Est rota fortunae variabilis, ut rota lunae,
 Crescit, decrescit, constans consistere nescit.

13 Omnia transibunt — Walther: Prov. 20091

15 Agathocles — Plutarch. Apophthegm. regum et imperatorum; Iust. Hist. XXII, 1—2; Auson. Exhort. ad Modestiam (Epigr. 8); Manl. Coll. p. 172

17 sic prodidit — Hist. Bohemica VI

20 est rota — Walther: Prov. 7874 nec non Kozáky II. p. 165

- ²¹ Pulchra et vetusta historia de Sesostri Aegypti rege narratur, qui adeo elatus prosperitate ac victoriis fuit, ut curru veheretur, quem trahebant quatuor captivi reges. Cumque is, qui regi proximior erat, rotam sibi proximam subinde respec-taret, Sesostri insidens curru miratus eum interrogavit, qua de causa rotam adeo frequenter intueretur? Ille respondit: Quia in illa magnam inconstantiam contem-plor. Etenim quae modo fuerunt summa, nunc efficiuntur infima. Hoc responsum regi Aegyptio ita placuit, ut quatuor illos reges et solutos et liberos
- ²² dimiserit. Discant hinc potentes et rebus caducis fidentes Deum timere, nec nimium blandientis fortunae delinimentis et illecebris credere, quae plane est vitrea, et cum maxime splendescit, frangitur. Sicut sequentes sententiae, longo usu com-probatae, ostendunt:
- ²³ Regno, regnavi, regnabo, sum sine regno.
- Item:
- ²⁴ Accidit in puncto, quod non speratur in anno,
Perditur in puncto, quod non reparatur in aevo.
- ²⁵ Econtra sperent melius calamitosi et variis aerumnis oppressi, cum non perpetuo is status sit futurus, sed rediturus in melius. Namque:
- ²⁶ Multa dies variusque labor mutabilis aevi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.
- Item:
- ²⁷ Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus,
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.
- ²⁸ Pii utrumque tribuant Deo, quod occidit et vivificat, quod ducit ad inferos et reducit. Quod sicut hic dicit, vertit homines in contritionem, et iubet reverti filios hominum, ut sicut per ipsum initio accepimus vitam, ita per ipsum quoque tandem vincamus mortem, quae mors non simpliciter concupiscentiae, sed totius peccati poena est.
- ²⁹ 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam
dies hesterni, quae praeteriit et sicut vigilia
nocturna.
- ³⁰ 5. Facis diffluere eos, sicut nimbum, et sunt somnus,

21 historia de Sesostri — Lucan. Phars. X, 276—277; Theophylactus Simocattes: Historiae VI, 11

22 est vitrea — Publ. Syrus: Mimi 258

23 Regno — Walther: Prov. 26495 nec non Kozáky II. p. 165

24 Accidit in puncto — Walther: Prov. 242

26 Multa dies — Verg. Aen. XI, 425—427

27 Nemo confidat — Sen. Thyestes 615—616; 621—622

29 Quoniam mille — Psal 90,4

30 Facis diffluere — Psal 89,5 (secundum Sept.!)

- sicut gramen subito exarescit.
- 31 6. Quod mane floret et mutatur vesperi,
succiditur et arescit.
- 32 Quartus, quintus et sextus versus fugacitatem et fragilitatem humanae vitae,
maxima miseria et calamitate refertam quinque similitudinibus tanquam vivis
coloribus depingit. Extant quidem multa praeclara dicta de vitae nostrae brevitate,
33 incertitudine et molestia, ut quod Manilius dixit: Nascendo morimur, finisque
ab origine pendet. Item: Homo bulla et umbra somnium. Vita fugax hominum
multorum plena dolorum. Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi: Prima
fugit, subeunt morbi tristisque senectus. Et labor et durae rapit inclementia mortis.
34 Singula de nobis anni praedantur euntes etc. Et Iob inquit cap. 14.: Homo natus
35 de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Iacob stans coram
Pharaone, de sua interrogatus aetate respondit: Dies peregrinationis meae sunt
36 centum triginta anni, pauci et mali. Verum nusquam clarius evidentiusque dici
potest quicquam extra hunc psalmum ad fragilitatem et miseriam vitae nostrae
extenuandam.
- 37 Primo confertur omnis vita nostra, quae licet ad mille annos extrahatur, uni
tantum dici et quidem hesternae, quae praeteriit, cuius nusquam vel vestigium
minimum comparet, nec ulla est reparabilis arte. Repetat sane quispiam totos
vitae suae annos elapsos, et obliviscetur, velut hesternae diei, omnium actionum
quas gessit. Cum nonnunquam eodem momento et nostri et rerum, quas manibus
38 tractamus, obliviscimur. Ac verissimum est, quod philosophi dicunt: Praeteritum
abiit, futurum non venit, igitur de omni tempore nihil habemus, quam quod nunc
39 est, reliqua non sunt, quia aut abierunt, aut nondum venerunt. Narrat Pindarus
esse bestiolas quasdam, quae uno die nascuntur, et totius vitae suae cursum simul
absolvunt. Author etiam est Plinius in culicum genere muliones non amplius
quam uno die vivere, quarum una si moritur hora prima, consenuit, si sole occi-
40 dente in decrepitam venit aetatem. Nonne illis similes sunt homines tam brevis
vitae, si ad immensam respiciamus aeternitatem, ad quam initio conditi eramus?
Quanta enim est gutta aquae ad vasti pelagi fluctus comparata, tantus est dierum
huius vitae numerus ad immensam aeternae vitae longaevitatem collatus, Sirach
cap. 18, (8). Atque haec ipsa vitae brevis, nihil aliud est nisi vanitas et afflictio
41 spiritus, ut est in Ecclesiaste (2,17). Monet haec similitudo, ut in rebus adversis,
cum a tyrannis affligimur, vel morbis, paupertate, ignominia, violentia, exilio
premur, et calamitatem nostram longam et propemodum infinitam esse arbi-
tramur, cogitemus coram Deo omnia momentanea esse, qui subito mutationem
42 inferre et finem malis omnibus imponere queat. Decet nos etiam dies mediocri
interdum tranquillitate et felicitate exactos cum adversis praesentibus conferre et

31 Quod mane — Psal 90,6

32 Nascendo morimur — Manilius: Astronomicon IV, 16

33 Homo bulla — Eras. Adag. II, 3,48; fusius v. Borzsák: Antiq. pp. 293—294; 361—362

Optima quaeque — Verg. Georg. III, 66—68

Singula de nobis — Hor. Epist. 2,2,55

35 Dies peregrinationis — Gen 47,9

39 Narrat Pindarus — Pyth. VIII, 95; fusius v. Borzsák: Antiq. pp. 361—362; Plin. Nat. h: 11,61

- aequa lance expendere, sic minus inique adversa tolerabimus, cum nonnunquam plus quietis et ocii, quam laborum et curarum, sanitatis, quam morborum et afflictionis nos habuisse comperiemus, licet haec omnia, pro tristi huius vitae
- ⁴³ conditione nimis insincera imperfectaque fuerint. Nam praeter et ultra mortem ratio nihil videt amplius, et semper magis intenta est in calamitatem et miseriam, quam in vitam. Sic enim natura sumus, ingrati in bonis et impatientes in malis, malorum tenacissimi et bonorum (ut sic loquar) obliviosissimi. Dicendum ergo est cum sancto Iobo (2, 10): Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?
- ⁴⁴ Secundo confert vitae nostrae spacium vigiliae nocturnae. Ut enim continuo in statione vigiles aliis alii succedunt (veteres quater in una nocte custodias transferebant, et quaeque vigilia tribus constabat horis, ne vel prodicionem custodes non mutati molirentur, aut somno iisdem sopitis, cives ab hostibus opprimerentur):
- ⁴⁵ ita continua est nascentium et morientium successio. Sicut Siracides 14. inquit: Omnis caro sicut foenum veterascet, et ut foliorum in condensa arbore virentium alia decidunt aliis nascentibus; ita quod carne sanguineque procreatur, aliud obit,
- ⁴⁶ aliud natum existit. Quid potuit maiore cum emphasi dici ad extenuandam vitae nostrae brevitatem, quam quod sit quarta duntaxat pars totius nocturni temporis, tribus nimirum horis constans, ac ut noctis tempus magis quieti, quam rebus gerendis accommodum est, et plerumque in offendicula impingere facit, et in errores peregrinantes abducit, vel alias horrore omnia plena et ingrata videntur, quod sereno sole in ipso meridie fieri experimur: ita revera plus dormitando, quam vigilando aetatem omnem consumunt mortales, et vix sciunt, vigilantne an dormiant.
- ⁴⁷ Tertio confertur vita nostra nimbo, magno cum impetu oborta tempestate, velut impetuoso iactu ex alto ruenti, quae a sitiendi et bibula arena absorpta celerrime evanescit, nec inde unquam revertitur. Quemadmodum et in 2. Regum 14. cap. dicitur: Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur. Ita tempora labuntur, tacitisque senescimus annis, et fugiunt freno non remorante dies. Nec, quae praeteriit, hora redire potest.
- ⁴⁸ Quarto confertur somno, ut in somno, quo nemo diu carere potest, nihil sentimus vel intelligimus, quid rerum nobiscum aut cum aliis in cubiculis vel foris agatur. Offeruntur ut plurimum imagines incertae et vanae, sive laetae aut tristes, non res ipsae. Sicut dicitur:

⁴⁹ Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
 Et pavidas mentes falsa timere iubent.

- ⁵⁰ Ita vita nostra in tenebris et densa caligine mentis ducitur, et nihil nisi umbram falsi gaudii et incertae felicitatis avidè affectamus, at tamen rarissime consequimur. Ut subito evanescit somnus, sicut de Epimenide traditur, qui 57 annos dormivit. Experrectus vero licet rerum faciem mutationemque miraretur, tamen velut postero
- ⁵¹ die evigilasset, totum illud spacium sibi fuisse affirmavit. Sic totum hoc tempus,

47 tempora labuntur — Ov. Fast. VI, 771—772

49 Somnia fallaci — Tibull. III, 4,7—8

50 caligine mentis — Catull. 64, 207

de Epimenide traditur — v. Eras. Colloquia fam. (Formulae variae); Goldwurm: Wunderz. p. 31r

quod est ab initio conditi hominis, videbitur Adamo resurgenti tanquam somnus unius horae. Sic et vita nostra non est diuturna, sed verius diurna, quod hoc epigrammate docetur:

- ⁵² Ros, vapor, umbra, tumor, pulvis, nix, somnia, fumi,
Spectrum, pluma, ratis transitus, aura, cinis.

Vere itaque somnus et somnium est vita nostra, prius enim quam nos vivere scimus, vivere desinimus.

- ⁵³ Quinto confertur herbae subito flaccescenti. Nam purpureus veluti flos succisus aratro languescit moriens, lassove papavera collo demisere caput, pluvia cum forte gravantur: sic vita nostra aerumnarum plenissima, velut foenum tectorum, quod priusquam evellitur, marcescit, cum in ipso flore summo rerum fastigio ac pleno
⁵⁴ felicitatis esse putatur, abbreviatur et succiditur. Rosa aut viola in amoeno horto suaviter fragrantem odorem exhalans et vel amictum Solomonis cultissimum pulcerrimo et vivo colore superans est iucunda quidem et delectabilis aspectu, verum leniter falce attacta, vel frigore aut solis ardore afflata, aut pedibus protrita vel decerpta subito expirat, omnemque ornatum et vigorem amittit. Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil. Sicut eleganter in epigrammate Maronis de Rosa et Vere dicitur.
⁵⁵ Talis est status et conditio vitae nostrae, quemadmodum Syracide 14. cap. scriptum est: Memento mortem moram non facere, nec statum fati tempus declaratum. Usurpatur haec eadem similitudo creberrime in scripturis, Esai 40.; Psal. 103.
⁵⁶ Quia vero breve admodum, incertum, fallax et lubricum est omne hoc spacium, quod hic decurrimus, et in ipso vitae apparatu nos destituit, hanc tabellam crebro oculis intueri et animo infixam habere plurimum conducat, quae de ratione temporis pie et utiliter nos commonefacere poterit:

Utinam homines perpenderent
praeterita tria

- 1. Bonum amissum
- 2. Malum commissum
- 3. Tempus neglectum

Item intelligerent tria praesentia

- 1. Vitae brevitatem
- 2. Salvandi difficultatem
- 3. Salvandorum paucitatem

Providerent tria futura

- 1. Mortem, qua nihil miserabilius
- 2. Iudicium, quo nihil terribilius
- 3. Poenam, qua nihil intolerabilius

- ⁵⁷ Porro ut hae imagines fragilitatis vitae nostrae proclivius tenaciusque animo inhaereant, conferamus sortem nostram cum brutis et rebus inanimatis, quo superbiam, securitatem et ingenii nostri ferociam, ac propriarum virium fiduciam refrenemus. Si quis gloriatur ob insigne aliquod beneficium et industriam, sit vel
⁵⁸

⁵² Ros, vapor — ubi?

⁵³ purpureus veluti flos — Verg. Aen. IX, 435—437

⁵⁴ de Rosa et Vere — rec. De rosis nascentibus, v. Appendix Vergiliana. Oxford 1966. pp. 177—178 (Classical texts)

⁵⁶ Utinam homines — Petrus Rosenheim? (1424): Altercatio Vitae et Mortis. In: Példák, pp. 252—254

Daedalus, Praxiteles aut Phidias, vel ipsa Pallas, habet minimas apiculas, quae multo sunt artificiosiores in mellificio exercendo, et in cellulis, quibus mella recondunt, decenter aedificandis. Si ob robur et agilitatem corporis superbis, fortior est leo, bos aut ursus, velocior cervus, tigris et lepus. Si ob formae pulchritudinem, formosius est aurum et rosa, candidius est lilium, ebur, marmor. Si ob vivacitatem, cornici novem nostras aetates attribuit Hesiodus, teste Plinio lib. 7. cap. 48, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis et quid praeterea de phoenice ac nymphis dicuntur. Voce excellunt volucres coeli, philomela, fringilla, carduelis; asini auditu, aquilae marinae visu, odore vultures et canes venatici; vestitus pulchritudinem flores agri. Muscae, cornices, boves, anseres, galli et insectae quaedam longe certius futuras praesentiunt et praedicunt tempestates, quam ulli ingeniosissimi peritissimique astrologi. Unde nec abs re conqueritur de negligentia et contumacia sui populi Dominus, quod non observet tempus conversionis suae, ad ipsum salvatorem suum, collationem faciens inter homines et irracionales creaturas. Hierem. 8. cap.: Milvus in coelo cognovit tempus suum; turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini. Habent etiam reliqua animantia a natura sibi attributa et congenita arma et vitae adminicula, quibus contra iniurias tempestatum teguntur, et adversus imminentes hostes ad sui defensionem armantur, homines vero nudos, inermes et imbelles rerum hominumque sator produxit. Nec tot curis et laboribus in hac vita, nec tantis morborum agminibus et periculis, ut homines, bruta exercentur et discruciantur. Non de praeteritis, nec de futuris tam solícite aguntur, praesentibus solum contentantur, non illis ratio vitae exactae reddenda, nec moriuntur in ira Dei, ut homines, de quibus in sequenti versu dicitur, illorum ossa, pili, pennae, cutis, cornua, ungues, caro, pinguedo, medulla partim ad ornatum, partim ad necessitatem multiplicem in multos annos mortalibus serviunt; solus homo adeo inglorius moritur, ut ad nihil aliud quam ad pascendos vermes idoneus esse putetur. Vide quaeso feracem arborem, cuius cortex, succus, radix, lignum, odor, fructus usui esse solet: homo vero nihil praeter sudores foetidos, pediculos, scabiem, sputum, putrem anhelitum aliaque id generis sordida excrementa producit, ex cuius spina dorsi post mortem generantur serpentes, sicut ex asino et equo scarabei, ex leone et bove putrefacto apes, quemadmodum Plutarchus testatur. Affirmat d(ivus) Augustinus Sermone 48. ad fratres in heremo, quod viderit Romae in sepulcro Iulii Caesaris cadaver, in cuius oculorum cavitatibus duo famelici siderint buffones, et per totum corpus reptaverint serpentes. Quod et Syracides 10. cap. probat. Quid tandem superbit terra et pulvis, cum vermes ac serpentes bestiasque e iure quodam haereditario sit possessurus? Respice quaeso crania mortuorum hominum, nonne aliud alteri est simile, nobilis et ignobilis, mendici et divitis, docti et indocti. Quare ergo superbit homo, cuius conceptio culpa, nasci poena, vivere miseria, mori angustia? Qui ante nativitatem fuit liquidum et immundum coagulum, in vita est saccus stercorum, post mortem futurus foetor, horror et esca vermium, eodem Augustino teste.

Nunc paucis exempla recenseamus. Mortuus est Adam, Noe, Lothus, Abrahamus, mortui sunt, quotquot fuerunt ab origine mundi caesares et reges; ubi Troiae protec-

68 ab origine T ob origine

59 teste Plinio — Nat. h.; Cic. De finib. b. II, 33, 109—110

64 Plutarchus testatur — cf. LS 27

67 Augustino teste — ubi?

- tor et Danaum metus, Hector? Ubi Samson fortissimus? David, Deo dilectissimus? Salomon ditissimus? Absolon pulcherrimus? Versutus Ulysses? Cyrus, Hannibal, Scipio, Alexander Magnus, Pompeius, Iulius, ubi Cicero, Aristoteles, Galenus, Hypocrates, Plato, pulchra Helena, casta Lucretia, bellicosa Semiramis et fastu turgens Cleopatra? Omnes nimirum omnium gentium spaciosam tristissimamque
- ⁶⁹ viam metae sibi per mortis imperium constitutae permensi sunt. Prodest saepe-numero exempla quaedam in illustri loco posita animo repetere, quae nos fragilitatis naturae attentius commonefaciant. Vix ullus fuit belli artibus et rerum gestarum gloria par Alexandro Magno, quem et poeta alibi felicem orbis praedonem appellat, qui hunc versum coronae capitis sui inscriptum habuisse dicitur: Ortus et Occasus, Aquilo mihi servit et Auster. Is in medio cursu rerum suarum opinione celerius abripitur, veneno ut fertur necatus, matre, uxoribus et liberis et omnibus ipsius consanguinitate propinquis, ab amicis, quos beneficiis et praefecturis sibi devinxerat, nefarie et crudeliter trucidatis. Super cuius funere complurimi philosophi varias sententias, quasi epitaphia protulerunt: quorum unus ait: Alexander ex auro fecit thesaurum. Alius: Heri totus mundus non sufficebat ei, hodie quatuor solae ulnae sufficiunt. Alius: Heri populo imperavit, hodie populus illi. Alius: Heri multos potuit de morte liberare, hodie nec ipse animam. Alius: Heri ducebat triumphantem exercitum, nunc ab illo mortuus ad sepulturam ducitur. Alius: Heri terram premebat, hodie eadem terra premit ipsum. Alius: Heri eum gentes timebant, nunc ne vermes eum metuunt. Alius: Heri habuit amicos
- ⁷¹ et inimicos, hodie habet omnes aequales. Extat de Baiazethe 4. Turcorum imperatore memorabilis et tragica historia. Is cum totius Asiae imperio gauderet, a Tamerlane Tartaro acie fusus fugatusque cum in fuga captus esset, ferreae caveae includitur, ac ubicunque vel conscenderet equum, vel descenderet, pro scabello pedum ea cavea usum esse ferocem et barbarum victorem ferunt, et sub mensa illius micas quasi canem comedere coegisse; nuda interea coniuge eius ad mensam astante et foeda indignaque ministeria exequente. Unde impatientia et animi angore fractus tantisper illisit caput ferreis clathris, usque ex vulnere debilitatus mortem tristissimam oppetiit.
- ⁷² Sic Iulius et Pompeius, penes quos imperii Romani summa relicta erat, dum illorum neuter aequalem ac minime superiorem ferre sibi posse videretur, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet, universis imperii viribus, praeter nec pauciora extarum auxilia gentium, plusquam trecentorum millium civium socio-rumque armis in se concitatis, ingenti ad Pharsalum strage Pompeio victorum victore devicto, per triumphatum a se mare lacera nave fugato, tum servati olim a se non inulta Ptolomaei regis prodicione a vili mancipio clarissimo pacis bellique principe coram filio Sexto Pompeio et uxore Cornelia, in Cyprum postea fuga receptis, truncato, socer Caesar victor omnem victi generi gloriam, quinque scilicet: Gallico, Aegyptio, Pontico, Aphrico et Hispanico triumphis imperium et urbem in se multis magnisque cum honoribus perpetuae dictaturae titulo, monar-

70 Heri multos T Hodie multos / habet omnes T habent omnes

71 caveae T cauae / cavea T caua

72 Pompeio T Pompeium / tum T num

69 orbis praedonem — Lucan. Phars. X, 20
Ortus et Occasus — v. Pethő: Chron. p. A 1r

70 epitaphia — Gesta Rom. XXI

71 tragica historia — Lactant. De mortibus persec. V; fusius v. Borzsák: Antiq. p. 405

chia iam tum coepta, parum feliciter accumulavit, quando scilicet illud omne sexaginta millium civium, hostium vero undecies centenorum nonaginta duorum millium cruore quaesitum, a collegis in curia 23 vulneribus interfectus amisit. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, ipse nunc suo sanguine civium implevit curiam. Haec d(ominus) Valerius Anselmus Ryd in Catalogo monarcharum mundi recitat. Et vox Xerxis est memorabilis, qui non tantum hominibus terrorem, sed Neptuno quoque compedes et coelo tenebras minitari videbatur. Is undecies centena millia armatorum in exercitu secum in Graeciam ductans, cum rogaretur, quare fleret tanta stipatus potentia, respondit: Deplorare se humanae vitae miseriam fugacitatemque, quod post centum annos nemo ex toto illo exercitu superstes futurus sit. Notum est denique ex universa mundi historia, quo homines celerius evecti et maioribus fortunae successibus usi sunt, excellentioribusque donis ornati ad fastigium amplissimae dignitatis pervenerunt, eo plerumque tristiores habuisse casus et plusquam tragicos exitus. Sicut Pharaonis, Saulis, Sennacherib, Neronis, Iuliani, Antiochi et Herodis exempla ostendunt. Sicut autem herbae quaedam per se arent et pereunt, quaedam vero violentia succiduntur: ita nonnulli placida morte decedunt, plurimi vero tragicos sortiuntur exitus, de quibus dicitur, Sap. 6.: Potentes potenter tormenta patiuntur. Item, ad genus Cereris sine caede et sanguine pauci descendunt reges et sicca morte tyranni. Nihilominus homines secundum Ciceronis dictum longiorem sibi vitam et terrenam immortalitatem pollicentur. Nemo adeo senex est, quin speret se unum annum adhuc supervicturum esse. Cum tamen mors ubique insistat nostris vestigiis, et nobis nunquam non sit vicinissima. Quin potius sic sentiendum erat:

- 78 Noli per cras, cras tibi longas ponere metas,
Per multum cras, cras hominis consumitur aetas.
- 79 Quis scit, an adiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dii superi?

Tertia concio

1 De tertia parte psalmi

7. Quia defecimus in ira tua et in furore tuo,
consternati sumus.
8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo,
occulta (peccata) nostra
in lumen vultus tui.

72 quaesitum T quaesitam
77 Quin T Cum

73 Ryd recitat — pp. XXVIIv—XXVIIIr
74 Deplorare se — Hieron. Ad Heliod. epitaphium Nepotiani
77 ad genus — Iuv. Sat. 10,112—113
Nemo adeo — De senec. VII, 24; Sen. Epist. 12,5
78 Noli per cras — Walther: Prov. 17109 nec non Kozáky I. p. 94
79 Quis scit — Hor. Carm. IV, 7,17—18

1 Quia defecimus — Psal 90,7—8

- ² Hic causam recenset Moses, quare omnes filii Adae tanta mole aerumnarum et calamitatum onerentur, totque malorum fluctibus velut diluvio immenso obruantur. Mirati sunt sapientes omnibus temporibus, unde sit, quod tam praestans creatura, ad imaginem Dei et immortalitatem condita, cuius imperio ex clementissimi Dei benignitate et favore tota rerum natura subiacet, quae ratione et oratione caeteris omnibus antecellit, ac ut poeta inquit: Ducit genus a Iove summo: ita subito lugubrem, insperatum et miserrimum, post tot labores, pericula et dolores
- ³ corporis et animi exhaustos et emensos vitae finem in his terris sortiatur. Sunt, qui vitio materiae instabilis subinde alias vices appetentis id tribuunt, ut pomum, quia ad immortalitatem non est conditum, non multos annos durat, sed putrefactum in nihilum redigitur, sic et bruta animantia in auras dissipantur. Alii existimant errore et caligine humanae mentis id fieri, quae in deliberationibus et
- ⁴ consiliis multipliciter labitur. Unde Lucretii versus:

O miseras hominum mentes, o pectora coeca,
Qualibus in tenebris densis quantisque periculis
Degitur hoc aevi quodcunque est.

- ⁵ Sicut et Cicero exclamat: O me sapientem, nunquam sapientem! Quidam ex proaeresi et affectata petulantia ultro sibi exitium mortales accersere affirmant, dum vident meliora probantque, verum deteriora sequentes contra rationem insaniunt, et sese tristibus ac tragicis calamitatibus involvunt et immergunt. Quisque enim fortunae suae faber esse perhibetur. Darnach einer ringt, darnach im Gelingt.
- ⁶ Ad haec sunt Epicuræi, qui omnia temere, sine ordine et Dei providentiâ, coeco casu oriri, ferri interireque vociferantur, non secus ac navis gubernatore destituta incertis pelagi hinc inde fluctibus iactatur.
- ⁷ Nonnulli ad fatum transferunt, quod dicunt necessariam esse connexionem primæ causæ et omnium secundarum, physicarum et voluntatum. Et Manichæi, ex corrupta philosophia orti, horribiles furores, contumeliosos in Deum et perniciosos moribus excitaverunt de duobus diis: bono et malo. Horum aliqui quamvis aliquid ex philosophicis rationacionibus dicunt, tamen principaliorem causam, quæ nulla acie humanae mentis investigari potest, non attingunt, quam Moses hic ex fontibus Israel recenset, videlicet iram Dei adversus totius humani generis peccatum. Quoniam, inquit, in ira tua defecimus, et in furore tuo consternamur vehementer.
- ⁹ Deus cum immutabiliter et perfecte sit iustus, vult homines ad imaginem suam conditos ac radiis suæ sapientiæ, iusticiæ, bonitatis ac libertatis imbutos et illustratos, sibi velut archetypo omnibus viribus esse conformes, et ad normam divinæ mentis in creatione primum insitam, deinde in promulgatione Decalogi repetitam et certis testimoniis divinitus commendatam et confirmatam plane congruere.
- ¹⁰ Quia vero malitia, fraude et insidiis Diaboli impulsus, qui ab initio mendax et homicida, propria et libera voluntate a Deo per legis transgressionem se averterunt,

² Ducit genus — Verg. Aen. VI, 123; Ecl. 3,60

³ caligine mentis — cf. En II, 50 ann.

⁴ O miseras — Lucr. De rerum n. II, 14—16

⁵ O me sapientem — Cic. Epist. ad Oct. 6

Quisque enim fortunæ — Sall. De re publ. ord. 1,1

⁸ in ira tua — Psal 90,7—8

- ideo ex tam sublimis dignitatis culmine in omnis generis calamitates huius et secuturae vitae inciderunt, ex domesticis et amicis Dei peregrini et hostes, ex liberis dilectisque filiis captivi et mancipia Satanae, ab avita virtute degeneres nothi,
- ¹¹ ex sapientibus stulti et insensati, ex iustis iniusti et peccatores effecti sunt. Ac velut a primis progenitoribus humanam figuram, carnem, ossa et omnia membra nascendo accepimus, ita omnes corruptae ipsorum naturae defectus, pravae inclinationes et omnium virium repugnantia in posteros derivatur et propagatur.
- ¹² Fuerunt enim primi parentes radix et stirps totius humani generis, quod inde originem traxit. Et sicut acceperunt dona non tantum pro se, sed etiam pro tota posteritate, ita etiam non tantum ipsi sunt iis privati, sed etiam in ipsis tota posteritas ea amisit. Et sic natura omnes filii irae. Expresse enim Gen. 5. cap. dicitur: Genuit Seth ad similitudinem et imaginem suam; et Rom. 5.: Per delictum unius propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem; Ephes. 2.: Sumus natura filii irae; Psalm. 51.: Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Ubi non solum concupiscentia, cum ea primum sentiri incipiat a pubescentibus, intelligitur, sed longe gravius quippiam, quod etiam in iis est et vivit, qui aetate inferiores sunt, in infantibus, imo etiam in foetu vivente in utero, ut Lutherus loquitur: Hierem. 17.: Pravum esse cor hominis et miserum; Rom. 8.: Sensus carnis est inimicitia adversus Deum.
- ¹⁴ Nec intelligatur malum originis esse tantum poena, ut dicunt aliqui: nos plecti propter lapsum Adae, sicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii secundum iusticiam fori, sed etiam corruptio et pravitas naturae in omnibus ex
- ¹⁵ virili semine nascentibus, propter quam rei sumus. Atqui cum hinc velut ex mala arbore pessimi fructus germinetur, quorum longum catalogum apostolus (ad) Roman(os) primo recenset, et ad Galatas quinto cap(ite), qui opera carnis dicuntur. Nemo Deum impatientia gravissimorum onerum oppressus iniusticiae et tyrannidis accusare potest, quod inobedientibus et contumacibus praesentes et aeternas poenas irrogat, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non fecerit ea, quae scripta sunt in libro legis, quarum horribilium comminationum summa velut in fasciculo comprehensa recensetur Exod. 20; Levit. 26. et Deuteron. 27. et 28. Quo-
- ¹⁶ circa cum morbis, egestate, exilio, bello, fame, peste, odio et persecutione improborum hominum adeoque morte tristissima impetitur et premimur, nihil praeter
- ¹⁷ meritum pati ac sustinere nos confiteri decet. Sicut propheta dicit: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. In quam sententiam pie et Augustinus dicit: Domine, hic ure, hic seca, ut in aeternum mihi parcas. Est etiam memorabilis vox Mauricii imperatoris, qui cum dulcissimae coniugis et charissimorum liberorum necis spectator esset, hanc psalmistae sententiam crebro repetivit: Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum. Etsi autem ardua est et difficilis haec lucta, tamen pii non succumbant dolori, sed fide tanquam clipeo vincant desperationem et blasphemiam, ut Iob inquit: Etiamsi occiderit me, tamen sperabo in eum.
- ¹⁹ Observanda sunt hoc loco primo, quod miseriam nostram et vitae fugacitatem ex peccato contractam agnoscere et sentire prodest, cum in privatis, tum in pu-

15 ad Romanos primo — Rom 1,18—32

ad Galatas — 5,13—25;

Maledictus omnis — Gal 3,10

17 Iram Domini portabo — Mich 7,9

Domine, hic ure — Augustinus: ubi?

18 Iustus es, Domine — Tob 3,2

Etiamsi occiderit — Iob 13,15; cf. Manl.: Coll. pp. 118—119

blicis poenis, ne securi et ebrii voluptatibus, sine timore Dei et sensu peccatorum manentes Dei iudicium contemnamus, et calamitatum pondere oppressi ex impatientia et desperatione auxilii divini Deum contumelia afficiamus, et aeternis inferorum cruciatibus subiiciamur.

²⁰ Secundo discrimen observetur inter hominum et pecudum mortem aliarumque terra nascentium rerum interitum. Homines in ira Dei moriuntur propter peccatum, pecudum mors est naturalis, et fit Deo favente et vidente; putrefiunt et corumpuntur plantae et omnia germina, quia deficit in eis naturaliter humidum radicale, et nativus extinguitur calor.

²¹ Tertio, quod sensus et metus mortis non ad impatientiam, blasphemiam et desperationem nos impellit, sed efficit, ut ad Deum gemamus et suspiremus, qui promisit vulneratis et anxii cordibus gratiam et aeternam salutem per Christum, mortis, Diaboli et inferni domitorem, atque is obicit nobis varias calamitates et tentationes, ut humiliemur, non ut damnemur.

²² Ponis iniquitates nostras in conspectu tuo.

²³ Affirmat Moses non tantum vulgares in mundo homines coram Deo peccato esse contaminatos, sed etiam seipsum et omnes alios, quantumvis excellentibus donis divinitus ornati sint. Ideo dicit: Nostras iniquitates ponis in conspectu tuo, non facile et leviter oblivisceris et inultas abire sinis, veluti si quispiam imaginis in speculo contemplatae e vestigio obliviscitur, sed eas quasi in libro expresse et signanter scriptas habes, tanquam certum debitum necessario ad calculum revocandum.

²⁴ Hinc liquet imperfecta et contaminata esse omnia etiam sanctorum opera, iuxta illud Esai. 64.: Omnes nostrae iusticiae (non dicit peccata nostra vel mala opera, sed iusticiae: et quidem omnes, non aliqua tantum). Et nostrae, hoc est, sanctorum, non ethnicorum tantum). Omnes ergo, inquit, iusticiae nostrae sunt velut pannus menstruatae. Itaque bona sanctorum opera sunt bona mala opera; gute böse Werck; sancti sunt peccatores, fromme Schelck, ut quidam argute dixit. Quod si interdum differendo poenas Deus scelerum oblivione captus videatur, tamen id facit, non ut in nobis peccandi licentiam impunitate augeat vel confirmet, sed ut suo exemplo nos ad mansuetudinem et misericordiam erga proximum invitet, et impiis spacium poenitentiae concedet, Rom. 2.: An copiam benignitatis eius et tolerantiae ac lenitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad resipiscentiam te allicit? Nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

²⁶ Nam si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat Iupiter, exiguo tempore inermis erit. Nihilominus tarditatem supplicii poenarum atrocitate suo tempore compensat.

²⁷ Occulta peccata nostra in lumen vultus tui.

²⁸ Hic ostendit Moses duplicia esse peccata. Quaedam originalia, quae occulta vocat, quia ea non intelliguntur, vel negliguntur a securis et timore Dei vacuis, vel etiam iudicantur secreta esse, nec cerni ab aliis, vel etiam mira hypocrisi pallian-

22 Ponis iniquitates — Psal 90,8

26 Nihilominus tarditatem supplicii — Val. Max. I, 1, ext 3; cf. Rm II, 10; 267—268; RP II, 38

27 occulta peccata — Psal 90,8 (secundum Sept.!)

- ²⁰ tur et teguntur, extenuantur et variis coloribus excusantur. Mens plena est caliginis, et aberrat opinionibus de Deo, voluntas repugnat mandato Dei, et ne quidem in tanta imbecillitate virium humanarum legi Dei, perfectam obedientiam efflagitanti, subdi potest. Cor intus ardet pravis cupiditatibus, et instar Euripi fluctuat inordinatis motibus, dubitatione de Deo, vindictae cupiditate, ambitione, malevolentia, invidia, ira, odio, impatientia. Estque continua naturae nostrae pravitas inimicitia adversus Deum. Ideo ardentem orat David: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Item: Innocens coram te, non est innocens. Et Paulus inquit: Nihil mihi sum conscius, non tamen in hoc iustificatus sum.
- ³¹ Alia sunt actualia delicta, quae utcumque intelligit ratio, ut sunt homicidia, adulteria, furta, periuria, rapinae, seditiones etc., quae fructus sunt ex mala radice
- ³² pullulantes originalis nimirum peccati. Nos in unum coacervatis occultis et manifestis delictis oremus cum regio propheta: Domine, non intres in iudicium cum servo tuo, quia in conspectu tuo non iustificabitur omnis vivens. Item: Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? Et cum Daniele: Tibi, Domine, iusticia, nobis confusio faciei nostrae. Dicamus cum publicano: Deus, propitius esto mihi peccatori. Procidamus ad genua cum filio prodigo, ac profusis lacrimis precemur: Pater, peccavi in coelum et in te, nec sum dignus vocari filius tuus. Fateamur, quod Christus iubet: servi inutiles sumus. Cogitemus coram Deo
- ³³ nihil esse absconditum. Is enim singulatim finxit corda omnium hominum, et intelligit omnia opera eorum. Unde recte pius et praeclarus cecinit vates Eobanus:

Omne, quod est usquam, scitque videtque Deus.

- ³⁴ Si pudet nos in conspectu mortalium quicquam turpe et infandum admittere, unde ignominia, conscientiae dolor aut supplicium atrox emergere possit, multo magis pudeat in conspectu Dei et castorum angelorum delinquere, qui in mari et in omnibus abyssis abdita quaeque abstrusaque novit, et a longe cognoscit. Qui coram Deo facit mala, quae coram hominibus facere perhorruit, homines magis
- ³⁵ timet, quam Deum, aut nullum omnino Deum esse credit, teste Augustino. Huc aptissime congruit et dictum Syracidae cap. 23.: Vir, qui adulterium admittit, et cogitat apud se, quis me videt? tenebrae cingunt me, parietes occultant me, iam me videt nemo, quem metuam, quem reverear? Altissimus mea peccata nihil moratur.
- ³⁶ Hic tantum reveretur oculos hominum, et non cogitat, quod oculi Domini sunt multo clariores sole, omniaque cernunt facta hominum, penetrantque in angulos abditissimos. Omnia tam nota sunt illi antequam creentur, quam postea cum creata sunt. Hic vir in urbe publice dabit poenas, tunc deprehendetur, cum

30 Ab occultis — Psal 18,13—14

Nihil mihi — I. Cor 4,4

32 Domine, non intres — Psal 142,2

Si iniquitates — Psal 129,3

Tibi, Domine — Dan 9,7

Deus, propitius esto — Luc 18,13

Pater peccavi — Luc 15,18—19

servi inutiles — Luc 17,10

33 Omne quod est ... — Locum non invenimus, fortasse: Ille videt, quicquid maximus orbis habet. Aut: Nostra videt commissa deus peccata, nec ullum | Occultum reliquis, hunc latuisse potest (Eobanus: Domini potentia infinita).

34 Qui coram Deo — Augustinus: ubi?

- ³⁷ minime cogitat. Et Iob 34.: Oculi eius sunt intenti in vias singulorum, et tuetur omnes gressus eorum. Non sunt tenebrae aut caligo, in qua operarii iniquitatis latere possint. Nemini enim conceditur, ut cum Deo litiget. Amos 9. cap.: Non erit fuga eis, fugient, et non salvabitur ex eis, qui fugerit; si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos; et si ascenderint usque in coelum, inde detrahā eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos; et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti et mordebit eos.
- ³⁹ Ut autem mundus in maligno positus ab effreni et procaci licentia peccandi magis magisque absterreatur: operae precium facturus videor, si fusius et explicatius huic narrationi insistens exposuero: nihil scelerum, quae vel animo occultamus, vel in foedos actus proruperint, Deum omniscium et inspectorem cordium latere posse, licet non repente et e vestigio vindicibus ea persequeretur flammis, tamen eorum esse memorem, et progressu temporis, quicquid sub terra est, mirabiliter in apicum proferre, ut facinorosi, quantumvis magna calliditate et astutia crimina sua tegere conantur, raro molares deorum effugere valeant. Habet enim
- ⁴⁰ ultricem oculum, et cernit Deus omnia vindex. Et quod de periuris dicitur, id verum esse de omnibus enormibus flagitiis cogitetur:

Ah miser, etsi quis primum periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

- ⁴¹ Multa sane egregie et utiliter cum magna gravitate recenset exempla Plutarchus in libro De sera numinis vindicta, quae Dei providentiam confirmant, punientis sceleratos licet tardius, et nonnunquam eos, qui ab ipsis laesi et oppressi fuere; iniuriam, postquam vita defuncti fuerint, nec vindictae spectatores iam esse possunt, debita animadversione prosequentis. Aristocrates, qui Messenios Cyprico prodidit bello, supra viginti annos cum latuisset scelus, deprehensus tandem delicti poenas dedit.
- ⁴³ Orchomenii a Lycisco proditi, patria, liberis et amicis spoliati, cum non amplius superessent, corpus tamen proditoris succedenti tempore multis frangebatur aegritudinibus, adeoque succendebatur, ut identidem pedes abluere ac flumini immergere cogeretur, iuraretque ac fateretur, haec illi ob prodicionem et iniurias accidere.
- ⁴⁴ Ac ut brevitatis causa caetera, quae ibi recensentur, omittam, quae de Besso et Pausania memoratu digna refert, attingam. Bessus cum proprium interfecisset patrem, multo delituit tempore. Ac cum aliquando ad hospites coenatum pergeret, hirundinum nidum hasta impellens deturbavit, pullosque pedibus contrivit. Cumque ut par erat, astantes dixissent, qua causa homo impulsus rem tam nefandam perpetrare ausus est? Nonne, respondit, iam diu falsum adversum me ferunt testimonium, clamantque proprium me occidisse patrem? Praesentes vero cum admiratione ducti verba ad regem detulissent, resque diligentius discussa esset, meritis Bessus poenas dedit.

44 clamantque T clamantque

40 Ah miser — Tibull. I, 9,3—4

42 Aristocrates — Plut. De sera numinis vindicta

43 a Lycisco proditi — Plut. ibid.

44 ibi recensentur — Plut. ibid.

- ⁴⁵ Pausanias quoque Byzantii Cleonice liberam stupravit virginem, quam cum noctu is quandam ob causam emisisset, indeque revertentem terrore ac suspitione correptus peremisisset, eam saepius in somnis assistentem ac dicentem vidit: Adsis iudicio, mala res iniuria valde est. Unde ille diu multumque turbatus vita excessit. Haec Plutarchus.
- ⁴⁶ Refert simile de immanissimo naturae monstro Suetonius, Nerone videlicet, quod is postquam infanda horrendaque multa perpetrasset scelera, ac demum etiam matris necem imperasset, cadavere conspecto eum ita conterritum et obstupefactum, ut sceleris conscientiam, quanquam et militum et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut nunquam postea ferre potuit, saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac taedis ardentibus, donec nimio angore animi oppressus sibi ipsi necem conscivit.
- ⁴⁷ Huiusmodi innumeris exemplis cum omnium gentium historiae sint refertae, plura ex aliis authoribus attexere supersedebo. Unum duntaxat, quod nostra memoria accidit anno 1551., admiratione dignum et horrore plenum commemorabo, ac mihi dari veniam ab aequo et candido lectore impense et afflictim peto, si aliquantulum huic narrationi longius indulsero. Id enim eo fit studio, ut praesentis quoque aevi tragica exempla cum veteribus, quibus forte vulgo minus fidei habetur, quod longius a memoria nostra remota sint, et vetustate pene oblitterata, conferamus, ut ex iis certiora documenta de ante actis consequamur. Erat, de quo dicturus sum, ex eadem patria urbe mecum oriundus; is postquam virilem attigisset aetatem, Tyropoli, alias Kesmarckum appellant, urbe non ignobili in agro Sepusiano Poloniae contermino, uxorem duxerat. Cum inopia rei familiaris premeretur, dimissione ab uxore impetrata, cui persuaserat se in patriam ad cognatos suos profecturum pro haereditaria sua portione advehenda, quae apud consanguineos eius nomine asservaretur, ac mature et tempestive reditum pollicetur.
- ⁴⁹ Conflat pecuniam ex fundis paternis venditis mediocrem, et ad profectionem necessariis comparatis itineri accingitur. Cumque Debrecinum, quod celeberrimum est inferioris Pannoniae emporium, appulisset, cum mercatoribus ipsi familiaribus, qui fori causa convenerunt, in hospitio publico pergraeatur, et postquam largius mero indulgissent, ut fit, chartis lusoriis fallere tempus aggrediuntur. Ubi dum
- ⁵⁰ minus aequa sors faverat illi, ludendo amisit pecuniam. De reditu interea ad uxorem sollicitus conducit vectorem, cui, postquam Cassoviam pervenerint, precium constitutum persoluturum sine mora et defectu pollicetur. Accipit conditionem vector, iterque simul ingrediuntur. Lusor infelix cum angeretur animo, quam ingratus ipsius adventus uxori, liberis et amicis futurus esset, quibus maximam spem de amplissimo patrimonio referendo iam pridem gloriabundus fecerat, ubi pollicitis frustrati spe excidissent, nec vectori quam persolvat mercedem pactam habeat, maerore ex ingenti pudore affectus vectorem clam noctu alto somno
- ⁵¹ sepultum in hospito, nemini conscio, cultro per iugulum adacto interfecit. Ac ut scelus lateat, conductitio ipsius interfecti currui cadaver imposuit, idque peponibus odoriferis stramine involutis, ne foetor aestu excitatus a quoquam sentiretur, occultuit, ratus, ubi commoda offerretur occasio, vel in aquam, aut abstrusas in silvas illud proiecturum, vel humi defossurum. Et quoties sub crepusculum ve-

46 conscientiam **T** conscientia

46 Refert Suetonius — Nero, 34

50 interfecit — cf. Cic. De invent. rhet. II, 4,14—15

- spertinum consulto et ex composito hospitium subeundum illi erat, in paludes alto coeno stagnantes de industria cum curru egit equos, simulans se multa vi et clamore inde eluctari non posse. Atque ibi curru per noctem relicto equos disiunxit, et in hospitio pabulo refecit. Interea canes circumquaque miserabili et horrendo
- ⁵² latratu illic quippiam latere infausti prodidere. Mane aurora nondum prodeunte, ne quisquam praesentiret facinus, cum lacrimabili hoc suo et fatali plaustro ulterius progreditur. Duravit huius infelix, molesta et calamitosa profectio ad duas usque septimanas. Demum ubi fati immutabilis et inaevitabilis necessitas ad poenam sotentem deposceret, prope urbem Bartpham fit obvius ei honestus et spectatae fidei vir eius urbis, civis Petrus Ruffus, qui familiarissime illi notus erat, agnoscit peregrini vectoris equos, quibus et ipse aliquando conductitiis usus erat, miratur abesse essedarium, et quare ipsemet aurigandi munus obierit, sciscitatur, quidnam
- ⁵³ veheret, quove tenderet, rogat. Cui ille aurigam in silvam concessisse, ut ligna pro instaurando curru adduceret, mox pepones aliquot promittit, iubet, ut iis vescatur, interea dum male sibi conscius, nimis moleste ferret viri praesentiam, metuens ne quoquo modo facinus proderetur a se patratum, in aurigam reditum longius differentem acerbe invehitur, ipsemet in silvam iturum pro eo accersendo recepit, obsecrat, tantisper praestoletur, penesque currum consistat, donec revertatur.
- ⁵⁴ Quod cum annuisset, citato gradu reus in silvam contendit, cuius pedibus, ut poeta inquit, timor addidit alas. Bartphensis, quem longior mora reditus utriusque, ut opinabatur, fatigabat, circumquaque currum inspicit, ac dum nihil, quod fractum laxatumve instaurazione opus habeat, deprehendisset, dolum subesse suspicabatur. Auxit equi, quo advectus erat, insolens incompositusque motus et insignis clamor et furor, quem proculdubio ex nidore praesentis cadaveris conceperat, obortam suspicionem. Mox conscenso curru, dum pepones hinc inde manibus versat, ut aliquot ex selectioribus acceptis iter propositum continuet, forte in miserum incidit cadaver, quod cum exploratus, quantum horror et attonitus
- ⁵⁵ stupor sinebat, perlustraret, effigiem ante sibi cogniti aurigae recognoscit. Nulla idcirco mora interiecta ad messorum properat, quibus victum deferebat, nec facinus deprehensum dissimulat, hortatur, ut alacres paratique homicidam redeuntem vi adoriantur, se interea ad praetorem urbis rem delaturum auxiliumque imploratum.
- ⁵⁶ Reus deprehensi et iam vulgati sceleris ignarus, cum a cive incustoditum desertumque videret currum, revertitur, ubi statim a circumfusa agresti multitudine capitur, et in publicos urbis carceres abducitur. Hic aliquandiu, donec ex procul dissito loco amici et consanguinei ad causae cognitionem convolarent, carceri inclusus multa familiariter cum certis notis verae poenitentiae cum iis, qui ipsum adibant,
- ⁵⁷ de iusto Dei iudicio et horribili conscientiae carnificina disseruit. Ac inter caetera affirmabat, quotiescunque in abditissimis silvis intempesta nocte in fluentia proolvere cadaver constituisset, undique sole et sideribus clarius lumen ipsum circumfulsisse, multisque agminibus candidis vestibus amictis facesque ardentes in manibus gestantibus fuisse septum, qui minaciter eum a proposito deterruissent, ad quorum conspectum obstupefactus adeo horruisset, ut nulla vi nullave ratione corpus abicere potuerit.
- ⁵⁸ Demum cum publice extremo supplicio afficiendus candentibus primum forcipibus per publica compita ductus a carnifice laceraretur, nullum ex dolore im-

⁵⁴ timor addidit alas — Verg. Aen. VIII, 224

- patientis animi indicium ostendit. Quin potius ad locum supplicio destinatum quousque perveniret, ad pie et alacriter moriendum sese usitatis in exequiis piorum
- ⁵⁹ canticis excitabat, erigebat et confirmabat. Et cum post petitam a circumstantibus sceleris admissi veniam ultimum lictoris impetum et vim passurus esset (adiudicatus enim erat rotae), orant praesentes cives lictorem, tristem sortem rei commiserati, ne miserum, qui tam constantis fidei indicia edidisset, diutius cruciando
- ⁶⁰ torqueret, sed quantocius vitam abrumperet. Lictor itaque aptatis instrumentis pronum in terram inclinare ac mox ore hiantem mordicus apprehendere trabem iubet, quo facto totis incumbens viribus rotam plaustralem ter ictu repetito in cervicem impiegit. Et cum iam iugulum fractum existimaret, ad caetera exequenda dum intentus instrumenta a tergo aptaret: nullo impellente, manibus post terga revinctis, sese, qui exanimis credebatur, in pedes erexit, et quasi ex alto somno ad se reversus quaesivit, quid tumultuum istic ageretur? et quare optata quies sibi negaretur? Tandem redintegratis ictibus subito expiravit.
- ⁶¹ Docent haec et similia exempla enormia flagitia atrocibus puniri poenis etiam in hac vita. Nec ullum tam sapiens pharmacum industria et calliditate humana posse adhiberi, quin mala conscientia stimulis et facibus furiarum agitur, excrucietur ac horribiliter divexetur, sicut cardinalis quidam dixit: Mala conscientia est mala bestia, facit hominem stare contra seipsum.
- ⁶² Multa de mala conscientia passim dicta extant, Iob 15.: Cunctis diebus impius trepidat, et numerus annorum absconditus est tyranno. Quicquid audit, terrorem ei incutit, et in pace metuit adventum vastatoris. Non credit se posse effugere calamitatem, et subinde prospicit tanquam in specula gladium, vagatur incertis sedibus ad quaerendum panem, et semper putat aut instare iam plane, aut certe appropinquare tempus calamitatis suae. Terrent eum tribulatio et angustia, et prosterunt eum sicut rex ducens exercitum.
- ⁶³ Seneca lib. 16. epist. 98.: Prima illa et maxima peccantium est poena, peccasse. Nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus et haec et illa, secundae poenae premunt ac sequuntur, timere semper et expavescere et securitati diffidere. Nam mala facinora certum est conscientia flagellari et plurimum illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo urget ac
- ⁶⁴ verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere. Atque hoc argumentum est, natura nos a scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat poena, metu neminem. Quia infixi nobis rei aversatio est, quam natura damnavit. Ideo nunquam fides latenti fit etiam latentibus, quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Proprium autem nocentium est trepidare.
- ⁶⁵ Deuteron. 28.: Et erit vita tua pendens ante te, timebis nocte ac die, et non eris certus de vita; mane dices, quis mihi det vesperum? et vespere, quis mihi det mane? Non vidi locum, qui clarius miseriam malae conscientiae describat, tam aptis et propriis, tum verbis, tum sententiis. Sic enim affectus est, qui Deum offensum habet, id est, qui peccati conscientia vexatur. Omnia tuta, ut ille ait, etiam timet.

63 epist. 98 — rec. 97

65 ut ille ait — Verg. Aen. IV, 298; cf. Ov. Met. VII, 47

- ⁶⁶ Esaias sane 57. cap. uno verbo omnia complexus ait: Impii sicut mare fervent, quod quiescere non potest. Ita impium agunt procellae cogitationum timoris,
⁶⁷ diffidentiae, desperationis, ut vere mari ferventi comparari possit. Demus idcirco operam, ut crebris cogitationibus Andini poetae sententiam animo versemus:

Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.

- ⁶⁸ Ac quod dux ille sapientissimus monuit suos milites, faciamus et nos ipsi. Si cum labore, inquit, honesti quippiam egeritis, labor abiit, honestum vero manet. Sin autem cum voluptate turpe quippiam feceritis, quod suave est, abit, quod turpe est, perpetuo manet.

Quarta concio

- 1 9. Quoniam omnes dies nostri declinant prae ira tua:
 consumimus annos nostros sicut fabulam.
2 10. Dies annorum nostrorum septuaginta anni:
 aut ad summum octuaginta, e quibus quod optimum est,
 est molestia et labor, transitus enim celer est et avolamus.
- 3 Coepimus, ut initio dictum est, ex Dei gratia et benignitate hunc psalmum publice pro concione interpretari, quod is argumentum huic funesto et luctuoso tempori, quo late contagium pestilentielle grassatur, conveniens et accommodum complectatur: Nos nimirum brevitatis ac miseriae vitae nostrae admonens, veramque causam sceleris et rapidi nostri interitus, utpote iram Dei adversus humani generis peccata ingentia et atrocita una cum efficacibus consolationibus praesentiae et gratiae divinae in omnibus periculis et afflictionibus ostendens. Decet vero nos assidue, diligenter et attente insistere, totisque animis incumbere huic meditationi, ut ad veram et salutarem poenitentiam, timorem Dei, humilitatem et poenitentiam excitemur, et ad petendum expectandumque auxilium Dei Opt(im)i Max(im)i accendamus. Porro haec potissimum agenda sunt.
- 5 Primum agnoscamus pestem esse plagam Dei severe irascentis propter multiplicia scelera irrogatam, quam si declinare et evitare volumus, serio de admissis peccatis doleamus, et dignos fructus verae conversionis ad Deum proferamus.
- 6 Deinde sedulo certa et firma fiducia merito et intercessione filii Dei freti crebris, piis ac ardentibus votis petamus remitti noxam et poenam commeritam mitigari ac penitus aboleri, ut sint aliqui veri cultores Dei in hoc etiam angulo patriae nostrae superstites, cum alioqui fere totus mundus sit blasphemus et inimicus Deo, nec etiam mortui et in inferno existentes laudare Dominum possint.
- 7 Tertio non respuant homines furenter iusta et concessa remedia, quae partim longa experientia et usu privato, partim fidelium prudentum et doctorum medicorum sano consilio deprehensa sunt, fuisse efficacia et salutaria. Ad haec sint

67 Si genus — Verg. Aen. I, 542—543

68 Si cum labore — M. Porcius Cato, v. Gell. Noct. Att. 16,1

7 Ad haec T Adhaec

1 Quoniam omnes — Psal 90,9

2 Dies annorum — Psal 90,10

- sorbii et temperantes in cibo et potu aliisque rebus voluptuosis moderandis.
- ⁸ Insuper videntur loca contagiosa et congressus non necessarios convictumque hominum infectorum, nisi vocationis ratio et amor proximi in extrema necessitate constituti id efflagitet et requirat, nec attingant vestimenta et stragula per importunas et maleferiatis haereditariorum bonorum divisiones. Verissimum enim est, quod sapiens dicit: Qui picem tangit, inquinabitur ab ea. Et morbida facta pecus totum corrumpit ovile. Item usitatae sunt voces: Qui vitat aciem belli, non perit in acie. Qui non intrat in aquam, non madescit.
- ¹⁰ Quid porro cum illis agendum sit, quorum aedes sunt infectae, prudentissimus senatus consulto deliberabit; nec communis sortis hominum et charitatis obliti ipsos alii plane aversentur, et velut hostes a Deo percussos execrentur, sed tanquam fratres et amici nostri curentur ac foveantur. Quod mei est officii, diligenter eos moneo et oro, ut a sanorum convictu abstineant, non impatienter ferant moram exiguum separationis, non maledicant aliis, idemque malum aut gravius multo imprecantur. Quod si invaluerit haec contagio, dabimus operam, ne illi verbo
- ¹¹ Dei et sacramentorum usu defraudentur. Hortor etiam alios, ne calamitosis insultent et prae se tanquam vasa irae Dei contemnant, memores dicti: Qui stat, videat, ne cadat. Item: aut sumus, aut fuimus vel possumus esse, quod hic est. Cuique enim accidere potest, quod cuiquam accidit. Nunc ad psalmi enarrationem accedamus.

¹³ Quoniam omnes dies nostri in ira abierunt.

- ¹⁴ Toties mentionem facit irae Dei, ut crebra commemoratione nos ad poenitentiam et gratiae Dei petitionem invitet. Praeter alias supra commemoratas similitudines, quae nos de miseria et fugacitate vitae admonent, addit duas in hoc
- ¹⁵ textu. Prima est, confert eam fugae vel curriculo, sicut in Olympico certamine fieri solebat, celeriter praetereunti et ad metam properanti, quo uno magnum spacium conficitur. Non longam moram hic teximus. Qui nimio pondere currus onustos habent, in profundo coeno immersi diu haerent, luctantur et volutantur.
- ¹⁶ Altera est de sermone cito evanescente; ut enim sermo vix decima ex parte aliquid veri et solidi continet; sed plerumque vanus est et mendax, quod et proverbia docent: Sunt verba. Item: Es gehen viel Wort in eine Bettzieche, ita revera si inspicias totam hominum vitam, nihil fere habent firmi et verarum actionum, omnia
- ¹⁷ subiecta sunt vanitati. Ad haec nihil citius evanescit sermone, quantumvis in conviviis amicorum longae et prolixae narrationes de variis et multis ludicris vel seriis reb(us) ultro citroque habeantur, tamen subito finiuntur, et postquam in multam noctem inter se collocuti fuerint, videtur vix momentum aut hora totum
- ¹⁸ hoc temporis spacium fuisse. Ita si omnes annos vitae numeremus, sunt breves, et cito absolvuntur. Ortus et occasus noster sibi invicem cohaerent, ut recte Mani-

⁹ Qui picem — Eccl 13,1; cf. Gesta Rom. XI
morbida facta pecus — Iuv. Sat. 2,79—80; cf. Hieronymus: Commentariorum in epistolam ad Galatas libri tres; Walther: Prov. 15044

¹² Qui stat — I. Cor 10,12
aut sumus — Walther: Prov. 1858

Cuique enim — Publ. Syrus 154

¹³ Quoniam omnes — Psal 90,9

¹⁹ lius dixit: Nascentes morimur, finisque ab origine pendet. Denique, ut semel
²⁰ emissum volat irrevocabile verbum: sic ex omni vita exacta non annus, non men-
²¹ sis, non hora, non dies, nec minutum temporis revertitur. Omni ergo ope adni-
tendum est, ut temporis rationem habeamus. Nullius (siquidem) iactura rei pre-
ciosior unquam, quam male praeteriti temporis esse potest. Ac semper in animo
habeamus divi Augustini dictum: Maledictus omnis, qui pulcerrimum et fragrantis-
simum vernantis iuventutis florem Diabolo, foetidas vero decrepitae et sordidae
senectutis feces Deo consecrat.

²² Dies annorum nostrorum septuaginta anni etc.

²³ Sumta est haud dubie haec descriptio miseriae et fragilitatis humanae vitae ex
narratione patriarchae Iacob, qui rogatus a Pharaone, quot annorum esset, re-
spondit: Dies peregrinationis meae sunt anni centum et triginta, pauci et mali,
²⁴ et non aequant numerum patrum meorum. Non habemus hic manentem civitatem,
non sumus vere domini rerum nostrarum, sed oeconomi tantum, dispensatores,
²⁵ hospites et peregrini. Omnes mori cogimur et reddere rationem, et vel in cunis
adhuc iacentes prima offa mortem nobis attraximus. Wir haben das Sterbehembt
von Mutterleib mit unsbracht, und den Todt in dem ersten Brey in uns gefressen.
²⁶ Vixerunt quidem ante diluvium homines 500, 600 et 900 annos, cum natura
esset validior, et victus moderatior. Nunc inter decem millia hominum vix unus
attingit 60, 70 aut 80 annos. Quia tota natura est languidior propter peccatum,
et profusam et inexplebilem voracitatem et ingluviem hominum, ultro sibi senium,
²⁷ deformitatem fatumque extremum ante iustos annos accersentium. Videmus
multos exitiales morbos homines sibi inordinato luxu et crapula immodicisque
²⁸ voluptatibus velut haereditarium malum accersere. Ac vinum, quod senescenti
et effaetae naturae tanquam fomentum divinitus attributum erat, id fit per abusum
nocentissimum venenum et tale balneum, in quo plures fere submerguntur, quam
²⁹ in mari naufragium patiuntur. Et gula plus noxae, quam celer ensis habet. Contra,
sobrietatis virtus valetudinem nostram conservat, et vitam diuturniorem salubrio-
remque reddit. Quin etiam corporis animique sensus ad ultimum usque vitae no-
³⁰ strae finem perducit, integros atque incolumes. Qui vero vino ciboque se immergunt,
stolidi, ignavi obtusique fiunt: raro longaevi sunt, facile aegrotant, magna cum
difficultate curantur, ac corporis viribus animique virtute quam primum destitu-
untur, fiuntque deliri, et omnibus contemptui ludibrioque sunt, adeo, ut necessarij
ac familiares omnes eis interitum optent. Socrates sobrietatis etiam munere per
omne vitae suae tempus inoffensa fuisse valetudine perhibetur.
³¹ Aliquibus in mentem venire potest, qui fiebat, ut veteres patres ante et paulo
post diluvium tam diu vixerint, et aetas haec postea paulatim fuerit decurtata,
³² donec communi cursu deducta est ad annos octoginta. Multae erant causae illius
vitae diuturnae antiquitus. Erant procreandi multi liberi et implendus orbis, id
fiebat diu vivendo. Inveniendae erant artes, diu ergo vivendum erat: experientia

18 Nascentes morimur — Astronomicon IV, 16; cf. En II, 32

21 Maledictus omnis — ubi?

22 Dies annorum — Psal 90,10

23 Dies peregrinationis — Gen 47,9

24 Non habemus — Heb 13,14

30 perhibetur — ubi?

- enim discuntur. Quod praecipuum erat, cultum unius veri Dei inter homines
³³ retineri oportebat, quod in tanta varietate individuorum vix fieri potuisset. Postea
cum tanta procreatione non esset opus, cum artes essent repertae, et sacrae literae
nobis traditae, quibus alligatus erat divinus cultus, fuisset laboriosa longa vita.
Patriarcha Iacob dicebat: Pauci sunt dies servi tui et mali, si comparentur ad
³⁴ aetatem maiorum, non nostram. Ita fuit ista decurtatio misericordia quaedam
Dei erga nos. Haec D<ominus> Petrus Martyr commemorat in commentariis in
lib. 2. Samuelis 19. cap. de aetate Barzilai.
- ³⁵ Aptissime et eruditissime tribus animae potentiis tres aetates mundi conferuntur.
Rationali in cerebro, ubi in prima aetate ante diluvium sapientes vixerunt, artium
et excellentium operum, quae adminicula ad sustentationem et conservationem
³⁶ vitae humanae forent, inventores. Irascibili in corde, medium seculum, ubi bellica
virtute conspicui insignes heroes clamaverunt, Iosua, Samson, Gedeon, David,
³⁷ Hector, Achilles et quatuor monarchiae constitutae fuerunt. Concupiscensibili
in epate, in qua est stomachus velut culina, omnia absorbens. Postremum enim
seculum procreat lucrones et comedones, qui Bacchanalia vivunt, nec sunt dissi-
miles Epicuri de grege porcis, quemadmodum Christus dicit: Edebant, bibebant;
³⁸ temporibus Nohae et Lothi haec confers tempora. Saepe intemperantiam Ger-
manicae nationis his verbis unicus post D<ominum> Lutherum nostri aevi phoenix
D<ominus> Philippus Melanchton detestari solebat: Wir Deutschen fressen uns
Arm, ehrlos, kranck, todt unnd in die Helle.
- ³⁹ Hoc vero longe est atrocius, quod haec brevis, fugax et incerta vita etiam id
secum trahit incommodi, quod sit plena laborum et dolorum, plusque miseriae et
⁴⁰ fellis habeat in se, quam saccari et mellis. Verum haec paulo accuratius consi-
derabimus. Recte dixit Seneca: Magnam vitae partem nihil agendo consumi,
⁴¹ maiorem aliud vel temere agendo, maximam male agendo. Homo usque ad vigesi-
mum annum nihil sapit in communibus rebus, pueritiam lusibus puerilibus terit,
globulis, pila, trocho, equitando in arundine longa. Adolescentiam equitando,
venando, Veneri et cantilenis operam dando aut sub rigidis et plagosis praeceptoribus
literas discendo, aut opificium mechanicum exercendo, eoque cognito pere-
grinatur in exteras regiones, sinit vel parentes, vel patresfamilias de victu, amictu,
defensione et hospitio habere curam, nulla sollicitudine gubernandae oeconomiae
⁴² vel politiae afficitur. His si etiam reliquos decrepitae aetatis et capularis senii
annos addideris, vides bis pueros fieri senes, senectus enim per se ipsa est morbus
et onus Aethna gravius, amittitur pulcritudo et vigor corporis, ingenium, memoria,
caligant oculi, non pedes, non manus, nec vox, nec stomachus officium faciunt.
- ⁴³ Cessant sensus et voluptates. Omnia fert aetas, animum quoque, ait Maro. Ideoque
tales sunt inhabiles et inepti administrandis rebus, non laborare, non peregrinari,
non educare familiam, nec reipublicae munia exercere possunt, et aluntur tantum

36 clamaverunt T manu aliena corr. claruerunt

33 Pauci sunt dies — Gen 29,20

37 Epicuri de grege — cf. Hor. Epist. I, 4,16

Edebant, bibebant — Luc 17,27—28

38 Wir Deutschen — Man. Coll. pp. 244; 352

40 Magnam vitae partem — Sen. Epist. I, 1

42 onus Aethna gravius — Eurip. Hercules 637—640; Cic. Cato M. de senect. 1,2
Omnia fert aetas — Verg. Ecl. IX, 51

- ⁴⁴ in poenam suam. Apud Terentium senex Laches in Hecyra dicit ad uxorem: Aetas
⁴⁵ nostra odiosa est adolescentibus, fabula sumus, senex et anus. Ita videmus verum
 esse magnam vitae partem elabi nihil agendo. Postquam vero homo vigesimum
 attigit annum usque ad trigesimum, quae est virilis aetas, animum adiicit ad cer-
 tum aliquod vitae genus, in quo vivat, ducitur uxor, affectantur honores, quaerun-
 tur opes, mox ubi sperata gaudia fallunt, et accidit vel inopia rei familiaris, non
 victus, non census, non vestes pro coniugibus et liberis sustentandis supersunt, et
 vel sterilitas, vel liberorum infelicitas, aut calamitas et orbitas in coniugio sentitur.
⁴⁶ Mox taedio et impatientia onerum deseritur vocatio. Maxima pars male agendo
 consumitur, a diebus iuventutis nostrae ad extremum senium haeremus in peccatis.
⁴⁷ Alia sunt iuventutis flagitia, alia virilis, alia senilis aetatis. Videmus senes praeter
 alia incommoda aegritudines et infinitas fere molestias, multo atrocioribus vitiis,
 quam iuvenes laborare, invidia, cura, impatientia, odio, ira, avaritia, ambitiosa
 garrulitate, morositate, ut non tam vitia deseruerint ipsi (siquidem malorum fomes:
 concupiscentia illis adhuc inhaeret), quam a vitiis deserti sint, propter virium im-
 potentiam.
⁴⁸ Asscribam hic verba Plinii lib. 7., quibus mirifice modo commemorata confir-
 mantur, et dilucidius nervosiusque explicantur. Incertum, inquit, ac fragile est
 hoc munus naturae, quicquid datur nobis, malignum vero et breve etiam in iis,
 quibus largissime contingit, universum utique aevi tempus intuentibus. Quid quod
 aestimatione nocturnae quietis dimidio quisque spacio vitae suae vivit; pars
 aequa morti similis exigitur, aut poenae, nisi contingit quies. Nec reputantur in-
 fantiae anni, qui sensu carent, non senectae in poenam vivacis. Tot periculorum
 genera, tot morbi, tot metus, tot curae, toties invocata morte, ut nullum frequen-
 tius sit votum. Natura vero nihil hominibus brevitate vitae praestitit melius. Hebe-
 scunt sensus, membra torpent, praemoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam
 ac ciborum instrumenta, et tamen vitae hoc tempus annumeratur.
⁴⁹ Extant similia in Lippi Brandolini dialogo ad Matthiam regem Ungariae, de
 vitae humanae conditione elegantissime et doctissime scripto, quae ut pius lector
⁵⁰ saepe meditetur, pauca ex multis hic subiiciam. Introducitur ibi Matthias rex
 miseras humanae vitae deplorans in hunc modum: Homo primum e materia vilis-
 sima conceptus, antequam nascatur, decem mensium tenebris vinculisque coerci-
 tus iam tum carcerem pati discit, effusus deinde non sine maximis matris doloribus,
 humique abiectus, nudus atque invalidus a lachrimis vitam auspicatur, iterum
 deinde in vincula coniectus non ferme ante bimatum sui compos efficitur, et sibi
 quodammodo redditur, ac ne tunc quidem potens aut sui satis compos, pueritiam
 totus invalidus atque iners et linguae pariter rationisque expers, partim inter
⁵¹ mulierum manus, partim inter paedagogorum iurgia et plagas agit. Inspice deinde
 singulas aetates, singula vitae genera, quam multa, bone Deus, ab omnibus parti-
 bus pericula, molestias, labores miserasque invenies, quam saepe viventes mori-

44 Aetas nostra — Terent. Hecyra IV, 3 (618—620)

45 magnam vitae partem — v. En IV, 40

46 Maxima pars — Sen. Epist. I, 1; v. En IV, 40; 45

48 verba Plinii — Nat. h.

in poenam vivacis — Iuv. Sat. X, 243

49 in Lippi Brandolini dialogo — De humanae vitae conditione et toleranda corporis aegritu-
 dine ad Matthiam Corvinum Hungariae et Bohemiae regem et Beatricem reginam dialogus
 (Fraknói—Ábel: Ir. eml. II. p. 14 et seqq.)

- ⁵² mur, morientes vivimus, quanta vero in nostris corporibus imbecillitas? Caeteris animantibus natura suum cuique nascenti amictum dedit, pastum et latibula sine labore, sine cura passim exposuit, soli nos nudi, ut modo dicebam, geniti et frigoris calorisque impatientes alieno velamine operiamur, domos aedificemus, victum e terra colendo serendoque eruamus necesse est. Quae quidem omnia quantis laboribus, periculis incommodisque parentur, nemo est, qui ignoret. Age vero quam ⁵³ misera illa sunt, et quam molesta, quorum causa tantopere laboramus? Bis in die cibum capere, indui, exui, cubare, surgere, lavari, radi, alvum exonerare, spuere, emungi et caetera eius generis, quae tam molesta, quam quotidiana sunt.
- ⁵⁴ Iam vero multa morborum millia, quibus humana vita obnoxia est, et innumera-
⁵⁵ biles nobis aërumnas et miseriae afferunt. Nonne cum ipsis pene hominibus morbi nascuntur, eosque per singulas aetates catervatim prosequuntur? Quid senectus, in qua tanquam fructus laborum quies aliqua expectatur, quam aegra? quam imbecilla? quam effoeta? quam difficilis? quam omnium incommodorum, ⁵⁶ omnium morborum miseriarumque plena? quam omnibus malis circumfusa? Quis porro dolor in morte? Quis horror? Quis metus eius? quam tristis eius cogitatio? quam formidolosa? quam molesta expectatio? quam terribilis? quam saevus ad-
⁵⁷ ventus? Ita ut eam Aristoteles, philosophorum (ut vos existimatis) princeps, ultimum terribilium appellare non dubitet. Quam multa vero eius genera? Ita ut omnibus tibi locis temporibusque insperata atque improvisa accurrat et sequatur.
- ⁵⁸ Tam multis enim vitiis, tam multis voluptatibus circumfusi, tam multis denique sensuum et cupidinum laqueis impliciti atque irretiti sumus, ut eos evadere aut nemo, aut quam paucissimi queant. Quae cum ita sint, cur haec magnopere op-
⁵⁹ tanda sit vita, non video. Thraces quidem et aliae ex his, quas vos barbaras appellatis nationes, permultae, nascentes luctu et lacrimis, morientes contra risu et cantibus prosequiebantur, rati alteros in sempiternas miseriae devenire, alteros a miseriis sempiternis discedere.
- ⁶⁰ Demus idcirco operam, ut vitae rationem habeamus, cognita miseria et molestia nostra, ac in tempore poenitentiam agamus, cum alioqui vita in flagitiis perpetuo acta, longe infra pecorum aliarumque rerum inanimatarum vilissimam et abiectis-
simam conditionem et statum deiiciat, ut supra dictum est.

Quinta concio

- ¹ 11. Quis novit potentiam irae tuae
et furorem tuum dinumerare?
12. Doce nos, ut sciamus numerum dierum
nostrorum, ut ambulemus corde sapienti.
- ² Multa hactenus dixit de ira Dei, quod sit causa celerrimi nostri transitus ex hac vita, et omnium molestiarum ac miseriarum effectrix praesentis ac futuri seculi, quam quidem multis et ingentibus peccatis commeremur et nobis accumulamus, nunc velut epiphonemate exclamat: Quis novit potentiam irae tuae? ingentem

56 formidolosa T formidulosa

57 ultimum terribilium — Arist. Ethica Nicomach. III, 6

1 Quis novit — Psal 90,11—12

nimirum securitatem, coecitatem et stuporem humani generis reprehendens et detestans, sentientis quidem, sed non agnoscentis, nec intelligentis aut leviter admodum curantis, vel petulanter contemnens magnitudinem atrocitatemque irae Dei, et calamitatum per totum genus humanum grassantium.

- ³ Si quando commonefiunt mortales legis fulminibus de ira Dei, secuturo iudicio, praesentibus et aeternis impiorum poenis, putant huiusmodi conciones esse inania terculamenta aut aniles fabulas. Nec ullis poenarum moventur exemplis ad poenitentiam, quae in aliis et seipsis saepenumero multipliciter experiuntur.
- ⁴ Hanc horribilem postremorum temporum securitatem et plus quam Cyclopicam feritatem Christus confert Nohae et Lothi seculo, ubi nullis quantumvis crebris ac seriis comminationibus, nullisve praedicationibus de impendentibus calamitatibus, extremum ipsis exitium et interneccionem interminantibus, ad saniolem mentem degeneres mundi mores revocari poterant.
- ⁵ Estque hic Epicuraeus furor et iudicii divini contemptus, evidenter expressus in exemplo sinistri latronis, qui nec acerbitate et foeditate supplicii, nec mortis praesentis conspectu aut totius naturae iratae prodigiosa abominandaque facie ad poenitentiam flectebatur, dum scopuli dehiscunt, terra motu contremiscit, velum templi scinditur, mortuorum sepulcra sponte aperiuntur, sol radios suos intra nubila praeter usitatum naturae ordinem contrahit, tam triste et indignum spectaculum mortis filii Dei perhorrescens, sed in mediis cruciatibus haerens convitiatur Christo, et in peccatis suis perseverans ac desperans inter tetras blasphemias miserabiliter moritur. Est etiam huius mundi senescentis securitas similis incivili et agresti vulgo, sedenti ad multam usque noctem in convivio et ebrietati dedito, ubi si sapienter de honestis et utilibus rebus eximium virum loquentem conspexerit, nihil narrantis voce, autoritate rerumque dignitate aut suavitate
- ⁷ movetur, cum totus illius animus sit in patinis, et venter careat auribus. Nec minore cum taedio et contemptu musicum, canentem errantes solis lunaeque labores, aut fidibus artificiose et suaviter cytharedum ludentem fastidit et aversatur, clamore barbarico, cantionum strepitu aliisque incompressis et indecoris motibus concentum, Lapitharum et Centaurorum more, perturbans. Revera enim mundus in maligno positus nec insignia et admiranda Dei opera, quibus aeternam suam potentiam, sapientiam et inexhaustam bonitatem generi humano cum in creatione, tum in conservatione et gubernatione universi orbis, praecipue vero in collectione ecclesiae per verbum divinitus traditum et totius opere redemptionis declarat: nec atrocem iram, qua scelera hominum gravissima animadversione ulciscitur et punit, quicquam curat.
- ⁸ Similis plane praepingui porco, qui si in eadem hara secum porcum saginatum a lano mactari viderit, grunnius et horrendos clamores vim patientis audierit, ac sese ipsius sanguine foede conspersum senserit, nihilominus in sordido volutabro secure ventrem curat, nihil formidans idem exitium paulo post sibi eventurum,

4 interminantibus T interminentibus

5 contremiscit T contremescit

7 cantionum T cantiorum

4 Christus confert — Luc 17,26—31

5 scopuli dehiscunt — Matth 27,45—53; Marc 15,33—38; Luc 23,44—45

7 Lapitharum more — v. Hom. Od. XXI, 295

8 in maligno positus — I. Ioan 5,19

- quemadmodum D<ominus> Lutherus hac similitudine profanam hominum securitatem accurate perstringit. Idem monet parabola de fatuis virginibus et acris reprehensio Christi ad discipulos in horto habita: Dormite nunc et requiescite. Ubi postremorum temporum veterum et plus quam Epimenidaeum somnum indicare et accusare in negligendo salutis externae negotio videtur.
- 11 Caeterum ut aliquo modo acerbitate irae Dei ad miseriae nostrae considerationem excitemur et accendamus, sequentes rationes saepe multumque animo repetere necessarium fuerit.
- 12 Primo intueamur severissimas Dei comminationes, quae Deut. 28. describuntur; Levit. 26. In his enim omnis generis calamitates legis divinae contemtoribus denunciantur, ac quoties Iudaei iuramento in forensi iudicio fidem suam ad testificandum citati astringunt, omnes maledictiones in illo cap<ite> Deuteronomii propositas, si falsum dixerint, sibi imprecari adiguntur. Idem in promulgatione Decalogi facta, inter fulgura et horrenda tonitrua docetur: Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filiis in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in millibus, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea.
- 14 Confert 7. psalmus Deum iratum robusto probeque armato alicui Herculi aut Goliatho, ancipitem gladium ad ictus vibrantem et extendentem, ut peccatores in frustra concidat et in nihilum redigat; nec non sagittario peritissimo, qui adversum inermes et imbelles pumiliones mortiferas dirigat sagittas, et minime a scopo abludat, quin feriat et obvios quosque prostratos interimat.
- 15 Sic Baptista Deum ut hortulanum proponit, valida bipenni infrugiferas arbores et indebite luxuriantes stolones resecantem, sternentem et radicitus excindentem.
- 16 Describitur etiam Nahum 1. cap. insignis vehementia furoris domini, ad cuius nutum montes, colles et omnia fundamenta orbis contremiscunt et petrae dissiliunt.
- 17 Esaiae 13; 34; Nahum 2. cap. comminatur Deus horribiles vastitates florentissimis regnis, in quorum urbibus opera et natura munitis varioque splendore et magnificentia excultis nullum pristinae dignitatis aut nobilitatis vestigium ad omnem posteritatis memoriam sit appariturum, verum antra, cubilia et diverticula struthionum, ulularum, erinaceorum sint futurae, spinis et tribulis obsitae et horrendis asperae dumis, sicut Ovidius de Troiae excidio canit:

Nunc seges est, ubi Troia fuit, resecandaque falce,
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

- 18 2. Secundo moveant nos tragicarum poenarum publica et inusitata exempla. Non urbs, non regio, non aetas ulla severi iudicii exemplis non domus ulla caret.
- 19 Poena diluvii, Sodomae conflagratio, interitus Pharaonis, excidium urbis Hiero-

17 Phrygia T Phrygia

9 Lutherus hac similitudine — ubi?

10 parabola — Matth 25,1—13

Dormite nunc — Matth 26,45

Epimenidaeum somnum — v. Eras. Colloquia fam. (Formulae variae); Goldwurm: Wunderz. p. 31r; cf. En II, 50

13 Ego sum — Deut 5,5,9—10

15 ut hortulanum — Matth 3,10

17 Nunc seges est — Ov. Heroid. I, 53—54

solymae et totius Iudaicae gentis et politiae eversio, Graeciae devastatio et ruinae
20 omnium regnorum sunt signa severae et iustissimae irae Dei. Item bella, pestis,
fames, subita urbium incendia, horrendae tempestates et magnorum virorum
tragici et horrendi casus.

21 3. Tertio docent nos idem quotidianae et domesticae amicorum, coniugum,
liberorum et nostrae aerumnae et calamitates, quibus propius quam alienis affici-
22 mur. Nam ut dicitur: *Levius communia tangunt*. Videmus saepe nunc hunc, nunc
illum repente et de improvviso abripi, ubi hic gladio, ille igne aut aqua perit vel
apoplexia, aut peste vel alio mortis genere extinguitur. Quot nos morborum ag-
mina? quot curarum fluctus circumstant et obruunt? in vocationis laboribus quot
impedimenta et remorae obiciuntur? quam praeposteros et infelices eventus etiam
sapientissimorum hominum consilia consequuntur? Hae omnes calamitates, ut
23 sunt poenae certorum peccatorum, ita etiam veluti conciones quaedam sunt iudicii
divini, quibus ad poenitentiam invitamur. Sic Adam non solum velut privatum et
domesticum malum vidit Cain impium, iustum et innoxium Abelem interficere, sed
per totos 900 annos lapsum suum deploravit, innumera mala toti posteritati suae
24 accersita suo scelere recensens. Sic David Thamarae et concubinarum incestum,
filiorum parricidia videns et exilium perpressus, quantorum scandalorum, confu-
sionum et publicarum poenarum auctor fuerit, considerans ad poenitentiam rediit,
dicens: *Bonum est, Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas*.
25 Sic Manasses 25 annos persequens ecclesiam Dei, per captivitatem emendatus est.
Felix ergo, quem faciunt aliena pericula cautum. Aut sumus, aut fuimus vel possu-
mus esse, quod hic est.

26 4. Praeterea varia signa et prodigia in caelo, terra marique conspiciuntur, ut
sunt terraemotus, horrendae solis et lunae eclipses, inauditae tempestates, cometae,
aqua-
27 rum inusitatae inundationes, nascuntur et passim plurima monstra, apparent
chaumata, spectra, sicut Pharaonis et Aegyptiorum interitum multa stupenda
signa praecesserunt. Similiter et Hierosolymae excidium, qualia et ultimum suum
adventum postremis hisce temporibus Christus antecessura praedixit: *Luc. 21.;*
Matth. 24. Ingemiscit enim tota creatura, et filiorum Dei liberationem expectat.
Rom. 8. Imo armatur etiam in exterminium impiorum et defensionem piorum,
28 sicut supra ostensum est. Hoc ipso anno, quo haec scribimus, 1578. Buda, regum
Ungariae olim sedes, nocte immediate praecedente feriam secundam post Pente-
costen, coelitus fulmine delapso in turrim tormentario pulvere refertam, incendio
oborto, adeo concussa et attrita est, ut moenibus arcis funditus revulsis ex ruderum
collisione plus quam tria millia hominum perierint, et quorundam membra frustil-
latim discerpta ultra spacium unius milliarii reperta fuerint, omnes item ianuae,
cistae, portae, serae, repagula tam in urbe, quam in tota vicinia vi et impetu tanti
29 dissultus patuerint. Causam huius ruinae ferunt Dei peculiarem extitisse zelum,
quo ultus est effrenem petulantiam praefecti urbis, quem bassam vocant. Is ubi
praecedente anno cometam terribilem visu, quo tristiore et ampliore aetas

21 *Levius communia tangunt* — Claud. De raptu Pr. III, 197

24 Thamarae incestum — II. Sam 13,1—22

Bonum est, Domine — Psal 118,71

25 *persequens ecclesiam* — Par 2,33,2—9

per captivitatem — ibid. 10—13

Felix ergo — prov. v. Marg. p. 194

Aut sumus — cf. En IV, 12

- nostra non conspexit, in aëre apparere vidisset, ac per Turcicos ariolos urbi et genti Turcicae exitium portendi didicisset, ira percitus pixidibus contra cometam per ianitscharos directis irrita in altum tela spargere iussit, quasi Deo et coelo bellum Giganteo more illaturus. Est et hoc memoria dignum, quod vix anno exacto, quo primum cometes apparuit, iussu imperatoris Amurathi tertii praefatus ille bassa ob suspicionem affectatae societatis cum Christianis, more Turcarum nervo strangulatus misere periit.
- 31 5. Ad haec brevitās humanae vitae et incerta ex hoc mundo emigratio ad poenitentiam singulos cohortetur: Iob 7. 14.; Psalm. 90.; Esaiae 40.; Psalm. 103.
- 32 6. Postremo omnium evidentissimum irae Dei signum adversus peccatum est mors unigeniti filii Dei, cum nulla alia victima placari potuit. Necesse est ergo
- 33 fuisse seriam et immensam, cum infinito precio redemptionis opus fuerit. Sicut et Christus dicit: Si haec sunt in viridi ligno, quid futurum est in arido? Item pie et vere dicitur: Magnitudinem morbi ostendit magnitudo remedii.
- 34 Nunc breviter attingam causas, quae tantam securitatem in animis profanorum hominum confirmare videntur, easque ceu frivolas, nulliusque momenti, imo et perniciosas bonis moribus et contumeliosas in Deum perspicue refutabo.
- 35 Prima est incredulitas. Aut enim prorsus nullum Deum esse credunt, aut humanis rebus eum nihil affici putant, bonos et malos pariter ab ipso negligi, cum similibus in hac vita oppressos esse morbis, miseriis et morte vident. Existimant ergo
- 36 omnia temere et casu sine providentia Dei ferri, ut apud poetam dicitur:

Anne nihil positum est, sed sors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum.

- 37 Vivunt in diem indulgentes voluptatibus huius mundi, nec iram Dei, nec mortem, nec infernum aut Diabolum curant, illud Sardanapali potius epitaphium probantes: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Taliter affectos esse omnium temporum Epicuraeos prolixè Sapientiae 2. cap. docetur. Nec meo iudicio uspiam
- 38 Cyclopius Dei contemptus evidentius conscriptus est. Atqui convincuntur ex stabilitate et diuturnitate creaturarum creatorem esse aeternum, ex magnitudine omnipotentem, ex ordine sapientem, ex gubernatione bonum. Sicut Rom. 1. ostenditur; Psalm. 19.: Coeli enarrant gloriam Dei etc. Deinde patefactiones mirandae in ecclesia Dei omnibus temporibus factae, conservatio Noae in diluvio, educatio populi Israelitici ex Aegypto et resuscitationes mortuorum, nec non expressum Dei verbum de origine, progressu et fine mundi testantur. Psal. 103.: Initio tu, Domine, terram fundasti etc. Ioan. 5.; Matth. 25.; I. Corinth. 15.; Iob 19.; Dan.
- 40 12.; Apoc. 21.; Iudae 1. cap. Praeterea immotus ordo iustitiae divinae requirit, ut omnia enormia scelera patefiant et puniantur, et benefacta premiis ornentur. Id quia in hac vita plene et perfecte non fit, sed plane contraria, quod nocentes florere et pios cruce oppressos esse videmus, aliud restare iudicium irrevocabili

35 incredulitas T incrudelitas
40 contraria T contrariam

33 Si haec sunt — Luc 23,31
Magnitudinem morbi — prov.

36 Anne nihil — Lucan. Phars. II, 12—13; cf. Claud. In Ruf. I, 1—3

37 Ede, bibe — Plut. De fortuna et virtute Alexandri; Cic. Tusc. d. V, 35,101; cf. Is 22,13; I. Cor 15,32

- 41 lege necessum est. Et cum necesse sit aliquando satisfieri legi Dei, et finiri cessareque praevaricationem et benedictionem Adae, Abrahae et posteritati illorum
 42 crediturae de venturo semine promissam impleri. Hoc autem in hac vita peccato, morte, Diabolo et morte grassante in misera et imbecilla hominum natura et multiplicitate eam impediens et perturbans, cum integre non fiat, aliam restare meliorem et perfectiorem vitam minime dubium est. Immo cum eadem delicta ante diluvium regnaverint in mundo, et ante Sodomae et Hierosolymae subversionem secutae sint generales poenae: certum est Deum praesentis mundi impietatem extremo
 44 iudicio aboliturum. Postremo exempla incoatae illius aeternae et immortalis vitae in raptu Enoch, Eliae et ascensu Christi glorioso in coelum multorumque ex morte resuscitatorum proposita, idem docent, et sanas mentes mirifice consolantur, et beatam spem secuturae vitae in ipsis magnopere confirmant.
- 45 Secunda: ex bonitate, tolerantia et longanimitate Dei multi occasionem licentius peccandi falso et temere arripiunt. Complures enim cum hodie indulerint scortationi, ebrietati, furtis, periuriis, nec subito in ipso actu scelerum deprehensi et puniti fuerint, fiunt audaciores ad peccandum et perpetuam impunitatem sibi pollicentur
 46 et persuadent. Sicut Dionysius tyrannus, cum Iovis statuam in templo Delphico vestimentis et donariis spoliasset, et secunda navigatione repetisset domum, suaverit ridens inquit: En quam prospera navigatione sacrorum violatores utuntur.
- 47 De latrone quodam narratur fabula, qui cum viatorem quendam spoliaret, et ille poenam in ultimo die absolvendam clamaret: Eia, inquit latro, si tam diu differtur poena, bene tecum agetur. Nunc igitur hac spe praeter tunicam etiam interulam
 48 mihi trade. Verum enimvero audiant illi, Deum neutiquam ideo differre poenas, ut peccandi rabies confirmetur, sed ut spacium poenitentiae non intercipiatur. Inquit enim Deus: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Extant similia dicta Rom. 2.; Syrac. 5. Idem docet parabola de ficulnea Luc. 13.
- 49 Sinit tamen interdum aliquos incidere in tragicas calamitates, ut illorum exemplo alii admoniti resipiscant. Sicut Christus de interfectis a Pilato Galilaeis ad Iudaeos inquit: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Monet etiam exemplum bonitatis Dei, beneficientis malis et ingratis: Matth. 5.; ut et nos proximi nostri
 50 errata tolerare facilius et condonare discamus. Porro ad pestiferam securitatem illam reprimendam prodest animo saepe dictum Valerii Maximi observari: Lento quidem gradu procedit Deus ad vindictam, sed tarditatem gravitate supplicii compensat. Quod enim differtur, non aufertur. Et Germani dicunt: Der Kruch gehet
 51 so lange zum Brunnen, biss er den Hals bricht. Praeclare et Cyprianus inquit:
 52 Deus quantum patris pietate indulgens et bonus est: tantum iudicis maiestate metuendus. Ac saepe accidit, ut quod homines corrigere et mutare non possunt, Deus tandem mutet et tanta quidem vehementia et austeritate, ut toti mundo impii
 53 sint fabula, sicut multorum tyrannorum et haereticorum exitus ostendunt.

47 absolvendam T oxsolvendam

46 En quam prospera — Cic. De nat. deorum III, 34,83; Val. Max. I, 1, ext 3; Plin. Nat. h. II, 7

47 narratur fabula — ubi?

48 Vivo ego — Ez 33,11

49 Nisi poenitentiam — Luc 13,3

50 Lento quidem — Val. Max. I, 1, ext 3

52 Deus quantum — Cyprianus: Liber de lapsis 35

- ⁵⁴ Tertia, consuetudo peccandi, quae cum in mores abiit, deest remedii locus. Ut enim difficulter vetera vulnera curantur, ita multo difficilius est longo usu confirmata vitia exuere. Quo enim semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.
- ⁵⁵ Docet idem Germanicum proverbium: Jung gewont, Alt gethan. Quamvis vero difficile sit emendare mores, tamen non omnino impossibile est, siquidem leones, ursi, tygrides et alia ferocia animantia longo usu et labore domantur, sicut dicitur: Usus docuit parere leones; multo magis homines corrigi et mutari in melius possunt, si accedat pertinax studium, assiduitas, industria et efficax diligentia. Multi naturae vitium, qui probe expediteque loqui non potuerunt, magna difficultate et contentione arte emendarunt. Sicut exemplum Demosthenis probat. Milo Crotiata assuefactione quotidiana tanta facilitate in senecta adultum bovem humeris suis in pascua duxit et reduxit, quanta in iuvenili aetate vitulum gestasse dicitur.
- ⁵⁸ Hic veniat in mentem iis, qui de suis conatibus et profectu desperant, quod communiter dicitur: Labor improbus omnia vincit. Omnia conando docilis solertia vincit. Lust zum ding, macht alle arbeit gering. Gutta cavat lapidem non vi, sed saepe cadendo. Meminit Plinius eandem viam saepe iterando formicas in durissimis saxis pedum vestigia reliquisse. Quod si par diligentia adhibeatur in cavendo vitioso amore, quanta solitudine et furore impurae libidinis incendia foveantur et nutriuntur (velut exemplum Euriali et Lucretiae ab Aenea Sylvio luculenter et graphice vivis coloribus descriptum testatur. Martyres enim Diaboli infernum maioribus sudoribus et laboribus sibi parant, quam coelum), facilius subsiderent et exstinguerentur. Intrat enim amor mentes usu, dediscitur usu. Ante omnia tamen Dei implorandum est auxilium, ipse enim in nobis velle et perficere efficaciter operatur.
- ⁶¹ Quarta, successus rerum florentissimus multos infatuat. Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Nec facile est aequa commoda mente pati. Et res secundae animos etiam sapientum fatigant. Gut macht mut. Largitur autem in hac vita Deus prosperos et felices successus, ut sint occasio exercendae pietatis erga Deum et charitatis erga proximum, et ut satietatem et nauseam ex profusissima rerum
- ⁶³ terrenarum affluentia nobis inducat. Copia enim plerunque fastidium parit, quo libentius curemus et affectemus vera et aeterna bona. Non ut exemplo divitis Luc. 12., quo plura habemus, plura possidere cupiamus, more hydropicorum, de quibus dicitur: Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. Et Hiere. 12.: Impii saginantur ad diem victimae. Et tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Huc pertinet exemplum Polycratis, qui cum per omnem vitam nihil adversi se passum superbe

⁵⁴ Quo enim — Hor. Epist. I, 2,69—70

⁵⁵ Usus docuit — Tibull. I, 4,17; Ov. Trist. IV, 6,5—6

⁵⁷ Milo — Manl. Coll. p. 177

⁵⁸ Labor improbus — Verg. Georg. I, 145—146

Omnia conando — Manilius: Astronom. I, 95

Gutta cavat — frag. Choerili; Ov. Ex Ponto IV, 10,5

⁵⁹ iterando formicas — Plin. Nat. h.?

⁶⁰ Intrat amor — Ov. Rem. am. 503

⁶¹ Luxuriant animi — Ov. De arte am. II, 437

⁶³ Quo plus — Ov. Fast. I, 216

⁶⁴ Hiere. 12 — rec. 46,21

Et tolluntur — Claud. In Ruf. I, 22—23

⁶⁵ exemplum Polycratis — Val. Max. 6,9, ext 5

- ⁶⁶ gloriaretur, tandem laqueo vitam finivit. Similiter et hospes divi Ambrosii ruina domus oppressus misere periit. Inde usitatum est in ore omnium dictum: Successus humanae felicitatis aeternae damnationis est indicium.
- ⁶⁷ Quinta, spes diuturnioris vitae. At quam dubia et fragilis sit hominum vita, docent proverbia: Homo bulla, navis vestigium, flos agri, umbrae somnium. Exemplo est dives ille, qui cum multos annos sibi cum summa animi tranquillitate et
- ⁶⁸ voluptate polliceretur, repente et inopinate moritur. Arguit et apostolus Iacobus praesumptuosam hominum securitatem 4. cap. his verbis: Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut cras ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum et mercabimur et lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in crastino. Quae est enim vita nostra? vapor ad modicum apparens et deinceps exterminabitur etc.
- ⁶⁹ Meminerint ergo omnes dicti Senecae: Cum incertum sit, ubi nos mors expectet, ipsam in omni loco expectemus. Celebratur etiam d(ivi) Hieronymi sapientissimum dictum, quo ad timorem Dei et pietatem sese excitari aiebat: Sive, inquit, comedo, sive bibo, sto vel sedeo, dormio vel vigilo, semper haec vox auribus meis insonare videtur: Surgite vos mortui, et venite ad iudicium etc.
- ⁷⁰ Domine, fac nos scire numerum annorum nostrorum.
- ⁷¹ Videt Moses, vir Dei, incorrigibile ingenium mundi, nec sensu tristium calamitatum ullo, duros et obstinatos homines, ut sapiant moveri, habent enim frontes aeneas vel meretricias omni pudore carentes, ut propheta loquitur. Ergo et impense et ardentem orat, ut Deus per Spiritum sanctum flectat corda ad tantarum rerum
- ⁷² considerationem. Si homicida quispiam ob commissum scelus plectitur, nihil novi accidisse vulgo putatur. Si tyrannus crudelis ad generum Cereris cum caede et sanguine descendat, illiusque opes, velut palea a vento dissipata, dispergantur,
- ⁷³ ridemus. Si moechus impurus aut confodiatur in lupanari, vel publico supplicio afficiatur, vel scabie Gallica contabescat et consumatur, nihil movemur. Si ebriosus helluo aut vino suffocetur, aut collum ex improvise in terram lapsus frangat, aut hic vel alius ob foedum aliquod facinus infamiam ignominiamque incurrat, pauci
- ⁷⁴ sunt, qui idem sibi accidere posse, quod aliis accidit, existimant. Quare Dei est hoc docere, Dei est movere, ut ex lapideo corde fiat carneum. Nihil certe est, quod adeo ad coelestem sapientiam invitet, et a peccandi licentia absterreat, ut brevitatis vitae, mortis, periculorum multitudinis et humanarum miseriarum frequens recordatio, ubi vel irae, vel gratiae aeternitas subeunda est. Ideo Syrach dicit: Memorare novissima, et in aeternum non peccabis. Et scite admodum haec vox sapientum in omnem sanorum praecordiis dominatur: Philosophia est meditatio mortis.
- ⁷⁶ Porro ad illas rationes paulo ante commemoratas, quae sensum irae Dei in nobis excitare debeant: addendae sunt et aliae, quae ad pie et alacriter moriendum,

67 dives ille — Luc 12,19—20

69 incertum sit — Sen. Epist. 26,7; cf. En I, 14

Sive comedo — Hieronymus: ubi?

70 fac nos scire — Psal 90,12

71 ut propheta — Is 48,4; Ier 3,3

75 Syrach dicit — 7,40

Philosophia est — cf. En I, 13

- ⁷⁷ ubi clementissimo Deo visum fuerit, nos cohortentur. Ante omnia agnoscamus et deplemus peccata nostra, serio nos earum poeniteat pudeatque, ac firmiter statuamus Christi merito et efficacia nobis esse condonata, nosque per fidem filios et haeredes Dei esse factos. Ac omnia opera vocationis nostrae placere Deo, si
- ⁷⁸ modo non contra conscientiam in sceleribus perseveremus. Quodcumque tandem ingruerit mortis hora, habemus Deum per Christum placatum et propitium, in cuius tutelam piis et ardentibus votis commendare debemus vitam, corpus, animam et omnia nostra, iuxta Psalmi 31. doctrinam. Observentur et haec hypomnemata diligenter:
- ⁷⁹ 1. Cogitemus omnes nos esse peregrinos, hospites et advenas, qui hic non habeant manentem civitatem, sed velut omnes homines, morti necessario esse obnoxios.
- ⁸⁰ 2. Dies vitae nostrae esse paucos et malos et in dies infinita malorum agmina nos circumstare et obruere, ac nihil, cum simus homines, humani a nobis alienum esse. Cur igitur Deo ad portum ex fluctibus et naufragio evocanti obstinate repugnemus?
- ⁸¹ 3. Mors dupliciter prodest. Est ultima linea et meta rerum, finitis enim laboribus, doloribus et molestiis huius vitae, quiete nos frui facit in sinu Abrahae cum omnium piorum animabus, corpora vero usque ad laetissimum filii Dei adventum in spe gloriosae resurrectionis sub terrae gremium recondit. Deinde omnes peccandi occasiones praecidit, quae mortali hac vita durante in nobis extinguere et cessare non prorsus possunt.
- ⁸² 4. Cuique suae vitae terminus certus constitutus est, quem transire nullo modo potest. Iob 14.; Psal. 31.; Deut. 30.: Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum.
- ⁸³ 5. Cogitentur etiam exempla sanctorum, qui singulari laetitia perfusi cupierunt ex carcere huius vitae eliberari. Sicut Simeon inquit: Nunc dimittis servum tuum, Domine. Paulus item: Miser ego homo, quis me liberabit ex mortali huius vitae corpore? Cupio dissolvi et esse cum Christo. Item Stephani protomartyris, Polycarpi, d(omini) Lutheri. Ac si quis credat remissionem peccatorum, resurrectionem mortuorum et vitam aeternam, potest securus esse contra mortem et dicere cum Davide: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini.
- ⁸⁴ His si addantur dulcissimae consolationes ex Christi concionibus Ioan. 8.: Amen dico vobis; si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Ioan. 11.: Qui credit in me, vivet etc. Item: Ego sum via, veritas et vita; et exempla resuscitatorum: accedatque ardens invocatio nominis divini pro felici et tranquilla emigratione ex hac vita et coelestis vitae perpetuique gaudii recordatio; non dubium est, quin voluntati divinae promptius expeditiusque nos evocanti ex his miseriis pareamus et obtemperemus.

80 nihil humani — Terent. Heaut. 1, 1; Cic. De leg. 1, 12,33

81 ultima linea — Wagner

83 Nunc dimittis — Luc 2,29

Miser ego — Rom 7,24

84 Non moriar — Psal 117,17

85 Ego sum — Ioan 14,6

Sexta concio

1

De quarta parte psalmi

13. Convertere, Domine, usquequo? et
propitius esto servis tuis.

2 Quarta pars huius psalmi est seria et ardens oratio, quo deprecatur culpam et
poenam, quibus malis totum genus humanum constrictum tenetur, sicut miseria,
brevitas et huius vitae vanitas cum horribili metu aeternae abiectiois et dam-
3 nationis declarat. In praecedenti versu taxavit ingentem caecitatem, stuporem et
amentiam maximae partis in genere humano, quae secure voluptatibus et sceleribus
indulgens nec beneficium, nec iratum Deum curat, nulloque sensu calamitatum
afficitur.

4 Nunc vero nominatim orat pro veris membris ecclesiae, quae sensu irae Dei
afficiuntur, legem accusantem et seipsos condemnantem audiunt, vim peccati
sentiant, et mortem temporalem et aeternam reformidant: ut illis sit propitius
et vero gaudio et laetitia, quae in agnitione gratiae Dei per Christum revelatae,
remissione nimirum peccatorum, iustitiae et vitae aeternae donatione et Spiritus
5 sancti gubernatione consistit, corda ipsorum impleat. Quod, Domine Deus, ne
usque in infinitum terreas alioqui humiliatos et consternatos, alias in ira tua
deficiemus et desperabimus. Cur super vermes luteos furorem sumis, o magni
fabricator orbis? Quid sumus, quam fex putris, umbra, pulvis glebaque terrae?
6 Sed convertere et placato nos respice vultu, qui tuam gratiam imploramus. Tunc
enim Deus converti dicitur, cum ex irato propitius et puniente ac vindicante iudice
7 mitis et beneficus indulgensque pater esse deprehenditur. Forma sermonis a consuetudine
hominum sumta est, qui irati ab eo, quem oderunt, se avertunt, rursus
8 vero placati se ad eum convertunt et blande compellant. Etsi enim quotidie multis
modis gustum aliquem dabat amoris sui, exilium tamen a terra promissa durissima
erat afflictio, quo admonebatur, se beata illae haereditate, quam Deus filiis suis
9 destinaverat, esse indignos. Nam et horribile illud iusiurandum, quo fulminaverat
contra eos Deus, necesse fuit subinde illis venire in mentem: Non introibunt in
requiem meam, sed putrescent eorum cadavera in deserto. Num. 14. Nec dubito,
quin asperam illam servitutem, quam perpassi erant in Aegypto, coniungat cum
erroribus deserti.

10 Porro quibus Deus sit propitius, diserte exprimitur: servis tuis. Sunt autem servi
Dei, qui ipsum ex toto corde amant, et ad nutum illius mandata diligenter et fideliter
exequuntur. Ac si quid praeter rationem officii accidit, vel negligentia, vel
errore aut contumacia, quo dominum offensum intelligunt, serio gemunt, conquerruntur,
et culpam humiliter deprecantur, vitam emendant, et ad frugem redeunt.
11 Paulus ad Ephesios et ad Colossenses bonorum servorum dicit esse, ut in simplicitate
cordis dominis suis obtemperent, non astute, ut Davi, non ad oculum eis
inserviant, ut tantisper suum faciant officium, dum videntur a dominis, mox si

1 Convertere Domine — Psal 90,13
11 ad Ephesios — 6,5—8
ad Colossenses — 3,22—25
Davi — v. Tercent. Andria 1,2

- coelatum credant, quod agunt, astutia utantur. Vult, ut serviant dominis suis non tanquam hominibus, sed tanquam Deo in illis, ita ut Deum humanarum sortium authorem agnoscant. In epistola ad Timotheum dicit, ut servi dominos suos omni honore dignos ducant, eosque non despiciant. Ad Titum docet, ne sint furaces, sed omni fide dominis suis inserviant, non compilent eos, ut servi Comici introducuntur.
- ¹² His conditionibus quam dissimilis sit infinita propemodum infidelium servorum cohors, unius Sibae exemplo ostendisse suffecerit, 2. Samuelis 16. cap. Non simplici corde, sed fraudulenter agit, servit domino suo ad oculum, quia putat se latere posse, in tanta confusione rerum prodit, quod in animo latuerat. In domino suo Deum non respicit, neque honore dignum eum ducit, furax est, non agit omnia
- ¹³ fide, sed insidiatur bonis heri sui. Memoria nostra servus extitit ingenii pessimi animique truculenti. Huic saevissimus herus fuit, qui in eum verberibus saevire non desinebat. Iratus autem servus cum dominum ulcisci nequiret, duos quos habebat infantes, anniculum unum, alterum bimulum corripuit, turrimque editam conscendit, dominumque vocavit monuitque, ut infantes suos gremio exciperet: quos quam primum parieti illisos deiecit, seseque praecipitavit, ne vivus in potestatem domini veniret. Hanc historiam recitat Franciscus Patritius, Senensis episcopus in commentariis librorum de institutione reipublicae.
- ¹⁴ Huc etiam referri possunt nebulones illi, qui tantum ventri indulgent, et fraudulenter opus domini administrant, ad oculum duntaxat servientes, nec amore virtutis, sed formidine poenae difficulter a malo abstinere. Iam confer ingenium mundi,
- ¹⁵ ubi complures invenias, qui servi sunt Diaboli, suis nimirum pravis cupiditatibus flagitiisque famulantes, quam Dei. Epicuraeus aliquis, qui edit, bibit, helluatur in deliciis huius mundi, ac si nulla unquam alia restaret vita, nec ullus esset Deus, qui scelerata facta puniat, aut iusta aeternis praemiis in futura vita compenset:
- ¹⁶ non est servus Dei, sed turpissimum Diaboli mancipium. Tyrannus quispiam non secundum leges et aequitatem, sed pro caeca animi libidine omnia faciens, cui quod lubet, licet, rapiens civium bona vel fraude, vel vi manifesta, opprimens viduas et pupillos, iniquam impii causam muneribus excaecatus, iustificans et tanquam violentum et penetrans fulmen omnibus terrori existens, cui illud tyrannicum perpetuo in ore est: Oderint, dum metuant. Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas. Is, inquam, cum flagitiis suis delectetur, et tanquam amica luto sus in foedo flagitiorum volutabro coinquinetur, non est servus Dei, nec Deum habet
- ¹⁷ propitium. Sic avarus et foenerator impius, qui omnem spem et fiduciam fixam habet in divitiis huius mundi incertis, sese multis illaqueat malis, incidit in varias et perniciosas tentationes, fit idololatra et servus Mammonae, superbus et contumeliosus in proximum. Matth. 25.: Talis est et servus nequam et percussor, qui talentum sibi concessum in terram defodit, et innumeri alii filii huius seculi, omnes Dei comminationes iridentes, ut cum dicitur: Quid prodest homini, etiamsi totius mundi thesauros possideat, animae vero dispendium patiat. Item: Melius

17 idololatra T idolatra

11 ad Timotheum — I, 6,1—2
ad Titum — 2,9—10

13 Franciscus Patritius — De institutione Reipublicae libri IX. Parisiis 1578. IV. p. 136

16 Oderint, dum — Accius Lucius: Atreus; Suet. Caligula 30
Sic volo — Iuv. Sat. 6,223

18 Quid prodest — Marc 8,36

Melius est — Psal 36,16

est modicum iusto super divitias peccatorum multas. Vae, qui praedaris, quia praedaberis, et quae praeterea de hypocritis et impiis divitibus dicuntur: Esa. 5.;
¹⁹ Iob 20.; Hiere. 17.; Luc. 16. et 12. Hinc apparet, quam pauci sint servi Dei, qui vere Deum timent, et ambulant corde sapienti, ac a Deo precantur, ut ipsis peccata condonet, et poenam remittat, et aeterno gaudio ac laetitia impleat.

²⁰ Econtra fidelium et bonorum servorum exempla fuere Iacob serviens Labano,
²¹ Ioseph Potipharo et deinde regi Aegyptio. Praestiterunt etiam servitia spectatae fidei exempla apud ethnicos, ut testatur C. Plotius Plancus. Is enim proscriptus a triumviris fuerat, et in villa iuxta Salernum latitabat, cumque milites ad inquirendum missi unguenti odore, quo delibutus erat, eum indagarent, eius servos comprehenderunt, qui multum ac diu male habitati variisque tormentis lacerati non prius dominum prodiderunt, quam miseratus fidem servorum Plancus in medium venit, iugulumque militibus praebuit, ut a cruciatu servos liberaret.

²² Marcus etiam Anthonius orator peregregius, incesti reus, fidem servi, qui laternam ad scelus praetulerat, ad iudicium deducti, expertus est, qui verberibus lacertatus, equuleo suspensus et candentibus laminis ustus nunquam domini incestum, cuius conscius fuerat, indicavit.

²³ Plutarchus in vita C. Marii quoque exemplum fidelium servorum recenset. Itaque admiratione et laude digni fuere Cornuti cuiusdam servi, qui cum in aedibus herum suum occulissent, cadaver quoddam ex multitudine caesorum surreptum collo suspendentes atque aureum anulum apponentes illum satellitibus Marii ostenderunt, cadavereque ornato, quasi herum sepelierunt, nec quisquam animadvertit. His exemplis erudimur, quantum ipsi Deo omnium dominorum domino ac regum regi debeamus obsequiorum, qui fidelis est in omnibus viis suis, et fallere minime potest, adest in omnibus periculis, exaudit et eripit suos, conferens illis non caduca et fluxa huius mundi bona, sed coronam immarcessibilis gloriae.

²⁵ Quod si tantopere fideles servi suis dominis famulantur etiam in negotiis illicitis, ac interdum in acie praeliantes pro ipsorum salute occumbunt: pro exiguo, falso et noxio interdum perniciosoque commodo, quid nobis agendum sit, facile aestimare possumus, qui amplissimam hanc benedictionem audire aliquando magnopere avemus: Eia serve bone, fidelis fuisti in minimis, iam te super maiora constituam. Intra in gaudium domini tui.

²⁶ 14. Satura nos mane misericordia tua,
tunc exultabimus et laetabimur
omnibus diebus vitae nostrae.

²⁷ Pulchre admodum pingit suavitatem bonitatis divinae metaphora sumta ab esurientibus. Ut enim saturi post longam famem alacriore et hilariore sunt animo, quam inedia laborantes, qui tristes sunt, irascuntur, conquerentur ac dolent, ita

21 Salernum T Talernum

18 Vae, qui praedaris — Is 33,1

21 C. Plotius Plancus — Val. Max. VI, 8,5

22 Marcus Anthonius — Val. Max. VI, 8,1

23 Plutarchus — Vitae par.: C. Marius, 43

25 Eia, serve — Matth 25,21

26 Satura nos — Psal 90,14

- qui beneficiorum in euangelii doctrina de Christo divinitus revelata promissorum gustum aliquem efficaciter in suis cordibus, operante Spiritu sancto, consequuntur: inenarrabili perfusi et inebriati gaudio suaviter recreantur, laetantur et exultant.
- 28 Obvia est passim in scriptura sacra dulcissima illa comparatio, ubi beneficia Dei in euangelio oblata miseris et sitientibus aeternam iusticiam et salutem delectabilibus
- 29 et suaviter arridentibus nobis delitiis conferuntur. David de se inquit, se aestu divinae irae et crebris tentationibus usque adeo viribus defecisse et emarcuisse, ut non secus optet ad fontem divinae gratiae, qui dulcissimis promissionibus scatet, accurrere, quam cerva canum morsus aut venatorum laqueos evadens cursu fatigata et siti pene enecta ad limpidissimum amnem festinet, in quo sitim levare et sese refrigerare avidissime cupiat. Et apud Esaïam 55. cap. dicitur: Omnes, qui sititis, venite ad
- 30 aquas. I. Pet.: Verbum Dei aqua vitae nominatur. Item Psal. 23. confertur pascuis opimis et aquae refectionis. Et in novo Testamento coenae magnae. Luc. 14. Et nuptiis regalibus Matth. 22.
- 31 Magna etiam est emphasis in verbis: tua bonitate. Non mundi gaudiis, opibus, potentia et honoribus, quae omnia sunt momentanea, et evanescent cum hac vita, et impiis cum piis sunt communia, imo iisdem reprobi multo abundantius fruuntur, sicut Psal. 4. testatur. Dedisti mihi laeticiam in corde meo, dum illi vino
- 32 et frumento abundant. Item 144.: Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum faetosae etc. Sed iis gaudiis, quibus omnibus diebus vitae nostrae aeternum frui possimus, de quibus Christus inquit: Gaudium vestrum nemo tollet a vobis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor ullius hominis ascendit etc. Sicut Paulus Rom. 14. id ex Esaïa recitat. Nominatim dicit: Mane id est cito antequam dolores nimium crescant et intendantur.
- 33 Caeterum cum hic sese commoda offerat occasio dicendi de veris consolationibus in periculis et aerumnis contra morbos, mortis praesentis et aeternae horrores, efficacia remedia iisdem opponenda paucis proponam, quae in hoc textu perspicue traduntur.
- 34 Prima consolatio est, quod habeamus Deum propitium, qui nostri propter filium suum unigenitum miseretur, qui est via, veritas et vita, est semen illud benedictum, in quo mundum Deo reconciliari oportuit. Est mediator inter Deum et homines. Huc pertinent dicta: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.
- 35 Acto. 10.: Huic omnes prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum in nomine eius, quotquot credunt in eum. Huc et alia testimonia veteris Testamenti faciunt. Ezech. 18.: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Esa. 1.: Si peccata vestra fuerint velut coccinum, dealbantur quasi nix. Esa. 43.: Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Et totum 23. cap. de aeternis beneficiis Messiae luculentissime concionatur. Psal. 103.: Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Mich. 7. cap. dicitur,

29 David inquit — Psal 41,2—3

30 aqua vitae — In I. Petri deest, sed v. Apoc 7,17; 21,6; 22,17

32 Gaudium vestrum — Ioan 16,22; Is 64,4

Sicut Paulus Rom. 14 — rec. I. Cor 2,4

33 Mane — Psal 90,14

35 qui est via — Ioan 14,6

semen illud — Sap 12,11 (ubi: semen maledictum)

36 Sic Deus — Ioan 3,16

37 Vivo ego — rec. Ez 33,11

- ³⁸ omnes transgressionibus nostras in profundum maris esse demersas. Etsi vero non omnino sumus sine peccato, dum multas pravas cupiditates et inclinationes in nobis sentimus, quae ad securitatem, impatientiam, iracundiam, superbiam, negligentiam in vocationis laboribus, fiduciam nostrarum virium et dubitationem de Deo nos impellant: tamen imputatione et incoatione iusti censemur, dum confugimus ad meritum filii Dei, idque fide certo nobis applicamus, in quo Pater coelestis tanquam sufficientis lytro complacatus est. Sicut vox de coelo clamans
- ³⁹ intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Repugnamus etiam peccato tanquam pestilentissimo veneno et internecino morbo, dum iustis pharmacis utimur, nimirum vera poenitentia, seria invocatione nominis divini et crebro legitimoque sacramentorum usu a Christo institutorum. Non nitimur meritis nostris, quae omnia immunda sunt et opera servorum inutilium. Esa. 64.;
- ⁴⁰ Dan. 9. Unde Magdalena peccatrix in gratiam recepta, tam pura et sancta in oculis Dei apparet, quam Eva ante lapsum in ingenta et originali iusticia. Latro etiam conversus par fit Adamo ante peccatum innocentissimo. Nisi enim id fieret, non fuisset secundus Adam Christus, primo Adamo potentior, gratia nimirum
- ⁴¹ peccato: quem ad primam imaginem reformavit. Sedulo ergo adniti decet, ut certi simus de remissione peccatorum, sic poenae non erunt aeternae, sed castigationes ad emendationem et probationem tanquam veris filiis Dei irrogatae, quae timentibus Dominum in bonum cooperabuntur.
- ⁴² Secunda consolatio, certa spes praesentiae et promissio auxilii divini. Christus inquit: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Et in Psal. 91.: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Psal. 145.: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Psal. 56. David dicit: Omnes passus exilii sui Deo esse cognitos. Item: Psal. 23.: Etiam si
- ⁴³ ambulabo in valle umbrae mortis, non timebo mala, quia tu, Domine, es. Estque fidelis Deus, qui suos ultra vires tentari non sinit, I. Cor. 10.: Sic adfuit praesens et Noam eripuit, ne diluvio periret, Lothum ex incendio Sodomae, Moysen cum populo Israelitico in Aegypto et deserto miraculose tutatus est, Iosephum in carcere, tres pueros in fornace Babylonica, Daniele in lacu leonum.
- ⁴⁴ Postremo, spes ultimae liberationis et aeternae salutis vel liberationis aut mitigationis in hac vita, iuxta consilium Dei. Non sunt condignae passiones praesentis vitae, collatae ad gloriam, quae in futura vita piis revelabitur: Rom. 8. Hic navigamus inter scopulos et Syrtes saevissimarum tempestatum, illic erit portus et quies, hic gemimus et animis angimur, illic gaudebimus et exultabimus omnibus diebus vitae nostrae. Nam illa sola misericordia, quae nos a peccato liberat, et assecurat de certa salute aeterna, parit perpetuum et verum gaudium, gratitudinem et gratiarum actionem.

Septima concio

- 1 15. Laetifica nos post dies afflictionis
 nostrae. Et annos nostros, quibus
 vidimus mala.

38 Hic est filius — Matth 3,17; Luc 3,22; II. Petr 1,17

42 Omnes capilli — Matth 10,30

1 Laetifica nos — Psal 90,15

- ² Quemadmodum supra deprecatus est remissionem culpae, ita nunc poenarum aversionem et finalem liberationem orat. Ac non solum appellatione afflictionis et visione malorum tristissimas calamitates intelligit, quas populus in Aegypto multis annis et deinde in deserto perpessus est: verum etiam diluvium praesentium et impendentium aerumnarum et tristissimum onus irae divinae, aeternae damnationis et abiectionis, cui totum genus humanum propter peccatum est obnoxium, complectitur, quarum supra meminit, quod in ira Domini deficiat et in furore eius absorbeatur, quod vita mortalium brevis sit vana multisque laboribus et doloribus
- ³ refertissima. Docemur autem hoc loco, quemadmodum Deus author est contritionis, humiliationis et afflictionis, dicit enim Moses: Quibus tu afflixisti nos; ita etiam ipse ad se conversis author est gaudii, consolationis et superabundantis laetiae et exultationis, quae non consistit in momentaneis et incertis, imo etiam vanis et perniciosis huius vitae gaudiis, utpote opibus, honore, eruditione, virtute, potentia, sed in vera Dei cognitione, quod fide in Christum mediatorem simus filii Dei et haeredes aeternae salutis, habentes remissionem peccatorum, iusticiam et vitam aeternam. Utrumque enim facit, deducit ad inferos et reducit, humiliat
- ⁴ et exaltat. Deinde sperandam esse vicissitudinem rerum, ut non semper duret afflictio, sed rursum succedat gaudium. Nulla, inquit Cicero, tam magna est calamitas, quam temporis diuturnitas non minuat. Ac verum est, quod ille multum et terribis, multum iactatus et alto dicit, socios suos ad spem et patientiam excitans: O socii, nec enim ignari sumus ante malorum. O passi graviores, dabit Deus his
- ⁵ quoque finem. Quod universa historia huius populi luculenter testatur, ubi prius multis aerumnis, in Aegypto et deserto constitutis, oppressus fuit, ac tandem miraculose liberatus et exaltatus. Nemo ergo nimium rebus confidat secundis, quasi non in tristissimas calamitates incidere possit. Nec quisquam adeo calamitosum se esse existimet, quin liberari, evehi et glorificari queat, praesertim si serio conversus Deum vera fiducia propter mediatorem Christum invocaverit.
- ⁷ Atqui quam difficile id sibi humana ratio persuadere patiatur, dum velut in densa nube atraque ingentium calamitatum tempestate oppressa iacet, anxiosa sollicitudo nostra, cum diffidentia et animi pusillanimitate coniuncta, satis superque
- ⁸ testatur. Prodest ergo saepius animo repetere, ex quibus periculis et inextricabilibus humani consilii labyrinthis liberati divinaque ope et auxilio servati simus. Ut alia praeteream, quae nos ipsi vidimus et experti sumus divinae liberationis exempla, tam in patria nostra, quam vicinis regnis, obiter saltem commemorabo, cum recentia et civilia vulnera altius animos feriant atque penetrent, plusque ad persuadendum, ut vetustis historiis assensus praebeatur, ponderis et momenti habeant.
- ⁹ Anno Domini 1560. usque ad 67. bellum civile perniciosissimum in Transylvania exarsit, lateque deinde per Ungariam superiorem vagatum est, ac ferro, incendiis, rapinis, caedibus, stupris, vastationibus, tristissima captivitate et morte ipsa graviore servitute, totus ille tractus ab impuris et nefariis militibus Turcicis et Tartaricis affectus fuit, cum multarum nobilissimarum familiarum ludibrio et interitu, nec habitus est respectus aut honos, vel commiseratio ullius sexus,

8 humani consilii T humanis consiliis

3 Quibus tu — Psal 90,15

4 Nulla tam — Cic. Epist. ad fam. IV, 5,6 (Verba Servii Sulpitii!)

5 ille dicit — Verg. Aen. I, 3; 198—199

- ¹⁰ conditionis, dignitatis vel aetatis. Melchior Balassius, ob insignem rei militaris peritiam nostro aevo apud Ungaros celebratissimus, quem Isabella regina Ungariae vidua militiae praefectum regnique generalem capitaneum contra vim et Germanorum incursiones designaverat, quos reginae cum regulo in regnum restitutio, hortatu et viribus Solymanni, Turcarum imperatoris citra Ferdinandi, Rom(anorum) imp(eratoris) assensum indignissime coquebat, postquam publicis totius regni impendiis et opera arcem Zackmariensem probe communivisset, ut hostiles Germanorum insultus facile arceri posse videretur, praeter omnem expectationem a fide regia transfuga levissimus ad Ferdinandum defecit, ac Germanico stipatus praesidio, multa in patriae regisque Iohannis secundi electi
- ¹¹ perniciem cum factiosis aliquot complicitibus molitur. Cumque regno propius immineret, agrum Sylagium hostiliter devastans, rex morbo implicitus cum personaliter in expeditione bellica minime adesse posset, copias suas adversus Balassam praemittit. Sed regios incautos hostis callidissimus aggressus palantes caedit, sternit fugatque, perpetuamque famam rei gestae clades illa agro atque arcu Haddadiensi in Sylagio peperit. Anno insequenti virtute et prudentia magnifici domini Stephani Bathorei Zackmaro per civium deditionem in absentia Balassii ad regiam potestatem redacto, rex conductitiis aliquot Turcarum millibus Ungariam invadit, rebellium arces partim vi, partim deditione occupat, diruit et in praedam omnia
- ¹² convertit. Turcae innumera supellectili onusti, spoliis praedaeque, quae pecoribus omnigenis et in primis hominibus constabat, abacta, ovantes ad propria rediere. Hinc tandem utrinque tot cladibus illatis atque acceptis, Turcica rabies in Ungariam effusa Iulam, Genno, Vilagosvarum, munitissima propugnacula in suam potestatem redegit, omnibus defensoribus per fraudulentam deditionem nefarie
- ¹³ et immaniter trucidatis. Sygethum etiam Solymanni copiis expugnatum, strenuo ac fortissimo viro, cum sex millibus lectissimorum militum, Nicolao Serinio inter confertas hostium acies animose dimicante desiderato. Dum ea ad Sygethum geruntur, rex Turcicis auxiliis septus, cum immani Tartarorum colluvie, Tokayum arcem ad Tibiscum amnem sitam oppugnat, cum subito rumor increbuit de Solymanni imperatoris morte, et quod Tartari regem, cui ad expeditionem tanquam auxiliares dati erant socii, trucidare cum toto exercitu vel victum in captivitatem abducere decrevissent, Transylvaniam et omnem superioris Pannoniae oram suo subdere imperio. Ac nisi divinitus cruenta illa consilia detecta et impedita forent, extremo in discrimine regnum cum rege et subditis universis constitutum
- ¹⁴ fuisset. Mortuo deinde rege in tanta animorum exasperatione distractione de successore eligendo, quam sit trepidatum omnibus constat, cum foederibus Turcicis repudiatis, Germanorum societatem crebris legationibus iureiurando intercedente acceperint ac confirmaverint. Nihil certe aliud oculis et animis nostris observabatur, quam plurima mortis imago et commune totius patriae naufragium.
- ¹⁵ Verum haec ingentia mala mirifice clementissimi Dei benignitate mitigata aversaque fuere, ut ne gutta quidem civilis sanguinis fuerit effusa in succedentis gubernatoris electione. Et quod longe est admirabilius, Turcae ex vicinis arcibus, ad quos Germanicae factionis fama et mors regis pervenerat, metu consternati fugam moliri caepere. Et nisi suspensio aliquot mulctatis bassa Budensis in statione vacillantes subsistere coegisset, ultro desertis munitionibus finitimae arces in
- ¹⁶ Christianorum potestatem rediissent. Quid dicam de annonae difficultate, quae per totos septem annos regnum misere afflixit, vineae et agri adeo ferrea sterilitate laborarunt, ut in comparando pro necessitate victu omnem pene substantiam
- ¹⁷
- ¹⁸

maior pars incolarum erogare, vendere aut oppignorare sit coacta, quae nullo per omnem vitam redimi precio posse credebatur.

- ¹⁹ Verum et huic calamitati successit largissima profusissimaque Dei benedictio tam in agris, quam in vineis, ut nemo nostratum meminerit uberiores fertilioresque annos, qui vel octuagesimum aetatis suae annum attigisset. Sex enim modii lectissimi tritici floreno uno venibant. Omnia dolia ad mustum excipiendum idonea ²⁰ vix sufficebant. Ad haec perniciosissimae haereses maximam regni pervaserant partem, ac defensores habebant potentissimos quosque in aula cum rege ipso, authores vero eruditione, ingeniis et viribus eloquentiae instructos, quorum metuenda pertinacia veritati vim inferre et nebulas offundere densissimas credebatur. Sed et huic malo divina clementia et favore occursum est. Ac tantum abest, ²¹ ut ecclesiis Saxonis, quae praecipuae optimaeque in hoc regno constitutae sunt, aliquid nocuerit, ut potius multae partes doctrinae Christianae crebris illis disputationibus magis magisque sint illustratae. Sicut pie et vere dicitur: Ecclesia dum ²² turbatur, purgatur. Hoc solum adhuc restat, quod Dominus Deus nos horrenda peste affligit, ut quasi freno petulantiam et improbitatem hominum coerceat. Das er uns zur Kirchen treib. Alioqui in tanta fertilitate, ocio et pace, omniumque rerum abundantia tantus esset luxus et libido, quantus Sodomitarum et prioris ²³ mundi per diluvium deleti furor fuerat. Unde extrema perditio sequeretur. Videmus enim inter medias hasce calamitates adeo turpiter helluari et insanire vulgus, ut nec obtestationibus, nec poenis ad frugem revocari possit. Quid futurum, si omnia pro voto succederent? Nihilominus mitigabitur et penitus etiam haec plaga tolletur, si serio ad Deum conversi suppliciter veniam oraverimus.

- ²⁴ 16. Appareat servis tuis opus tuum,
et gloria tua filiis eorum.

- ²⁵ In omnibus operibus suis Deus glorificatur, quae duplicia sunt. Quaedam dum propitius et misericors benefacit, non solum hominibus bonis et malis, sed etiam omnibus creaturis, quas sustentat, alit et gubernat generali sua providentia. ²⁶ Quaedam cum horribiliter irascitur, iudicat, damnat, affligit, consumit impenitentes et incredulos, qualem se in promulgatione legis inter fulmina et tonitrua, dum totus mons Sinai contremisceret et fumaret, ostenderat, qualem etiam ad iudicium extremum appariturum pictores horrenda facie et animo implacabili inexorabilique filium Dei depingunt. Haec inquam Esaias 28. cap. aliena opera Dei vocat. ²⁷ Sed opus Dei proprium est iustificare, vivificare et salvare. Quod apostolus I. Ioan. 3. dicit: Filium Dei in mundo apparuisse, ut destruat opera Diaboli; quae sunt peccatum, morbi corporis, calamitates huius et secuturae vitae, mors temporalis ²⁸ et aeterna. Hoc opus suum ut in nobis abundanter, sensibiliter et efficaciter appareat et conspiciatur, unde immensa Dei gloria per totam ecclesiam agnoscatur et celebretur, Moses precatur. Non faciat opera Sathanae, quae sunt contristari, affligere cum abiectioe, humiliare in infinitum peccati mole et morte gravatos. ²⁹ Confutantur omnes omnium aetatum homines hac brevi sententia, quacunque eruditione, vitae sanctimonia, prudentia et donis excellent, tribuentes operibus et viribus humanis remissionem peccatorum, iusticiam et vitam aeternam, cum solius Dei proprium sit opus per Christum mediatorem remittere peccata, dare

³⁰ iustitiam et vitam aeternam. Alioqui si ad consortium huius divini operis vel angelos, vel patriarchas, vel virginem deiparam, aut merita humana admittantur, insufficiens fuit Christi meritum et mors, nec hac praerogativa solus gaudere posset: quod sit agnus Dei, qui tollit peccata mundi, et Iesus, qui salvum faciat ³¹ populum suum a peccatis eorum. Quare ut et invocatio recte fieri possit, et certitudo remissionis peccatorum in animis nostris confirmari (semper enim dubitationum procellis fluctuant mentes suis fidentes meritis, cum in conscientia convicti vix umbram alicuius boni operis se assequi posse fateantur), agnoscamus hoc opus Dei, nunc in nostris quoque ecclesiis manifestatum, priorum temporum tenebrarum operibus fugatis et gratis animis ac voce tantum Dei beneficium celebremus.

³²

Et gloria tua filiis eorum.

³³ Nominatim meminit et posteritatis, cuius Deus curam gerere velit, ne penitus regno amisso, cultu divino deleto, in exilii perpetuis erroribus et tenebris humanarum opinionum oppressa vagetur: sed ut gloria Dei ipsis nota sit, et continua successione a progenie in progenies velut haereditarium bonum, verae doctrinae possessio, ad totam ipsorum posteritatem derivari ac propagari possit, ut nimirum agnoscant, ac propius sentiant benignitatem et beneficentiam Dei, non solum in externis vitae commodis, pace, politiae et cultus divini conservatione, victoriis, mitigatione calamitatum, mirandis liberationibus, possessione terrae Chanaan, successu prospero in rebus agendis, quae quidem et ipsa gloriosa et magnifica Dei sunt opera, et insignem commendationem et celebrationem apud omnes totius orbis nationes merentur: verum etiam firmiter statuunt, se habere Deum propitium, qui peccatum remittat, Spiritum Sanctum largiatur, donet iustitiam et vitam aeternam, morte, Diabolo, inferno, totoque regno tenebrarum in victoriam absorpto penitusque everso et deleto. Quae demum vera et consummata est ³⁴ gloria, beneficio benedicti illius seminis humano generi parta et acquisita. Is enim factus est nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio: I. Cor. 1. Est via, veritas et vita; ipsius merito et efficacia obsignata est praevaricatio et iniquitas ³⁵ et sempiterna adducta iustitia, Dan. 9. Ita cum videmus patres veteris testamenti tam avide et ardentem sitivisse et concupivisse salutem, semper eos respexisse in promissionem de venturo semine mulieris contrituro caput serpentis, in quo omnes gentes benedicendae forent, minime dubium est: ideoque in precibus suis velut annulus gemmam complectitur, mediatorem Christum, in quo Deo mundum ³⁶ sibi conciliare placuit, una complexos esse. Quare ut et nostrae posteritati bene sit, eique nota sint magnifica et gloriosa beneficentissimi Dei opera, serio et ardentem ipsum invocemus, summaque ope adnitamur, ut nos simus veri cultores Dei, et studia doctrinae coelestis fideliter filiis nostris instillemus et inculcemus, ³⁷ ut in viis Domini inoffense ambulent. Non praecipue laboremus, quo pacto amplas opes, potentiam, honores ipsis paremus et relinquamus, quod studium plaerumque cum scelere et fraude, aliorumque iniuria coniunctum est, ideoque ea falso mundi credita gloria cito dissipatur, diffluit et evanescit. Ad hanc vero piam sollicitudinem et curam de posteris nostris praesentes partim et impediennes calamitates patriae

35 minime T minimae

30 sit agnus Dei — Ioan 1,29

32 Et gloria tua — Psal 90,16

34 Est via — Ioan 14,6

- ³⁸ nostrae merito nos excitare debeant. Versamur pene in mediis Turcarum faucibus et undique immani feritate barbaris gentibus circumsepti sumus, quae crudeli nos odio prosequuntur, et iugulo nostro omni momento extrema quaeque pericula et
³⁹ dira supplicia intentant. Nec aliud hactenus efficacius validiusque remedium in tantis periculis experti sumus (cum nec opibus, nec sapientum consiliis, nec ad bellum instructis copiis, nec foederibus astute stabilitis, tam vicinis, tam potentibus ac crudelibus hostibus resistere potuimus), quam tutelarem Dei protectionem, qui propter ecclesiam suam, quam hic voce euangelii sui et sacramentorum vero usu sibi colligit, ubi docentium ac discentium coetus mirifice regit, tuetur et conservat.
⁴⁰ Non secus atque halcyonibus intempesta bruma in scopulis nidificantibus mare tantisper placidum et tranquillum subsidit, donec foetus suos excludere et educare possint: sic et imperia nonnunquam Deus sinit esse quietia, ut ecclesia colligi et conservari possit, quae Dei gubernatoris sui ingentia, mirifica et gloriosa opera
⁴¹ agnoscere et laudibus efferre ac ad posteritatem propagare possit. Crebris ergo gemitibus hanc discipulorum Christi precationem usurpamus:

Vespera iam venit, nobiscum, Christe, maneto,
 Extingui lucem ne patiari tuam.

- ⁴² 17. Et sit iucundus Dominus Deus noster super nos;
 et opera manuumstrarum super nos,
 et ipsum opus manuumstrarum confirma.
- ⁴³ Primum in genere petit, ut Deus nobis sit propitius, remittat peccata, quae agnoscimus et confitemur. Ad haec et Spiritus Sancti gubernationem in vita privata, ut hoc adiutore pie, caste et iuste vivamus in hoc seculo. Praeterea nominatim orat, ut opera mandata vocationis nostrae iuvet ac fortunet, in quibus fides et diligentia summa requiritur.
- ⁴⁴ Diversa sunt autem vocationum genera, sicut in humano corpore multa membra inter se coagmentata, varia habent officia. Constat enim civitas non ex medico et medico, sed ex agricola et medico. Einer lehret, der ander wehret, der dritte ernehret. Quod etiam hoc disticho venuste expressum continetur:

Pfaff supplex ora, Fürst protege Paurque labora,
 Fungatur proprio munere quisque suo.

- ⁴⁵ Et quia singuli difficultates maximas et impedimenta plurima in vocationis laboribus experimur: nunc coronidis vice brevem addam commonefactionem, quid quisque in officio suo agere debeat, quo felicem faustumque consequatur successum et eventum optatissimum, ac Deo sint grati, aliis vero et nobis ipsis salutare nostri labores.

41 Vespera iam — v. LS 69

42 Et sit iucundus — Psal 90,17

44 Pfaff supplex — „In curia Basiliensi aurcis literis hic versiculus scriptus invenitur: Tu supplex ora, tu protege tuque labora. In hoc versiculo tres huius vitae vocationes proponuntur: Ecclesiasticus, Politicus et subditorum status” (Manl. Coll. p. 589); Matthias Miles hunc versiculum sic recitat: „Tu supplex ora, tu protege tuque labora: | Quisque pius Spartae sufficiat propriac” (Würg. p. 249)

- ⁴⁶ Primum ergo agnoscamus infirmitatem nostram, neque fiducia propriarum virium, sapientiae, potentiae, industriae, opum et similium rerum, vocationis nostrae labores sine auxilio Dei rite perficere posse cogitemus. Verum est enim, quod in psalmo 128. dicitur: Nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Ioan. 15.: Sine me nihil potestis facere. Item: Non potest homo sibi sumere quicquam, nisi datum sit ei de supernis. Ac probant multa exempla Deum ex arroganti praesumptione maiora viribus suis audentibus adversari et potenter resistere et illorum conatus et consilia impedire et reprimere, sicut Gygantibus est videre turrim Babel aedificare volentibus. Nabuchonodosor fastu elatus ex fastigio ad pecorum conditionem redigitur: Dan. 4.; Goliath: I. Samu. 8. Sennacherib, Apries, rex Aegypti, Ajax, Xerxes, Pharaos, Nero, Antiochus et alii tristes et calamitosos habuerunt exitus, de quibus recte dicitur: Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Item: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.
- ⁴⁹ Secundo debet fieri seria, ardens et assidua nominis divini invocatio, sicut pie dictum est: Ora et labora, et hoc ipsum exemplum Mosis ostendit, pugnantis contra Amalechitas, et regis Iosaphati, qui in rebus deploratis, quantum ad humana praesidia attinet, ad divinum auxilium confugiendum esse monet:

⁵⁰ In tenebris nostrae et densa caligine mentis,
Cum nihil est toto pectore consilii:
Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,
Nostra tuamque fides solius orat opem.
Tu rege consiliis actus, pater optime, nostros,
Nostrum opus ut laudi serviat omne tuae.

- ⁵¹ Tertio accedat sedulitas et fidelitas in officio, iuxta dictum Gen. 3.: In sudore vultus tui comedes panem tuum. Item: labores manuum tuarum manducabis. Proverb. 10.: Manus sedula ditat. Proponitur et formicae exemplum negligentibus et ignavis, Proverb. 6. Discenda etiam sunt et exercenda honesta et utilia artificia: Nam de male quaesitis non gaudet tertius haeres; Mala lucra aequalia sunt damnis. Et Haggaeus 1. cap. dicit: Raptores opes in pertusum marsupium cumulare.
- ⁵³ Augustinus inquit: Lucrum esse in arca, damnum in conscientia. Non artis nomine digna est, si quis est praestigiator vel funambulus, aut super nudos enses potest incidere, quia illius rei nullus est usus. Sic Alexander in nullo habuit precio istius industriam, qui per foramen acus potuit certo iactu transmittere grana milii.

46 in psalmo — Vulg. ac Sept. 126
Non potest homo — Ioan 3,27
47 turrim Babel — Gen 11,1—9
48 Goliath — rec. I. Sam 17,4—58
Tolluntur in altum — Claud. In Ruf. I, 22—23
Deposuit potentes — Luc 1,52
49 Ora et labora — tessera ordinis S. Benedicti
contra Amalechitas — Ex 17,8—16
exemplum Iosaphati — I. Reg. 22
50 In tenebris — ubi?
51 labores manuum — Psal 127,2
52 de male quaesitis — prov., v. Marg. p. 434
Mala lucra — Hes. Op. 352
Augustinus inquit — ubi?
53 Sic Alexander — Manl. Coll. p. 207

- lussit ergo ei dari per ludibrium modium milii, ut habeat occasionem sese exercendi
⁵⁴ in re tam vana et inutili. Similis historia de Attila, Hunnorum rege narratur. Opus
est etiam parsimonia, quae magnum est vectigal. Duabus rebus augeri rem familia-
rem affirmat Cicero: diligentia et parsimonia. Non enim minor est virtus, quam
quaerere, parta tueri. Operarius amans pinguedinem non ditiescet, inquit Sapiens;
Ecclesiastici 41. Et sera est in fundo parsimonia.
⁵⁵ Quarto constanti et infracto animo feramus praesentia bona vel adversa, ubi
non omnia pro voto et animi sententia succedunt. Gibt uns Gott nicht mit dem
⁵⁶ Scheffel, so gibt er uns doch mit dem Leffel. Nec propter spes incertas et metus
futurorum eventuum a regula discedamus. Scimus huius vitae commoda non esse
principalia bona, quibus Deus remunerat piorum fidem et pietatem: sunt enim
impiis cum iustis communia, uti supra dictum est, sed spiritualia et aeterna.
⁵⁷ Faciamus, quod Iob, qui dicit: Nudus egressus sum de utero matris meae, et
nudus revertar illuc. Cogitemus etiam Deum suas habere causas, cur opes, instru-
menta luxus et vitiorum pabula nonnunquam piis eripiat, aut petentibus dare
recuset. Essent enim causa exitii nostri et irritamenta malorum, sicut diviti epuloni
⁵⁸ accidit. Melius est ergo nos cum Lazaro pio et paupere salvari, quam cum divite
impio epulone damnari. Quia in divitiis humilitas, in delitiis castitas periclitatur.
⁵⁹ Sic Salomon petit a Deo mediocrem vitae sustentationem, Proverb. 30. Ubi vero
subinde mutantur vocationes et meliora maioraque temere appetuntur, accidit
incautis ardelionibus, quod proverbio dici solet: Camelus affectans cornua, etiam
aures amisit. Vel quod de asino Aesopico narratur subinde in peius variante
⁶⁰ conditionem. De quo Stigellii epimythion extat:

Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit,
Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.

- ⁶¹ Praesentia ergo cum gratitudine et patientia moderate feramus. Sunt enim
aerumnae praesentis vitae exercitia pietatis, sicut exemplum Iob et Lazari testatur.
⁶² Pervenimus iam Deo duce ad finem enarrationis huius psalmi, in quo miserrima
et deplorata humani generis conditio describitur, quod morbis, morte ipsa et
omnibus calamitatibus corporis et animi praesentis et secuturae vitae, velut diluvio
irae Dei propter horribilia scelera, quae per totum mundum vagantur, oppressum
iacet, cuius tamen sensu in tanta securitate et amentia Epicureorum hominum
pauci afficiuntur, ut vitam emendent, mitigationem malorum impetrent, et salutem
⁶³ aeternam consequantur. Nec nisi filiorum et servorum Dei est intelligere illud, quos
Deus ipse spiritu suo sancto afflavit, et utrumque in eis accendit, ut videlicet cala-
mitatum mole cognita, quae aeterna est damnatio, etiam ineffabilem et immensam
gratiae divinae thesaurum sibi conferri petant, sperent et expectent aeternam videli-

54 affirmat Cicero — De off. II, 24,87
Non enim minor est — Ov. Ars am. II, 13
Ecclesiastici 41 — rec. 19,1

Et sera est — Hes. Op. 369; Sen. Epist. 1,4

57 Nudus egressus sum — Iob 1,21

58 divite epulone — Luc 16,19—22

59 Camelus affectans — Aesop. 119; Av. 8
de asino Aesopico — Fab. 196

60 Stigellii epimythion — Ὄνος ἐπιπνοῦς (Poematum lib. III. Ienae 1572.)

⁶⁴ cet salutem Christi filii Dei merito et intercessione partam. Nunc in hoc turbine rerum, grassantibus horribilibus morbis et pestilentia, ubi catervatim abripi nobis dilectissimos quosque videmus, et ob oculos versari mille mortis imagines, sedulo oremus Deum Opt(imum) Max(imum) in nomine unigeniti filii sui, qui est vita et salus nostra, ut hasce calamitates mitiget, et pro paterna sua bonitate secundum propitiam suam voluntatem tandem tollat, longius etiam vitam nostram proroget, ut ipsius opera gloriosa in hac vita agnoscentes ipsum toto pectore celebremus, ⁶⁵ illius verbum discamus, amemus et propugnemus. Utque usu eius in crebris temptationum certaminibus cognito et probe in cordibus nostris confirmato, tandem ad posteros usque transmittamus et propagemus: parati quovis momento ex hoc mortali ergastulo et irrequieto malorum pelago ad portum aeternae vitae alacri animo et spe invicta decedere et accipere coronam immarcessibilis gloriae, quam promisit Dominus omnibus ipsum vere et ex animo diligentibus, cui cum aeterno filio suo et Spiritu sancto sit laus et gloria in omnem aeternitatem. Amen.

3. Psalmus XC. depingens humanae vitae miseriam et fragilitatem Sapphico carmine redditus

Arx Deus nostra est valida atque tutus
Portus afflictis generationes
Usque per cunctas, erit et deinceps
Ancora sacra.

⁵ Antequam montes fierent petrosi,
Condita aut tellus spatiosa et ingens
Orbis, aeternum Deus es, nec ullo
Deficis aevo.

¹⁰ Tu genus nostrum facis interire,
Vinculo mortis graviore captum,
Proque defunctis nova mox redire
Corpora mandas.

¹⁵ Mille te coram reputantur anni,
Ceus dies prono celeri una lapsus
Quae fugit nunquam reditura longi
Temporis aevo.

²⁰ Nos velut noctis vigiles, priores
Linquimus sedes aliis, vicissim
Hisce succedunt alii deinceps
Ordine certo;

1 nostra T nostrae
14 celeri T celer

1 Arx Deus — cf. Luther: Eine feste Burg ist ... (1527)

Montibus largus velut imber altis
Defluit magno strepitu citoque
Ima vanescens sitientis intrat
Viscera terrae;

25 Vana ut in somno brevis atque fallax
Visio transit, pavidasque mentes
Territat frustra, specieque laetas
Fallit inani;

30 Laeta ceu pulchro viret herba campo
Mane, quam vesper rapido perustam
Sole conspexit decus exuisse om-
nemque vigorem.

35 Namque nos ingens tua perdit ira,
Atque consumit furor aestuosus,
Ceu leves ardor stipulas repente
Devorat ignis.

40 Es memor nostri sceleris, videsque
Cuncta, quae cordis latitant sub imo
Scriinio, et vindex malefacta crebris
Cladibus urges.

Ob tuum nostri subitis furorem
Cursibus menses fugiunt et anni:
Vita ceu sermo brevis atque vanus
Lubrica transit.

45 Nestoris si annos Pyliique longos
Impleat quisquam, potior fugacis
Pars tamen vitae perit in labore
Atque dolore.

50 Quis tuae vires vehementis irae
Horret, ut par est, metuitque grandem
Atque inextinctum scelerata propter
Facta furorem?

55 Terminum vitae brevis et caducae
Edoce nos, ut sapiamus atque
Simus exutis vitiiis parati
Mortis ad horam.

40 Cladibus T Gladibus
47 perit T petit

- 60 Usquequo terres trepido pavore
 Anxios? cunctis vitiis remissis,
 Quin tuos rursum famulos benigno
 Respice vultu.
- Nos tuae summa bonitatis imple
 Gratia, cunctis hilares diebus
 Simus ut vitae, neque corda moeror
 Occupet unquam.
- 65 Redde pro multis, quibus aspera annis
 Damna perpassi fuimus, quietos
 Et dies molles placidaeque laeta
 Tempora pacis.
- 70 Sit tuis notum famulis benignae
 Mentis excellens opus: et futuris
 Constet ipsorum tua sempiterna
 Gloria natis.
- 75 Sis favens nobis, placidus, benignus,
 Quos et urgemus duce te labores,
 Promove, vela ut teneant serenum
 Prospera portum.

4. Precatio ad Deum pro avertenda lue pestilentiali

- Conditor coeli Deus atque terrae
 Summus, aeternus, sapiens, benignus,
 Qui Redemptoris cupis invocari
 Nomine Christi.
- 5 Nos, tuae dextrae fragile et caducum
 Plasma, condignas tolerare plagas
 Cogimur propter scelerata nostrae
 Crimina vitae.
- 10 Aut fames nostris fera regnat oris,
 Saevit aut Mavors ferus, et cruento
 Ense debachans populos et amplas
 Proterit urbes.

67 dies T dis

1-4 Conditor coeli — Hor. Carm. I, 2,41-44

15 Nunc lues passim rabiosa grassans
 Debiles artus hominum veneno
 Inficit, tristi et miseranda sternit
 Corpora letho.

20 Falce ceu tondet rudis arva messor
 Horreum fruges cumulans in unum,
 Amplius nudo decor ut supersit
 Nullus agello.

25 Sic domus celsae et viduantur urbes
 Civibus, mater, soboles paterque,
 Pauper ac dives tumulto repente
 Conditur uno.

30 Perstrepunt omnes gemitu plateae,
 Alta sublatis et ad astra palmis
 Vulgus offensi studet expiare
 Numinis iram.

35 Sis memor nostri, Deus, et flagellum
 Aufer a nobis meritum: prioris
 Nos piget vitae, scelerisque cunctos
 Poenitet acti.

40 Tu gravi nostro moveare damno.
 Cogita, simus quod opus tuarum
 Atque figmentum manuum tuaeque
 Mentis imago.

45 Te tui nati meritum precesque,
 Quo nihil maius tibi cariusque
 Totus hic orbis tenet: a furenti
 Avocet ira.

Nolo, dixisti, pereat cruenta
 Morte peccator, veniam sed oret
 Serio, ac vitet mala, perque cuncta
 Secula vivat.

Sic tuum grati super astra nomen
 Laude tollemus, sine fine clemens,
 Quod pater cernas tua rursus aequo
 Pignora vultu.

5. Ode consolatoria

quo pacto pii luctum ex obitu dulcissimorum liberorum aut aliorum, quos charos in hac vita habuerunt, conceptum aequiore animo ferre debeant.

Scripta ad reverendum, pium et doctum virum

D<ominum> Franciscum Valentinianum Mediensem, amicum et
compatrem charissimum a Christiano Schesaeo Mediensī,
cui non ita pridem filius unicus amplissimae spei adolescens,
Stephanus Schesaeus e vivis excesserat

29. Decembris anno 1578. natus anno fere 13.

Docte Musarum Valentine cultor,
Digne cui frontem foliis inumbret
Delius lauri, tribuatque longae
Secula vitae.

5

Quod mei defles properata nati
Busta, mansuris facis et Camoenis
Illius vitae brevis acta longo
Vivere seculo:

10

Evidens signum reputo favoris,
Particeps nostri quod amice luctus
Ingemis, tanto cupis et medelam
Ferre dolori.

15

Pondus in partes grave distributum
Fit minus, ferri levius potestque,
Secta per multos tenuantur alta
Flumina rivos.

20

Me licet multum lachrimosa nati
Fata perturbent, penetrentque nudo
Acrius ferro prope dissoluta
Pectora planctu:

25

Hac peremptivum tamen arte morbum
Vincō, ne fatis temere repugnans,
Gentium ritu, videar dolore
Fractus acerbo.

Non Dei nutu sine conditoris
Nascitur quisquam, moritur nec absque
Ipsius scitu: data cuique certa est
Meta dierum.

30 Ob parentalis maculas reatus
 Cogimur vim sustinuisse lethi;
 Quotquot in mundum geniti superna
 Vescimur aura.

35 Matris effusi parientis alvo
 Degimus vitam miseram brevemque,
 Usque consumti nece luctuosa
 Condimur urna.

40 Vita quid nostra est nisi bulla turbens,
 Umbra, flos agri, cinis et pruina,
 Avolans somnus, vapor aut arachnes
 Pensile filum?

Antequam praeceps animi iuventus
 Inficit sensus vitiis capaces
 Rapta, decedit viridis citato
 Floris in aevo.

45 Non metu mortis, trepidi nec Orci
 Pallet aspectu, velut expetito
 Matris infusus gremio quiescens
 Molliter infans.

50 Saepe de natis bona spes parentes
 Fallit, aetate in tenera, recepta,
 Quippe mutantur facile innovatis
 Moribus anni.

55 Indolis sanae memorat fuisse,
 Quinque primaevos, Senecae, per annos
 Audiit donec documenta, crudum
 Fama Neronem.

60 Trux Alexander Macedo repertus
 Auctus annorum numero, iuventa
 Cuius infami macula nefandisque
 Abfuit actis.

Pallidae nullis revocantur umbrae
 Quaestibus, Styx quas Acheronque tristis
 Atra lethaeis semel occubando
 Merserit undis.

37 nostra T nostrae

37–40 Vita quid — cf. En II, 52

61–64 Pallidae nullis — Hor. Carm. I, 24,15–18

65 Quas et aeterni tenet aula regni,
 In sinu Christi placide quiescunt,
 Huius incertae neque falsa curant
 Gaudia vitae.

70 Certa cum vitae nota sit perennis,
 Mors Redemptoris preciosa Christi,
 Cuius est mortis superata morte
 Cuncta potestas.

75 Ac repugnare immodico videmur
 Legibus Divūm, gemitu, ac beate
 Mortuis laetam et placidam favere
 Nolle quietem.

80 Moeror exiccat nimius medullas
 Ossibus, pulchras macieque malas
 Foedat infirmi, acceleratque turpis.
 Damna senectae.

Impedit natūm cita mors cadentum,
 Ne dolos, fraudem per et execrandam,
 Ampla queis ditent sobolem, reponant
 Aera parentes.

85 Est fames, ingens et opum cupido,
 Omnium radix, seges et malorum,
 Patribus mistam sobolem sub ima
 Tartara mergens.

90 Imo venturis aliquando magnis
 Cladibus iusti eripiuntur, arma
 Ne tyrannorum haereticūmque casses
 Experiantur.

95 Turcicam quis non modo vastitatem
 Horreat? cernens face, Marte, stupris
 Multa foedari sacra, templa et urbes
 Christicolarum.

100 Quanta crudeles rabies tyrannos
 Armat in Christi sacra iura fassos?
 Mundus est nidus Sathanae omniumque
 Lerna malorum.

89–112 Imo venturis — cf. LA 165—176; RP IX, 178—193

Haereses omnis generis prophanae
Latius toto dominantur orbe,
Vulgus immersum vitiis superbe
Numina ridet.

105

Unde felices reputantur, ante
Mortui, quam participes malorum
Senserint poenas tragicas, scelesti
Improbi et orbis.

110

Ecquis infames scopulos et inter
Turgidas vasti pelagi procellas
Fluctuans, optet minus ad quietum
Tendere portum?

115

Ante nos tristi periere fato
Caesares, reges, comites ducesque,
Quique totius meruere dici
Numina mundi.

120

Profuit nulli sua forma, robur,
Mens sagax, ampli diadema regni,
Obque res gestas bene nec triumphus
Famaque vivax.

125

Hercules, Hector, Priamus Parisque
Blandus et passus mala multa Ulysses
Occidit: nec non spatiosus amplo
Robore Samson.

130

Livius, Crispus, Cicero disertus,
Lactei Romae eloquii parentes,
Quosque mirata est sophiae fidelis
Graecia nutrix.

135

Nec diis chara et sacra turba vatum,
Prorogans aevum populis perenni
Pieris cantu, caret invidenda
Funeris urna.

140

Quid nurus dicam facie venusta
Solis aequantes radios corusci?
Candida et quarum superant hybernas
Colla pruinas.

Huc et illorum retulisse famam
Proderit, mortem patienter atram
Mente qui forti potuere natūm
Ferre suorum.

145

Abraham saevo iugulare ferro
Unicam iussus sobolem, sacrati
Seminis quae spes erat una, dictis
Paruit ultro.

150

Ter miser charum Isacides Iosephum,
Ore consumtum rabido ferarum
Certus, immensum tulit aequiore
Coede dolorem.

155

Iob suos horae brevior puncto
Audiens natos celeri ruina
Aedium tactos ruderum gravique
Mole sepultos:

160

Dixit: ingentis Deus autor orbis
Has mihi proles tribuit, vicissimque
Abstulit, nomen Domini per aevum
Sit benedictum.

165

David in cunis tenero puello
Per necem rapto lachrimas remittens,
Regiam indutus chlamydem serenus
Pectore fatur:

170

Coniugis rex Mauricius Pelasgūm
Intuens caedem sobolisque charae,
Iustus es, dixit, Deus, ordinasque
Omnia recte.

143 forti **T** forte

145–148 Abraham paruit — Gen 22,1–14

149–152 Isacides Iosephum — Gen 37,20–36

153–160 Iob dixit — Iob 1,13–21

161–168 David fatur — II. Sam 12,15–23

169–172 Mauricius dixit — cf. En III, 18; Manl. Coll. pp. 118–119
Iustus es — Tob 3,2

175 Aspicias rerum faciem quotannis
 Mortuam brumae rabie furentis
 Surgere et gratis vicibus propinquo
 Vere renasci.

 Sicca caelesti saturata nimbo
 Terra laetis divitiis opimi
180 Veris exultat, varioque pingit
 Germinare campos.

 Saemina in foetis putrefacta glebis
 Motibus vires tacitis resumunt,
 Atque cognatas rediviva spicas
 Sponte revisunt.

185 In putres artus cineres redactos
 Dicitur phoenix reparare, odoro
 (Solis afflatu) capiente foetam
 Pulvere vitam.

 Terreas Enoch super astra vectus
190 Liquerat sedes, fragiles priusquam
 Corporis mors exuvias tremenda
 Poneret aegri.

 Igneo fertur per et astra curru
195 Thesbius vates, simul et redemptor
 Morte consurgens rutilo resedit
 Laetus Olympo.

 Unicus gnatus viduae Naimae
 Mortuus Christi monitu vocantis
200 Surgit, e somno velut excitatus
 Molliter alto.

 Lazarus clauso redit ex sepulcro
 Pene olens, Christo tribuente vitam
 Principis Iairi quoque mersa letho
 Nata revixit.

205 Thaboris supra iuga celsa montis
 Christus et Moses pariterque Elias
 Lucida apparent facie, invicemque
 Dulce loquuntur.

189–192 Terreas Enoch — cf. Rm I, 71–74; En V, 44; Gen 5,24; Sir 44,16; Heb 11,5

193–196 Igneo fertur — cf. Rm I, 267; II. Reg 2,1–12

197–200 gnatus viduae — Luc 7,11–15

201–204 Lazarus redit — cf. Rm I, 277–278; Ioan 11,38–44

205–207 Thaboris supra — Matth 17,1–4; Marc 9,1–8; Luc 9,28–36

210 His et exemplis aliis modisque
 Lenio moestos animi dolores,
 Speque constanti melioris aevi
 Omnia vinco,

 Nos ubi dulcis sobolis, parentum,
 Coniugum, fratrum, placitorum amicūm
 215 Obviis ulnis animisque laetis
 Excipiemur.

 Est fides illic, rata pax honorque
 Priscus et neglecta redire virtus
 Audet: apparetque beata pleno
 220 Copia cornu.

 Cordium priscus renovatus ardor
 Purior mentes vehementiorque
 Iunget afflatas placida sacrati
 Numinis aura.

 225 Ac patri summo sine fine laudes
 Gratiis actis referemus, orbem
 Quod sui nati voluit redemptum
 Funere acerbo.

 Hospites ergo et sine sede certa
 230 Advenae errantes patriae beatas
 Quaerimus sedes, ubi sempiterna
 Luce fruemur.

 Interim matris patris et voluptas,
 Spes, decus, robur, cor amorque fervens,
 235 Spe secuturi requiesce secli,
 Nate, sepulcro.

XII. IMAGO BONI PASTORIS
AD CHRISTUM MUNDI SALVATOREM
ACCOMMODATA : IOHAN 10.

1. Clarissimo et pietate insigni, deque ecclesia filii
Dei praeclarissime merito viro, D(omino) Nicolao Selneccero,
pastori ecclesiae Dei
in urbe Lipsensi ac sacrae theologiae doctori,
D(omino) et amico charissimo

Salve Lipsiaca verbi plantator in urbe,
Selneccere, sacri, sospes et esto piis!
Etsi tot curis tantisque laboribus angi,
Teque premi officii mole potente sciam:
5 Quando tuam attonitis Academia sensibus audit
Vocem de rebus disseruisse sacris;
Quando Periclaeo te vel sermone tonantem
Miratur sacro foemina virque loco;
10 Quando vel interpres sacrū monumenta librorum
Victura ingenio prosperiore facis:
Attamen hisce meis tua visere limina scriptis
In te sincerus fidus et ursit amor
Censuram scriptis de nostris propter amicam,
15 Quae quoque sunt iussu publica facta tuo.
Quove probem verum certis, et tester amorem
Indiciis aliquot perspicuisque notis:
Haec tibi pro meritis inculto carmina plectro
Ante annos aliquot scripta dicata volo.
20 Res hic bucolicis quamvis tractata figuris,
Multa monere pios, multa docere potest.
Cumque sequare boni exemplum et vestigia Christi
Pastoris, tibi sint hae, mea dona, notae;
Laetior ista leges, cum quod de fontibus hausta
25 Eque tuis ea sint pleraque scripta libris;
Tum quod longinquis procul haec mittantur ab oris,
Quae vicina nimis sunt loca Turcigenis.
Hic nomen tua lausque viget, tua fama tuusque
Tempore non ullo deperiturus honos.
30 Sicque vale, summi constans athleta Tonantis,
Divini speculum, norma typusque gregis.

V(estrae) Excel(lentiae)
Christianus Schesaeus
pastor ecclesiae Mediensis, deditissimus amicus

2. Imago
boni pastoris
ad Christum mundi salvatorem
accommodata:
Iohan. 10.

I.

Pastor habet tutam, quae cingitur undique, caulam
Cratibus, ut nequeant vi penetrare lupi:
Sic praebet tutos ecclesia sancta receptus,
Ne noceat Sathanae vis inimica piis.
5 Foelix o nimium, speciosa palatia quisquis
Illius excelsae servat amatque domus.
Haec petra invicta est, nullo quae turbine verti,
Pressa nec Oceani mole perire potest.
Praestat in hac vilem spretumque fuisse ministrum,
10 Splendida quam mundi regna tenere, domo.
Gratior hic una est, quam millia multa dierum,
Hic pax, hic requies, vita salusque vigent.
Fructifera sterilis desectus ab arbore ramus
Aret, nil succi, nilque vigoris habet,
15 Ni foeto insertus trunco coalescat in unum
Corpus, ab hoc vires, robur opemque trahat:
Sic nisi quem proprium nutrix ecclesia foetum
Suscipiat gremio confoveatque suo,
Mortuus est: certisque vagans sine sedibus erro,
20 Sanctaque cui celsae clauditur aula domus.
Turba velut tumidis perit obruta fluctibus omnis,
Cui non perfugium praebuit arca Noe:
Haud secus a Christi quicunque recedit ovili,
Fit Phlegethontaeo praeda petita lupo.
25 Convenit huic ergo nos semper iungere ovili
Pectore, doctrina, moribus, ore, fide.

II.

Herbida pastor oves per pascua ducit inermes,
Aridaque irriguo guttura fonte levat.
Pascit oves Christus divini dogmate verbi,
30 Quo cibus haud animae gratior esse potest.
Vox Domini velut est panacaeis consitus herbis
Hortulus, aeterno veris honore nitens:
Hoc licet irriguo decerpere pabula prato,
Moesta quibus certa corda leventur ope.
35 Pauper es et metuis, ne te fera cogat egestas
Impia per fraudes lucra parare tibi.

Disce hinc, deficient Dominum bona nulla timenti,
 Machina cui pandit totius orbis opes.
 Naufraga sive gravet scelorum tua pectora syrtis,
 40 Vindicis exhorrens fulmina saeva Dei:
 Crede, tibi nunquam tua crimina tecta nocebunt,
 Agnus enim innocuus sustulit illa Dei.
 Seu nimium mortis te pallida terreat umbra,
 Tartarus et patulo gutture semper hians:
 45 Mors nec habet vires valido prostrata duello,
 Est somnus, vitae porta quiesque piis.
 Ruptus et inferni carcer, captiva refudit
 Agmina, coelicolū regnaque laeta dedit.
 Caetera corpus alunt alimenta caduca caducum,
 50 Saepius et stomacho sunt onerosa suo:
 Quod sub pane datur Christi venerabile corpus,
 Verus in uvarum quique liquore cruor:
 Aeternae confert credenti gaudia vitae,
 Erigit in pavido corde fovetque fidem.

III.

55 Et vigiles, pellant qui noxia monstra luporum
 A grege balantum, deligit ipse canes.
 Aetherea Christus demittit ab arce prophetas,
 Quos contra haereticos bella movere docet.
 Armata et exornat praeclara pectora donis
 60 Pluribus et variis numine plena sacro.
 Cancer ut adductis serpentum lubrica chaelis
 Colla premit, nec ei dira venena nocent:
 Haereticos capiunt imitantes Prothea formis,
 Perplexae possunt nil valuisse strophae.
 65 Insidiae emergunt, patefit dolus omnis iniquus,
 Quemque, ferus, textit pellis ovina, lupus.
 Si scelus immineat gregibus contagia ducens,
 Longius assidua voce tonante fugant.
 Quaeque suos aetas habuit perversa docentes
 70 Dogmata, pestiferas dissidiiue faces,
 Opposuit quibus armatos virtute prophetas
 Aetherea, invictos artibus eloquii.
 Agmina perdomuit Baalitica Thesbius augur,
 Impia cum Iudae sceptrata teneret Achab.
 75 Niliaci ante illum Moses malefacta tyranni
 Arguit, ipsius vidit et interitum.

64 Perplexae I Perplexae

73 Agmina I Agmine

73 perdomuit Thesbius — I. Reg 18,29—40

75–76 Moses Arguit — Ex 5,1–5; 7,1–7

vidit — Ex 14,23—28

Sic phariseismum victa pietate professos
 Elingues Christus compulit esse duces.
 Coetus apostolicus, qui postque fuere sequuti,
 80 Haereticūm varios comminuere dolos.
 Athanatos, tetri contrarius artibus Arrii,
 Te veram sobolem, Christe, ait esse Dei.
 Quanta sophistarum, pater Augustine, refutas
 Agmina Pelagium, quaeque secuta Manen:
 85 Quid veteres? tulit et tempestas ultima mundi
 Doctrina insignes et pietate viros,
 Qui Sathanae invisum conati evertere regnum
 Fronde triumphali tempora cincta gerunt.
 Lutherus trifidam fecit titubare coronam,
 90 Et monachūm rupit viscera crassa, papae.
 Eruit e tenebris artes linguasque Melanthon,
 Ostendens methodum qualibet arte brevem.
 Et reliqui, Augusta quicumque sequuntur in urbe
 Caesari et ordinibus scripta data imperii.
 95 Est tuba doctorum vox exaltata piorum,
 Frigida quae terret corda movetque gregis,
 Ut vitent sacro contraria crimina verbo,
 Nec praeter licitum fasque piumque probent.
 Hinc est absque metu scelerata quod acta potentum
 100 Voce deūm interpret liberiore notat.
 Nec mundi fastum, nec opes, nec curat honores,
 Quidve Sathan mundus vel furiosus agat.
 Sunt timidi mutique canes arcere latratu
 Cessantes rabidos multivorosque lupos.
 105 Pacifici vulgo dicuntur et esse modesti,
 Bissina qui norunt blandaque verba loqui.
 Pectore caelantes aliud quam voce loquuntur
 Gnathones, regum mobilis aula probat.
 Grata minus medicus medicamina porrigit aegro,
 110 Ipsius ut vitae consuluisse queat;
 Amputat interdum vel adurit inutile membrum,
 Ut reliquum corpus sanius esse queat.
 Vulnera cur animae longe graviora dolentis
 Attingi patitur non magis aeger homo?
 115 Quid quod apostolicum salvator munus acerbo
 Mordaci et nimium comparat ipse sali?
 Scilicet ut vitiis hac dura aspergine foedis
 Servet ab interitu pectora plena putri.

78 Christus compulit — Matth 22,34—46; Marc 12,28—34
 89–90 Lutherus fecit titubare — Manl. Coll. p. 69
 116 comparat sali — Matth 5,13; Marc 9,49; Luc 14,34

120 Fit castigando sapiens sapientior, amens
Stultior, at multo peior et asperior.
Ille ter est felix, invicta mente furores
Qui mundi et Sathanae fulmina ferre potest.

IV.

Interdum plenis inflata et fistula buccis
Pascentes dulci carmine mulcet oves.
125 Tristia mellifluis demulcet pectora verbis
Christus, nil istis suavius esse potest.
Ad me omnes properate, precor, quibus anxia mens est,
Et grave peccati terret et urget onus.
Vos ego solabor, certam praebebo medelam,
130 Solus pax hominum, sum via, vita, salus.
Usque adeo miserum sincere diligo mundum,
Charior ut fuerit non mea vita mihi.
Ille ego labe carens sum purus et integer agnus,
Crimina qui mundi deleo morte mea.
135 Vestra meo gessi cum plagis crimina tergo,
Culpa gravis ne vos poena vel ulla premat.
Hoc quis concentus, quae musica gratior unquam
In terra, Superum nota vel arce fuit?

V.

Pastor ovem multo turgentem vellere tondet,
140 Tonsa sed apparet turpius esse pecus.
Sic damnosa gravat nimium cum corda voluptas,
Hanc Christus resecat ceu mala damna nimis.
Sub cruce dilectos sibi saepe exercet amicos,
His nihil ut mundus turpius esse putet.
145 Vulnerat, ut sanet, premit, ut super aethera tollat,
Quo magis exhilaret, saepe dolere facit.
Est ubi crux, ibi lux, sequitur victoria pugnam,
Ut redit ex acta nocte serena dies.
Maior in exilio Iudaeae gloria gentis,
150 Quam sede in patria tempore pacis erat.
Indicium crux est et tessera certa piorum,
Qua nosci a reproba colluvione queunt.
Decipitur vana veluti delusus ab umbra,
Qui specie iustos exteriori probat.
155 Omnem mundiciem coelestis filia regis
Intus habet, fulget gloria rara foris.
Iustitia induta est vestimentoque salutis,
Lucifero ante Deum splendidiusque nitet.
Novit rite Deum, spe cuncta pericula vincit
160 Invictum robur suppeditante fide.

Non ita gemmato formosa coruscat amictu
 Ante oculos sponsi blandaque sponsa sui.
 Audet in adversis proles ut amica parentem
 Dilectum precibus sollicitare Deum.
 165 Sentit vivificos tentato in pectore motus,
 Quos operans sanctus spiritus intus agit.

VI.

Si qua per umbrosas erravit ovicula silvas,
 Impositam tergo fert in ovile suum.
 Longius haud extra patitur sua septa vagari,
 170 Quas propria Christus morte redemit, oves.
 Errantes revocat, charisque amplexitur ulnis,
 Inventa toto corde triumphat ove.
 Respice, suscepit quanta bonitate Zachaeum,
 Qui multas vetita fraude coëgit opes.
 175 Periura Petrum ter et ipsum voce negantem
 Erigit, illius crimina cuncta tegit.
 Fecerat obscaeno meretrix quae corpore quaestum,
 Hoc duce perpetuae dona salutis habet.
 Converso donat regnum coeleste latroni,
 180 Dum veniam moriens supplice voce petit.

VII.

Fertque pedum manibus, quo terret et atterit hostem,
 Qui voluit charum dilaniare gregem.
 Fertque humeris Christus sceptrum crucis, ardua ligna,
 Hoc baculo Stygium concutit ipse ducem:
 185 Hoc mortem vicit, Sathanamque hoc fregit Avernum,
 Hoc vis peccati saeva perempta iacet:
 Nemo meis rapiet teneros ab ovilibus agnos,
 Christus ait, verus dux ego semper ero:
 In coelo est terrisque mihi data summa potestas,
 190 Omniaque ad nutum stantque caduntque meum.
 Aut ego vel saevi succumbent Marte tyranni,
 Haec mea non hosti viscera edenda dabo.
 Murus ero circum, praesensque tuebor inermes,
 Seu terra ingruerit, sive procella mari.
 195 Imo pilus modici neque velleris unus inultus
 In terram Domino non cupiente cadit.

173 suscepit Zachaeum — Luc 19,1—10

175—176 Petrum Erigit — Matth 26,69—75; Marc 14,66—72; Luc 22,54—62; Ioan 18,17—18;
 25—27

177 meretrix quae — Luc 7,36—50

179 Converso latroni — Luc 23,39—43

195—196 pilus neque cadit — Luc 21,18; Act ap 27,34

VIII.

Proque salute ovium discrimina nulla recusat
Pastor, fert pluvias cumque calore nives.
200 Et Christus rigidae subit acria vulnera mortis,
Ut miseras tristi funere servet oves.
Sputa, crucem, funes, probrosam, flagra, coronam
Cunctaque pro mundi damna salute tulit.
Christe, tui coetus semper fidissime custos,
205 Lumina cui nunquam victa sopore iacent.
Nos rege, conserva, defende potenter ab hoste,
Pro nobis alius praelia nemo gerit.
Et fac, coelesti tecum vivamus in aula,
Amplius est ubi vis nulla timenda piis.
210 Hoc largire mihi: tu plura petentibus adde,
Vivere sub scuto me sine, Christe, tuo.

XIII. OPERA INCERTI AUCTORIS FRAGMENTAQUE, QUAE SCHESAEO ADSCRIBUNTUR

1. Gratiarum actio pro beneficio incarnationis Dei

〈1. Inbrünstigen Dank sagen wir dir, o Christus, weil du in menschlicher Gestalt die durch den Fehltritt der Voreltern verdorbene alte Welt geheilt hast.

2. Du stiegst von dem Himmel, wo du wie der Vater verehrt wardst, weise gleich ihm und Schöpfer des weiten Weltalls.

3. Nicht nahmst du an Engelgestalt, obgleich sie, durch keinen Makel entstellt, dich, von jeder Schuld Reinen, schöner zieren konnte.

4. Niemand bat dich mit gewinnenden Worten noch lockte Dich eine Hoffnung auf Gewinn, dass du als Gott der Welt dich zugeselltest in festbeschlossenem Bunde.

5. Und da du doch die frühere preisgeben und eine neue Welt dir schaffen konntest, die dein Wesen und deine Gesinnung besser widergespiegelt hätte, —

6. nicht liess es deine heisse Liebe zu den Sündern zu, und des Vaters milder Wille, der verdiente Strafe erlässt durch deine Vermittlung.

7. Wegen diesem Geschenk, o Christus, lassen frommen Dank dir die Engel ertönen, so wollen auch wir tun, die ins Herz dich schlossen, zu allen Zeiten.〉

2. Epithalamium V. M.

Argumentum: 〈„Ziemlich weitschweifige Anrufung der Musen den Tag zu besingen. Gebet an Venus um Beschützung des Liebesbundes, Beglückwünschung der Braut und des Bräutigams; Verheissung von Gottes und der Menschen Wohlfallen an ihrer keuschen Liebe; Lob des Bräutigams, besonders aber der Braut wegen ihrer Schönheit und Tugend; Aufforderung an die Teilnehmer fröhlich zu sein, zu trinken und tanzen; Schilderung der festlich geschmückten Tänzerinnen,

die alle von der dem Abendstern gleichende Braut in Schatten gestellt werden.
Noch einiges von der Brautnacht, dann bricht die Hs ab.”>

Fragmenta:

- ¹ Carmen sonora, Musa, dic amabile,
² Et dulce tibia melos.
- ⁵ Audisne? Ludit an vocantem amabilis
⁶ Opes tuas insania?
⁷ Iam per pios errare me lucos sinas
⁸ Audire cantus et tuos.
- ¹⁸ Vincentius
- ²³ Mater cupidinum
- ²⁶ Cyprum beatam desere
- ⁸⁹ Nunc est bibendum, libero nunc est pede
⁹⁰ Pulsanda tellus omnibus
⁹¹ Falernum
- ¹⁰⁴ Falerni vinum
¹⁰⁵ Hic laeta miscet pocula
- ¹⁰⁸ Humumque iuvenum turba quatunt candido
¹⁰⁹ Ductis puellis pede
- ¹³⁴ Materque dulcis imperat cupidinum

1 Carmen sonora — Hor. Epist. I, 3,24
2 Et dulce — Hor. Carm. III, 4,1
5–8 Audisne? — Hor. Carm. III, 4,5–8
23 Mater cupidinum — Hor. Carm. I, 19,1
26 Cyprum beatam — Hor. Carm. I, 19,9–10
89–90 Nunc est bibendum — Hor. Carm. I, 37,1–2
105 Hic laeta — Hor. Carm. III, 19,11–12
108–109 Humumque iuvenum — Hor. Carm. IV, 1,25–28

3. <Carmen ad Isabellam et Ioannem Sigismundum salutatorium,
in quo Nuncia coeli precatur ad regem, ut fidem veram
contra haereticos tueatur, et accelerante die synodum statuatur>

3/1 Clarissimo viro domino Mihaeli Chyakio,
reginalis maiestatis cancellario salutem

Digna viris pietas regi sua dona referre,
Quae grati pignus pectoris esse queant.
Ostentent alii gemmas, aurumque rependant,
Divite cum vena qui peperere sibi.
5 His ego cum caream, nec quicquam mittere possum,
Et tamen haud vacuus conveniendus eras.
Sed quod habet tenui prognatum carmine Musa,
Fructibus e nostris munera parva damus.
Excipe pacato, vir praestantissime, vultu,
10 Et nostrum timidae dirige navis iter.
Fac placeant regi, per te sit digna laboris
Merces, de famulo sit tibi cura tuo.
Si mihi te placidum dederis, res acta laborum
In precio est, nec me crimina dira necant.
15 Nil dubito, facies: nec erit cur ista recuses,
Causa haec iustitiae est imperiumque Dei.
Adde, quod et mundus studium contemnit honestum,
Et doctos taxat mobilitate sua.
Impius hic censor nulla ratione refelli,
20 Nec dolor hic, poterit, quo minuatur, erit.
Ni sit cum doctis vera excellentia rebus,
Sustentetque animos, quae patiēre, tuos.
Excitat hinc Dominus quosdam, qui rite fatentur,
Artibus ingenuis nil magis esse boni.
25 Inter quos merito numerum cum principe iusto
Imples, sis felix incolumisque: Vale.

3/2 Divae Isabellae reginae et filio eius serenissimo,
Iohanni Sigismundo electo regi Ungariae, Dalmatiae,
Croatiae etc.

Si quid habet laudis tenui describere versu
Facta ducum, si quid, quod mereatur, habet
Ingenii virtus, digna celebrare camoena
Si confert, merito nunc retulisse decet:

5 nec quicquam A necquicquam

12 cura A curat

26 sis A sic / incolumisque A in collummisque

5 Cum nova progenies terris faustissima nostris,
 Numine divino conciliata redit.
 Vos igitur, nymphae, vaga circum flumina Sami
 Et Iovis omne genus quod tenet astra poli:
 10 Este mihi faciles, et certo tramite carmen
 In regis nutum ducite quaeso pii.
 Fallor, an incipient mecum nova carmina regis
 Musae de tenui stamina nere colo.
 Accelerant etenim, quos inter summus Apollo
 Congaudens breviter talia verba refert.
 15 Nil temere rerum genitor, qui cuncta gubernat,
 Protulit, at metas actio quaeque tenet.
 Ordine sic homines certo sociavit in unum,
 Legibus astrictos ut velit esse suis.
 Divina haec pietas cunctis venerabilis esto,
 20 Praesentemque Deum quilibet esse sciat.
 Heroasque viros divino numine natos
 Cognoscant Domini muneris esse loco.
 Aspicias iuvenem, cernes, hoc fata rependunt,
 Naturae sequitur semina namque suae.
 25 Sive igitur vultum spectes, seu dona parentum,
 Est omen regis forma venusta tui.
 Nil est perversi, nil corporis ipsa figura
 Diversum monstrat, si sapis, ipse vides.
 Cynthius ut superat rutilo reliqua astra colore,
 30 Irradiat quando subdita regna sibi:
 Sic iuvenem videas iuvenumque senumque caterva
 Stipatum cunctos exuperasse viros.
 Nec quicquam restat, meritas quam solvere grates,
 Magnanimoque duci pangere dulce μέλος.
 35 Vive diu, felix regum clarissima proles,
 Te dedit et nutu dirigit ipse Deus.
 Non tabulae, quondam quas doctus pinxit Apelles,
 Effigiem talem proposuisse queant.
 Eximiam hanc laudem multis virtutibus aequat,
 40 Dum retinet mentis commoda magna suae.
 Nam servire Deo satagit, dehinc proxima cura:
 Ut charam matrem cum pietate colat.
 Exemplar quae illi vitae morumque decorum
 Insigni praestat laude pudicitiae.
 45 Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes
 Expetit, ut doctis doctior ipse siet.

38 proposuisse A praeposuisse

45 Adde A Addie

11 Fallor an — cf. Val. Fl. VIII, 351—352; Ov. Fast. II, 853

45 Adde quod — Ov. Epist. ex P. II, 9,47

Praeficit hinc, doceant qui dogmata digna, magistros,
 Moribus excellant et pietate bonis.
 Omnis et huc tendit labor et pia cura docentum,
 50 Indolis eximiae ne minuatur honos.
 Inde suum genitrix prudens et sobria verbis
 Compellat natum sic pietate gravi:
 Fide Deo, melius spera, sudore paratur
 Ardua quae praeceps gloria carpit iter.
 55 Quisquis ad eximios tentas conscendere honores,
 Proponas animo multa ferenda tuo.
 Si pateris poenam, violes non debita vitae,
 Ut possit magnis crimen abesse malis.
 60 Discas iustitiam monitus nec temnere Christum,
 Ut felix regnes in ditione tua.
 Non periura fides maneat, nec crimina mortis
 Perpetrasse queat, qui tuus esse velit.
 Caetera quid recitem, per se cursurus ad astra
 Officii faciet iussa verenda sui.
 65 Adde, quod exemplum tibi vita paterna relictā est,
 Cui te sollicite pervigilare scio.
 Filius inquit: Ego tua, mater, iussa capessam,
 Utilius nihil his, ut reor, esse potest.
 70 Sed quid, ait, video mulierem in tegmine pullo
 Ad nos tam querulos ore referre sonos.
 Heu quam squallet, et est tristis despectaque multis,
 Corpore dissecto morbida tota venit.
 Vix tegitur, nec habet requiem, sua languida foedo
 75 Membra tumore scatent, verberibusque rigent.
 Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis
 Et male peccatis advigilare bonis.
 Quare age suspendas lachrimas, tua damna levabo,
 Quove modo repares, quae periēre, dabo.
 80 Nil aliud restat, quam quod tua vota recensens
 A me solamen praesidiumque feras.
 Percita promissis lachrimans hinc talia fatur,
 Demisso vultu quae voluisse cupit:
 Da veniam, princeps, res est nunc ardua, quae me
 Impellit, supplex quod tibi facta loquor.

60 in ditione A inditione

72 Corpore dissecto A Corporedissecto

73 languida A laguida

76 peccatis A paccatis

54 Ardua quae — Ov. Trist. IV, 3,74,

57–58 Si pateris — Ov. Fast. I, 483–484

59 Discas iustitiam — Verg. Aen. VI, 620

75–76 Regia res est — Ov. Epist. ex P. II, 9,11–12

85 Nuncia sum caelo tibi patris iussa referre
 Aeterni, solus quis regit astra poli.
 Quem penes est unum caeli custodia magni,
 Et quidquid mundi machina vasta tenet.
 90 Huius et auspicio reges dominantur in orbe,
 Et pacem miserum cum duce vulgus habet.
 Erigit infirmos, tumidos confundere novit,
 Hunc sciat ut Dominum quilibet esse suum.
 Sit licet exiguus, qui totus pendet ab illo,
 Nil minus hunc semper copia dives alit.
 95 Econtra quotquot mandata subire recusant,
 Et fastu cordis noxia quaeque parant,
 Hos tenues veluti paleas dispergit et omne,
 Quod faciunt, rapido turbine vertit opus.
 Non igitur parcit magnis, regesque potentes
 100 Ferre potest, hunc ni religione colant.
 Si cupis, imperium seros ut duret in annos,
 Stetque tuus firmo fultus honore thronus:
 Fac tua Christicolum servet custodia caetum,
 Laetus ut hic possit dogma sonare Dei.
 105 Huius quae facies primaeva ab origine mundi
 Extiterit, merito te meminisse decet.
 Semper enim tituli nocuere et opinio falsa,
 Quam pharisaeorum turba scelestas rapit.
 Haec eadem viguit persuasio tempore Christi,
 110 Dum quaerit, de se plebs quid in ore gerat.
 Respondent alii Eliam divumque Iohannem,
 Aut unum ex numero, qui cecinere Deum.
 Doctius at Petrus loquitur pro nomine turbae,
 (Divino siquidem numine plenus erat):
 115 Esse Deum Christum, patrisque essentia cui sit
 Communis, sine quo vivere nemo potest.
 Cum Petro haec eadem qui fida voce fatetur,
 Is membrum Christi se sciat esse gregis.
 Sum tristis, laceramque gero pro tegmine vestem,
 120 In me, vah, periit, qui fuit ante, vigor.
 In causa est hominum rabies, qui tramite recto
 Neglecto veniunt, et sua sensa docent.
 Sic mihi detraxit vestem titulumque perennem
 Immerito Latii curia lata papae.
 125 Quae sua pro Christi divendit somnia verbo,
 Ante Deum meritis vultque placere suis.

85 Nuncia A Nunctia
 107 enim A *abbr.*
 109 eadem A eaden

85 Nuncia sum — cf. Liv. I, 16,7
 110 Dum quaerit — Matth 16,13—16; Marc 7,27—29; Luc 9,18—20

Non hic chrisma iuvat, non purgatorius ignis,
 Missa nec, illicitas qua parit augur opes.
 Filius ast patri persolvit debita λύτρα,
 130 Solius est Christi reddita morte salus.
 Christus et est medium solus patre conciliato,
 Qui facit, ut proprium diligat autor opus.
 Hic nos defendit, turpi ne labe notatos
 Ad tristem poenam demon iniquus agat.
 135 Recta fides Christum genitum de patre fatetur,
 Et quod natura placet utraque patrem.
 Hanc violant normam, quotquot sunt Nestoriani,
 Proque Dei verbo somnia vana docent.
 Nam dicunt hominis Christum sub imagine tantum
 140 Ante Deum nostras ducere velle preces.
 Non haec est basis, nam maximus iste sacerdos
 Divisum officium non mediantis habet.
 Ut Deus est et homo persona, ita munera recte
 Hic peragit, summi debita pontificis.
 145 Heu quoque dilacerant vestem, maculantque nefande,
 In coena Domini qui nisi signa docent.
 Est panis corpus, sed tantum in imagine, namque
 In coena verum corpus adesse nequit.
 Talia qui spargit, Christum negat omnipotentem,
 150 Et ratione sua mystica dona petit.
 Tot variae fraudes hominum per mille pericla
 Me raptam penitus commaculasse vides,
 Et me nudatam regno extirpare laborant,
 Ut nullus maneat religionis honos.
 155 Si sapis, advigila, sine me nec regna manebunt,
 Nec pax est populis ulla futura tuis.
 Idcirco Deus et pacem pacisque ministros
 Ordinat, et servat vindice saepe manu.
 Ut sit in istorum tranquilla ecclesia portis,
 160 Emeritusque Deo concilietur honos.
 Nec secus, ut sese verbo patefecit, adoret,
 Mens hominis summum concelebretque Deum.
 Cura quidem gravis est populos compescere duos
 Legibus, et quid sit quenque monere pium:
 165 Sed multo maior laus est defendere coetum,
 Quem genuit fuso sanguine Christus homo.
 Quare age, si regnum felix populumque benignum
 Expetis et Domino propiciante frui:
 Collige per doctos, quae sit sententia veri,
 170 Et synodum statuas accelerante die.
 Hoc cupit ipse Deus simul anxia vota tuorum,
 Qui pro te rogitant sollicitantque Deum.
 Augeat imperium, nostri ducis augeat annos,
 Conservet nostros omnipotensque lares.

3/3 Psalmus LXXIX.

Deus, venerunt gentes etc. — continens
precationem contra persecutores ecclesiae

O Deus, horribili tua cessit regia genti,
Quae vehit in templum verba prophana tuum.
Praebuit innumeras strages et membra tuorum
5 Servorum obscaenis dilanianda feris.
Manat, ut unda, cruor Solymae prope moenia fusus,
Nec, qui telluri corpora mandat, adest.
In nos vicini, quibus undique cingimur, hostes
Ore venenato plurima probra vomunt.
10 Tu ne, Deus, longo irascaris tempore nobis!
An tuus ardescens zelus, ut ignis, erit?
Quin magis effrenes, Deus, hac ira obrue gentes,
Quae spoliant digno nomen honore tuum.
Nam loca, quae coluit templis uberrima Iacob,
15 Illa peregrinis accola bobus arat.
Immemor antiqui sceleris iam iam morientes
Praeveni innata nos bonitate tua.
Adfer opem nobis, Deus, o spes una salutis,
Clarius ut nomen fiat in orbe tuum.
20 Ne forte elati dicant in gentibus hostes:
Illius hoc populi tempore numen ubi est?
Fac in eos, quibus incapta est, vindicta redundet,
Ut totidem ex ipsis corpora caesa cadant.
Victorum exaudi gemitus planctusque sonoros,
25 Erige, qui nullum in pectore robur habent.
Reddeque vicinis maiora incommoda nostris,
Quam quibus afficiunt teque tuumque gregem.
Nos, pater omnipotens, tibi grates semper agemus,
Qui sumus imbellis pars gregis una tui.

4. (Dedicatio Paulo Kertzio)

¹ Doctissimo ac nobilissimo Medicinae Doctori d(omino) Paulo Kertzio olim
condiscipulo, amico veteri atque carissimo

C(hristianus) S(chesaeus) M(ediensis)
dono misit.

7 vicini A vicini
21 redundet A redundat

5. Compendium
historiae rerum Ungaricarum interprete
Teucrio Annaeo Privato C. ex Germanico
in Latinum

- ¹ Pannonia, quae hodie Hungaria dicitur, a variis olim nationibus culta fuit.
- ² Anno post diluvium 155 Bannon, Iapetho Nohae filio prognatus, primus in his terris regnum sibi constituit, a quo Pannoniae nomen inditum quidam arbitrantur. Sunt tamen, (qui) a Pannonio monte, vulgo S(ancti) Martini titulo, illud deducant. Hungaria ad annos 500 sub Romanis fuit, nec desunt imperatores, qui Natales suos huc referant, utpote Aurelianus, Maximianus, Probus, Diocletianus, Iovianus, Valentinianus, Valens et Gratianus.
- ³ Tyberius Romanorum imperator III. imperante adhuc Octaviano Augusto, circa tempora nativitatis dominicae Austriam, Stiriam, lacum Peisonium Balathoniumque cum Schumate sub Romanorum imperium redegit.
- ⁴ Claudius Romanorum imperator V. Pannoniam Superiorem a Posonio ultra Colozam usque devicit.
- ⁵ Traianus Daciam subiugavit.
Legio quarta Germanica per Schuttam insulam castra metata fuit, ut Quados a finibus istis arceret. Fodinae metallicaef defecerunt a Romanis imperatoribus sub Aureliano et Valentiniano.
- ⁶ Pannonia Inferior tenore Martiani defecit.
Pannonia Sup(erior), quae Austriae vicina est, tempore Iustiniani se Attilae regi adiunxit, Cymerii enim Gallograeci, Pannonii, Galli, Sarmatae, Windi, Hunni, Gothi, Suevi, Avari sive Abiri et Bulgari successive has terras invadentes incoluerunt.
- ⁷ Hungariae nomen ab Hunnis deduci putant. Hunni enim anno Christi 373 Scythiam Asiae, patriam suam propter soli sterilitatem et hominum multitudinem deserentes Pannoniam temporibus Valentiniani et Valentis ingressi sunt, et plures eorum quam decies centena millia simul cum uxoribus, liberis, armentis et suppellectile, capti amaenitate et fertilitate loci sedes ibi fixerunt.
- ⁸ Anno 401. Cum Arcadius imp(erator) Romae esset, Hunni duce suo et praefecto belli Kewa cruentum bellum contra Macrinum, cui Romani eam provinciam commiserant, susceperunt. Macrinum ipsum simulque Thetricum, qui Macrino suppetias tulerat, cum multis Italorum millibus trucidarunt. Hunnorum quadraginta millia eo bello occubuerunt, amissis insuper principibus suis Bela, Keve et Kadicha.

2 marg. Anno diluvii 155; Sambuci appendix / Maximianus V Maximinus

3 Octaviano V Octavio

5 marg. Schutta insula; Hungaria defecit a Romanis

6 marg. Variae nationes incolunt Ungariam / Martiani V Mariani

7 marg. Wolf. Latzio, Abrah. Babsc; anno 373

8 marg. Anno 401 / Keve et Kadicha V Keme et Kadictia

2 Bannon — v. Sambucus app. p. 837

7 Hungariae nomen — v. Lazius p. D6r; Bakschay p. 901

8 Kewa — v. Sambucus app. p. 829

- ⁹ Anno 428 Attila(m) primum Ungariae regem elegerunt, is Germaniae, Italiae aliisque nationibus infinita pene vulnera inflixit.
- ¹⁰ Attila autem morte sublato Hunni inter se divisi sunt, ut scribit Iordnandes et Waidmarus, et occupantes planiciem eam, quae inter Budam est et Weissenburgum, et hic dominabantur.
- ¹¹ An(no) 805 Carolus Magnus Hunnos per Pannoniam funditus delevit, et ut sibi in futurum caveret, Arnoldum consanguineum suum, qui postea imperator factus est, Austriae principem constituit. Vladislao vero inferioris Moraviae principi Pannoniam inferiorem regendam tradi(di)t. Vladislaus Presburgum ex rudibus oppidi cuiusdam Romani iam olim diruti ac ovilis speciem solummodo repraesentantis erexit, eamque Posonium dixit.
- ¹² Alii quoque affirmant, eos, qui hodie feruntur Hungari, ab illo Hunnorum genere propagari, quod anno Christi 899 vel 900 quarta vice Pannoniam invasit. Tunc enim Hunni imperante Arnolpho Schytiam egredientes coniunxerunt se cum reliquis conterraneorum suorum, qui ex prioribus remanserant.
- ¹³ Ungaria a septentrione Moraviam et Poloniam habet, in quorum confinio montes sunt praealti, quorum nomina haec sunt: der Vatter, der Münch, der Wurtzgrund, der Schneeberg, ac si dicas: Pater, Monachus, Vallis aromatum, mons nivium etc., qui auri, argenti atque cupri hodie etiam venas habent, sicuti videre est Cremnitii, Schemnitii etc. et in reliquis locis, quae in tabula nostra chorographica malleo insignita sunt. Fines hos promiscue Germani, Windi et Ungari habitant. Ab ortu habet Ungaria Transylvanos sibi vicinos, a meridie Rasciam et Bosniam; ab occasu Austriam.
- ¹⁴ Tres omnino ordines in Ungaria: ecclesiasticorum, nobilium, qui milites sub se habent et rusticorum.
- ¹⁵ Regio aërem habet temperatum, vinum generosum, frumentum, pecora, pisces, aedificia splendida et quaecunque tum vitae sustentandae, tum recreandae usui esse possunt, adeo ut teste Bonfinio omnes alias regiones, quotquot sub coelo sunt, iure suo excellat.
- ¹⁶ Ungaria habuit ab anno Christi 969 vel secundum alios 990 ad annum usque praesentem 1595, quo invictissimus imperator Rodolphus II. rerum potitur, reges Christianos quadraginta, quorum nomina et res gestas ordine perstringemus.
- ¹⁷ Politica administratio regni huius post regiam maiestatem est penes comitem palatinum, qui proximus est a rege, et olim potestatem habuit regem ipsum regno exuendi, si minus is regiam suam maiestatem tueretur. Dignitas ea non est haereditaria in sobolem, sed liberae electionis.

9 marg. Anno 428

10 marg. Latzio

11 marg. Anno 805; Posonium conditum

12 marg. Anno 900

13 marg. Latzio. Confinia Ungariae / Cremnitii, Schemnitii V Chemnitii, Shemnitii / Fines hos V Finis eos

14 marg. Ordines Ungariae

15 marg. Laus Ungariae

16 marg. 40 reges Ungariae Christiani

17 marg. Wolf. Latzio; palatinus

15 teste Bonfinio — ubi?

- ¹⁸ Iudex curiae sequitur proxime palatinum. Cancellarii duo sunt: alter, cuius dignitas haereditaria est, quam archiepiscopus Strigoniensis per successionem sibi acquirit; alterum rex pro suo natu constituit.
Hos sequitur magister curiae.
Quinta dignitas ea est, quam magister Thaverni(c)orum regalium obit.
Sequitur magistratus: vice-palatinus; vice-iudex curiae, qui est iudex personalis praesentiae.
Protonotarii tantum tres. Praeter hos sunt in aula regia: magister aerarii, camera-rius, magister equorum sive stabuli, magister pincernarum.
- ¹⁹ Verum cum regnum ipsum late pateat, molestissimum foret subditis, si curiam regiam adeo ex longinquo sequi cogentur; proinde per universum regnum specia- lia quaedam iudicia constituta sunt, ea Ungari comitatus, Germani conventus vocant; talis est:
I. comitatus Musnensis, cui nomen est a villa Muzon, paulo infra Owarum sita.
II. comitatus Sopronensis, alias Iaurinensis ad Danubium ab Iaurino oppido, quod Araba flumen praeterlabens, cum Danubio illic commiscet.
- ²⁰ Paulo ulterius versus Danubium est Posonium, insigni episcopatu nobile, quod urbanus praefectus aerarii, apud regem Matthiam magnificis aedificiis exornavit. Non procul ab Iauro assurgit mons Pannonius, qui templo augustissimo S(ancto) Martino consecrato celebratur. Idem mons regioni nomen fecisse a plerisque existi- matur.
- ²¹ III. comitatus Castri-ferrei.
IV. comitatus Zaladiensis, ultra lacum Balathonem. Est aut cis lacum, si no- stram plagam respicias (si quidem Bonfinius, qui horum autor est, Budae historiam suam conscripsit, qua ratione multi geographorum falluntur in Thihan; locum illi ultra lacum assignantes, cum sit secundum Bonfinium in nostris partibus). Lacu ipso fere circumquaque includitur Thihan chersonesus, quae ex piscium abundantia, ex aere[s] salubri et temperata constitutione temploque magnificentis- simo Andreae regis sumptibus olim extructo, eiusdemque regis sepultura admo- dum celebratur.
- ²² V. comitatus Vesprinensis nomen suum a Vesprino civitate adeptus, quam olim German(i) ab albis fontibus ita dixerunt.
VI. comitatus Albensis illi proximus est, cui Alba regalis nomen fecit, ea urbs plane in uligine et loco palustri sita hostibus difficilem admodum accessum praebet. Templum S(ancti) Stephani primi Ungariae regis visitur ibi splendidissimum. Huius loci episcopus ex regis Stephani indulgentia maximis privilegiis gaudet, nec enim nisi Papam superiorem agnoscit, nec subditi decimas suas praeter summi templi capitularibus ulli exolvunt.
- ²³ VII. comitatus Collocziensis nomen ab archiepiscopali civitate Collocza inventit.

¹⁸ tantum V tantem

¹⁹ marg. Iaurinum

²⁰ marg. Posonium instauratum; Pannonius mons S. Martini alias

²¹ marg. Bonf. lib. I. Decad. I; Thihan cis lacum Balathonem

²² marg. Vesprinum; Alba regalis; Sepultura regu(m) Ungariae

²³ marg. Collocza / Collocziensis V Collocziensis

²² ab albis fontibus — v. Bonf. I, 1,358

VIII. comitatus Pilissiensis vergit ad Danubium, huius territorium totum montosum est vini feracissimum, licet idipsum propter Thermas propemodum sulphur oleat, ebrietatemque facile inducat.

- ²⁴ Eo in loco ad utramque Danubii ripam conspicitur utraque Buda, Nova videlicet et Vetus a Budinis antiquissimis Scytharum populis extracta, eadem quondam Si-cambria dicebatur. Quando sub rege Matthia fundamenta arcis reginae Beatricis po-nerentur, effossum fuit saxum pluribus characteribus descriptum, eius rei indicium.

- ²⁵ Vicegradum arx regia, quae olim et civitas et sedes fuit regia, tribus a Buda mili-ari-bus sita, Matthiae regis sumptibus a fundamento restaurata est. In eodem con-ventu Sabaria est S(ancti) Martini patria, urbs omnium antiquissima, quae Sam-bathe vulgo nuncupatur.

- ²⁶ IX. comitatus Strigoniensis a Strigonio metropoli Ungariae dictus. Urbs ea duo templa summa includit magnificentissima, quorum alterum archiepiscopatum habet, a rege Stephano in loco editissimo, prope arcem extractum; alterum in civitatis plano situm fundavit Bela IV. rex Ungariae.

- ²⁷ X. comitatus Tholnensis ad Danubium, ibi sunt tres abbatae, villis undiquaque quam pluribus circumdatae.

XI. Komariensis comitatus nomen a Romana Scytharum urbe sortitur, ea in insula Scutta conspicitur, quam Danubius utrinque alluit. In hoc conventu Thata, quae Dotis appellatur. Ibidem regia arx tanto cum apparatu prominet, ut non immerito quibuscunque aliis principum castris et palatiis praeferenda sit.

- ²⁸ Eam ab una parte ambit lacus 7000 passibus patens, lucii et cyprinis foecun-dissimus. Arx ipsa novem intra se molas frumentarias complectitur. In vestibulo arcis exigua quaedam area est, quae circumquaque hypocausta et cubilia tota deaurata ostentat. Lacunar seu contignatio summa puro auro incrustata et emble-mate vermiculato tessellatoque opere mire exornata est. Ab utroque arcis latere singula sunt summa templa, singulae villae satis conspicuae; praeterea eam silvae cingunt amoenissimae et feris abundantes. Nec procul a Danubio vestigia quaedam Romanarum legionum etiamnum apparent; ab altera parte fossas habet bis cin-gentes, ex solido saxo excisas, ad quas altissima propugnacula surgunt.

- ³⁰ Atque haec dixisse de iis, quae cis Danubium sunt, hoc loco sufficiat.

XII. Poseniensis comitatus nomen a Posonio habet.

XIII. Nitriensis ab episcopali civitate Nitria.

XIV. Turocensis, ferrum gignit in copia.

XV. Comitatus Scepusiensis Polonos maxime vicinos habet.

- ³¹ Post hosce numerantur:

XVI. Liptoviensis

23 totum V totam / inducat V iuducat

24 extracta V extracta

25 *arg.* Vicegradum; Sabaria S. Martini patria

26 *arg.* Duo summa templa Strigonii

27 *arg.* Thata Dotis arx munitissima / Komariensis V Kemariensis

29 singula V singulae

30 Poseniensis V Poloniensis / Scepusiensis V Scepulensis

31 Liptoviensis V Ziptoniensis

23 propter Thermas — v. Bonf. I, 1,361

24 utraque Buda — v. Bonf. I, 1,362—367

27 Thata, quae — v. Bonf. I, 1,383

28 In vestibulo — v. Bonf. IV, 7,115—118

- XVII. Novisoliensis
- XVIII. Thornensis
- XIX. Hontensis
- XX. Novigradiensis
- XXI. Pesthiensis

³² Ecclesiastica administratio:

Ecclesiastica administratio per Ungariam antehac fuit penes duos archiepiscopos, quorum alter Strigonium, alter Colloczam habitat.

Strigoniensis legatus fuit apostolicus et primarius regni. Is tanquam summus regni cancellarius magnum regis sigillum custodit; sub eodem sunt XI. alii episcopatatus, quos omnes Turca occupavit, exceptis Nitriensi et Agriensi.

³³ Sunt autem:

- | | |
|--------------|------------------|
| Iauriensis | Sirmiensis |
| Vesprinensis | Q. Ecclesiensis |
| Agriensis | Zagrabiensis |
| Nitriensis | Transylvaniensis |
| Vaciensis | Bosnensis |
| Chonadiensis | |

³⁴ Gaysa rex Ungariae

Gaysa sive Geyse pater S(ancti) Stephani regis Ungariae, primus regum Christi fidem professus, baptizatus fuit ab Adalberto episcopo Pragensi.

Anno Christi 909 vel secundum Abrahamum Babsca anno 969 nascitur Stephanus, qui tandem canonizatus fuit, baptizatur per dictum episcopum Pragensem.

³⁵ Circa eadem tempora Theodatus princeps Apuliae, quem rex Geysa profugum in aula sua alebat, quique Stephanum infantem ex sacro baptismatis fonte suscepserat, coenobium, quod cum adiuncto pago extruxit, nomen fundatoris sui Italice Thata obtinuit, nostro autem seculo appellatione Dotis innotuit.

³⁶ I. rex Ungariae

Anno 954 vel secundum alios 1006 d(ivi)sus imperator Henricus sororem suam Gisellam regi Stephano in matrimonium locavit. Post haec universa Ungaria ad Christum conversa est. Rex ipse sancte vivebat, summum templum in monte Strigoniensi condebat, illudque liberaliter dotabat. Adhaec S(ancti) Martini coenobium in altissimo monte locabat; templum item summum in Alba regali, sepulturam regum compluresque alias foundationes, plane regia munificentia fieri curabat. Obiit anno 1038, sepultus Strigonii in summo templo.

31 Novisoliensis V Novizdiensis / Thornensis V Hornensis / Hontensis V Honensis

33 Q. Ecclesiensis V S. Ecclesiensis

34 *arg.* Gaysa, S. Stephani pater, primus rex Christianus; Anno 909 / Gaysa V Gaysca

35 *arg.* Dotis condita

36 *arg.* S. Stephanus primus rex Christianus Ungariae; Obiit anno 1038 / Gisellam V Giselam

34 secundum Babsca — (rec.) Bakschay p. 903

35 Theodatus princeps — v. Bonf. II, 1,35—36

II. rex

Petrus Stephani ex sorore nepos in regno suffectus est, sed propter tyrannidem inde eiicitur, cui Abba successit.

III. rex

Abba triennium ad regni gubernacula sedit, sed cum maiorem quam antecessor tyrannidem exercebat, Petrus Abba expulso restituebatur. Illo rerum potente Ungaria paulatim a fide Christiana deficiebat. Regnavit autem Petrus annos quinque, menses sex; Abba vero annos tres, moritur anno 1047.

IV. rex

Andreas regi Stephano iunctus sanguine Christianismum restituit, filios habuit Salomonem et Davidem. Salomonem in regem coronari fecit, cum quinquennis esset, propterea, quod cum Bella fratre de regno dimicare cogeretur. Occiditur anno 1062. Sepelitur in Thihan in S(ancti) Aniani coenobio, quod ipse ad lacum Balathonem condiderat anno 1059.

V. rex

Bela regis Andreae a se bello devicti frater aegre ferebat Salomonem in regem coronatum, tres enim habebat filios: Geiczam, Ladislaum, postea reges et ipsos, et Lampertum. Hic monetam argenteam primus cudi fecit: pondera et mensuras esse iussit, et mercibus quibuscunque suum precium indicavit. Egregium illud coenobium in Zeuukzardo condidit, in quo sepultus fuit. Dicitur Bela hic, dum arma in fratrem moveret, caesarem Henricum fratri eius auxiliares copias adducen-tem, in montibus, quos Vertentes seu Verthises vocant, adeo obsedis- se et ad tantam rerum omnium inopiam compulisse, ut caesar ipse castra deserere, scuta praeicere et terga vertere coact(us) fuerit. Unde montibus id nominis postea inhaesit. Obiit anno 1065, sepelitur loco, quo dictum fuit supra.

VI. rex

Salomon regis Andreae filius in regno quidem successit, verum a fratris sui defuncti filiis Geicza et Ladislao inde expellitur anno 1077. Eremita ergo factus obiit Polae in Istria, ubi eius sepulcrum apparet.

VII. rex

Geicza regis Belae filius natu maximus, duos habuit filios: Colomannum, postea regem factum, et Almun. Huius temporibus ingens fuit fames per Ungariam. Obiit anno 1080. Sepelitur Vaciae, cuius ipse fundator fuit.

VIII. rex

Ladislaus Geiczae regis frater, quem Ungari propter vitae innocentiam sanctum appellaverunt, rex eligitur, superstitē Salomone rege expulso. Hic Dalmatiam et

37 *marg.* Petrus obiit anno 1047

39 *marg.* anno 1062; Thihan extructum anno 1059 / Aniani V Amiani

40 *marg.* Obiit anno 1065 / Vertentes seu Verthises V vertentes seu verthises

41 *marg.* Obiit anno 1077 / verum V rerum

42 *marg.* Obiit anno 1080; Vacien-sis episcopatus

43 *marg.* Dalmatia et Croatia Ungariae adiicitur; Obiit 1095

Croatiam Ungariae adiecit. Cum Scythis crebre bella gessit. Obiit absque haeredibus anno 1095.

44

IX. rex

Colomannus regis Geiczae filius, is secundum quorundam opinionem antea episcopus Warasdinus fuit, et hinc dispensatione facta regnum obtinuit. Ungari hoc regnante graves et plurimas molestias pertulerunt, multorum enim malorum et magnae tyrannidis autor fuit. Fratrem suum, ducem Almun et filium Almi, Belam oculis privavit. Almun insuper ipsum in templo occidi iussit. Duos habuit filios Ladislaum et Stephanum, postea regem factum. Male vixit, male periit. Anno 1114 sepelitur Albae regali.

45

X. rex

Stephanus II. Colomanni regis filius adolescens admodum regnum occupavit, subditi eum cognomento Radium seu fulgurationem dixerunt, quod omnia coeco et concitato animi impetu perageret. Is cum nullam sobolem ex coniuge speraret, nec vitae suae terminum longius abesse praesentiret, monachus factus obiit anno 1131.

46

XI. rex

Bela II. Caecus dictus, Almi, qui frater Colomanni regis fuit, filius, quem excoecari Colomannus fecerat, prudenter regni administrationem obivit. Quatuor filios generavit: Geiczam, Ladislaum, Stephanum, qui tres postea in regno successerunt, et Almun. Borichum regis Colomanni spurium dimicantem armata manu in fugam vertit, pie decessit anno 1141, sepelitur Albae regali.

47

XII. rex

Geicza II. defuncti regis Belae filius natu maximus, adolescens pius repressit armis Saxones, Austriacos et Bavaros Poseniam tum occupantes Ungariamque depopulantes. Hoc regnante Posenia a Germanis fuit habitata. Is regnum suum compluribus, iisque magnificentissimis templorum aedificiis instruxit. Quatuor filios reliquit, Stephanum, Belam, ambos postea reges, Arpad et Geiczam. Obiit anno 1161, sepelitur Albae regali.

48

XIII. rex

Stephanus III. Geiczae regis secundus filius, arma contra Venetos in Dalmatia, contra Emanuele etiam Graecorum imperatorem et contra sanguine sibi iunctos Ladislaum et Stephanum diversis temporibus tulit. A consanguineis suis profligatus obiit absque sobole anno 1173, sepelitur Strigonii.

49

XIV. rex

Ladislaus II. Belae coeci filius, sex menses regnavit, Stephano rege profugo adhuc superstite.

44 *marg.* Colomannus fratrem et ex eo nepotem oculis orbatos reddit; Obiit 1114 / Belam V Balam

46 *marg.* Obiit 1141 / quem V quam

47 *marg.* Bavari Poseniam occupant; Obiit 1161

48 *marg.* Obiit anno 1173

50

XV. rex

Stephanus IV. Ladislai regis frater, menses quinque regnavit. Victus autem a Stephano III. ambo eodem anno simul vita excesserunt.

51

XVI. rex

Bela III. regis Stephani III. frater, regis Geiczae II. filius Ungariam a latrociniiis perpurpavit. Duos habuit filios: Emericum et Andream. Obiit anno 1196. Albae regali ubi quoque sepelitur.

52

XVII. rex

Emericus regis Belae III. filius, patrem statim morte secutus unicum filium Ladislaum reliquit, sepelitur Agriae.

53

XVIII. rex

Ladislaus III. Emerici filius sex tantum menses regnum possedit.

54

XIX. rex

Andreas II. regis Belae III. filius, regis Emerici frater, quatuor liberos suscepit ex coniuge sua Gertruda: Belam, Colomannum, Andream et filiam S(anctam) Elisabetham. Rex ipse in terram sanctam expeditionem suscepit, et feliciter cum sultano Babylo[n]iensi manus conseruit, ob quod factum Hierosolomytani cognomen reportavit. Antequam vero hanc expeditionem adornaret, Gertruda regina lethaliter per Banchianum palatinum seu vice-regem Ungariae vulnerata[e] fuit. Causa fuit, quod coniugem palatini fratri suo, (qui) ex Germania tum advenerat, regina ipsa ad libidinem eius nefarie explendam adduxerat. Rex post expeditionem reversus palatini Estensis filiam secundo sibi matrimonio copulat, ex qua suscepit Stephanum, patrem Andreae Veneti, qui postea in regnum suffectus fuit. Nobilitatem Ungariae multis privilegiis et immunitatibus decoravit, fruique iisdem fecit. Obiit anno 1235.

57

XX. rex

Bela IV. regis Andreae II. filius. Hoc regnante quinquies centena millia Scytharum totam Rusciam et Podoliam devastarunt. Inde Ungariam ingressi aliquoties Pestham adorti sunt. Rex ipse Bela ex improvise in castris deprehensus habitu servili vix evasit. Ceciderunt autem tunc viri primarii complures, inter quos fuerunt archiepiscopus Strigoniensis, archiepiscopus Collocziensis, episcopus Nitriensis etc. Scythae dehinc Danubium etiam traicientes Strigonium expugnarunt, in quo utriusque sexus et aetatis homines crudeliter trucidarunt. Triennio elapso furiosi isti et rabidi praedones repentem Maeoticam paludem in patriam redierunt, et Mahometis traditiones post haec amplexi sunt. Bela rex Ungariae ope et auxilio equitum Rhodiorum regno restitutus. Obiit anno 1275, sepelitur Strigonii apud Franciscanos.

51 *marg.* Obiit 1196

54 *marg.* Andreas Hierosolomytanus

55 *marg.* Gertruda lethaliter vulnerata / Antequam V Antequam

56 *marg.* Marquis filia natu maxima; Obiit anno 1235

57 *marg.* Scythae devastant Rusciam, Podoliam et Ungariam; Scythae Strigonium occupant

58 *marg.* Obiit anno 1275

59

XXI. rex

Stephanus V. regis Belae filius IV. secundo Marte bella gessit. Vicit regem Bohemiae Othocarum; regem item Bulgariae, adhaec universam Mysiam sibi tributariam fecit. Liberos reliquit Ladislaum et Mariam, quae Siciliae regi Carolo nupta, Carolum Martellum ex eo suscepit, qui filium Carolum procreavit, postea Ungariae regem factum. Stephanus obiit an<no> 1278, et sepultus est in insula Buda.

60

XXII. rex

Ladislaus IV. regis Stephani V. filius, dictus Kuunlazlo. Huius temporibus Scythae denuo Ungariam invaserunt, ferro et igne omnia Pestham usque misere devastantes. Biennio tandem elapso cum ingenti praeda ad fines suos reversi sunt. Rex hic a Cumanis morte truculenta interemptus periit anno 1291.

61

XXIII. rex

Andreas IV. Stephani, qui ex filio nepos erat regis Andreae II. ex cognomento Venetus. Hic Austriam sibi subiugavit, obiit Budae, ubi in aede S<ancti> Ioannis evangelistae sepelitur anno 1301. Illo mortuo pontifex Caroli Martelli filium optasset in regem Ungariae.

62

XXIV. rex

Wenceslaus ab Ungaris Ladislaus dictus, regis Bohemiae filius. Hic contra Carolum Martelli filium eligebatur, sed a patre suo tandem in Bohemiam revocatus fuit. Ungari enim discordes partim hunc ipsum, partim Carolum, partim etiam tertium quendam regem Othonem Bavariae ducem sequebantur, regno praefuit circiter annos sex.

63

XXV. rex

Otto dux Bavariae et hic ex quorundam gratia in regem coronabatur Albae regali. Regnum fere triennium obtinuit. Hunc Ladislaus wayvoda Iazygum, captivum duxit, spoliavit et regno eiecit.

64

XXVI. rex

Carolus Robertus sive Carolobertus, filius Caroli Martelli, quem Maria regis Stephani V. filia peperit, corona regia inauguratus est, anno 1310. Is vicit praelio Matthaeum comitem a Trentsin non procul a Cassovia. Late Ungariae fines protulit: Dalmatiam enim Croatiam, Serviam, Ladomeriam, Rusciam, Comaniam, Bulgariam et Bosniam possedit. Vixit in matrimonio cum sorore Casimiri regis Poloniae, ex qua Ludovicum genuit anno 1319. Rege Carolo cum regina et liberis suis in ipso Paschatis festo discumbente in arce Vicegradi, Felicianus nobilis

59 *arg.* Mysia tributaria; Obiit anno 1278

60 *arg.* Scythae denuo Ungariam invadunt; Trucidatur anno 1291

61 *arg.* Obiit anno 1301

62 *arg.* Tres reges Ungariae

63 *arg.* Anno 1310

64 *arg.* Dalmatia, Croatia, Servia, Bulgaria, Ruscia et Bosnia regno Ungariae adiecta / Trentsin V Tinschen / Serviam V Sertoiam

65 *arg.* Arx Vicegradum anno 1339

aulicus in regem stricto gladio irruit, ut vitam ei eriperet; ob quod facinus reus supplicio merito affectus fuit. Anno 1339 dux Rusciae Carolum regem Vicegradi inuisit.

- ⁶⁶ Anno 1340 Casimirus rex Poloniae affinem suum regem Carolum inuisit Vicegradi, et regnum Poloniae Ludovico, regis Caroli ex sorore ipsius filio, quod ipse sine prole esset, ultro detulit. Carol(us) obiit anno 1342, sepelitur Albae regali.

⁶⁷ XXVII. rex

Ludovicus regis Caroli filius, rex fuit Poloniae et Ungariae, filium quidem nullum, filias autem duas genuit. Alteram Mariam regi Bohemiae Sigismundo nuptam, qui propter eandem regnum Ungariae obtinuit; alteram Hedvigam reginam Poloniae. Ludovicus hic feliciter bella gessit, Iudaeos omnes ex Ungaria eiecit. Obiit anno 1382, sepelitur Albae regali in sacello, quod vivus sibi fieri curaverat.

⁶⁸ XXVIII. rex

- Maria filia regis Ludovici in locum patris successit, ac Sigismundo, regi Bohemiae, qui imperator tandem creatus fuit, nupsit. Verum cum Sigismundus admodum adhuc adolescens esset, ipsa regina cum matre Elisabetha regni administrationem interea obibat, quosdam imperii procures sibi iungens, quorum nutu omnia peragebat, quod Ungariae procures moleste ferentes accersebant regem Neapolitanum Carolum, eique coronam regni deferebant. Non multo autem tempore post Carolus sub specie colloqui cum mulieribus istis reginis instituti occiditur, Italis ex tota Ungaria profligatis. Et regina regnum recuperat, sed ecce dum comitata matre sua atque aulae magistro reliquisque aulicis in regno circumveheretur, capitur a Ioanne Croatiae praefecto, qui Caroli regis mortem ulcisci statuerat. Is ergo interfectorem Caroli obruncat. Reginam ipsam cum matre passis capillis trahens per solum raptat: matrem flumine immersam suffocat. Reginam autem carceri includit, atque gynaeceum eius scelerate prostituit; tandem ⁷⁰ tamen metuens sibi reginam liberam dimittit. Quae ubi domum reversa esset, regem et maritum suum Sigismundum ex Bohemia cum magno exercitu adventantem videt in Ungariam, nullo prohibente occupat, et coronatur anno aetatis suae XX. Quibus exactis expeditionem in Croatiam suscipit, praefectum obsidet, captumque capitali supplicio afficit, atque ad eum modum mors unius morte alterius expiata fuit.

⁷¹ XXIX. rex

Carolus II. cognomento minor, rex Neapolitanus, filius Andreae, qui frater erat Ludovici regis, eligitur in regem Ungariae, contra Sigismundum et Mariam, sed instinctu reginae Elisabethae per Blasium Forgat Budae in arce interfectus est, anno 1385.

⁶⁶ marg. 1340; Obiit 1342

⁶⁷ marg. Obiit 1382

⁶⁸ marg. Carolus, rex Neapolitanus occiditur / regis V rege

⁶⁹ marg. Mors Caroli vindicata; Elisabetha flumini immersa perit

⁷⁰ marg. Praefectus Croatiae supplicio afficitur / alterius V alteris

⁷¹ marg. Carolus obiit anno 1385

XXX. rex

Sigismundo Hungariae regnum a Maria, ut quae esset sine liberis, ultro relinquitur. Maria expiravit anno 1392. Sigismundus regnum occupat, et matrimonio sibi iungit comitissam Ciliae, ex qua unicam filiam Elisabetham suscepit, anno 1396. Turcarum imperator Bulgariam, quae ad Hungariae regnum pertinebat, armis occupat, cui Sigismundus rex cum exercitu obviam procedens partem eius provinciae, sed non nisi multo cum sanguine et aperto praelio recuperat, ceciderunt tum ad 20000 Christianorum, Turcarum autem ad 60000. Christiani tamen praelio victi sunt: rex ipse vix fuga sibi consuluit. Anno 1401 Ungari regem suum carceri incluserunt, qui liberatus postea regno restitutus est. Anno 1409 Sigismundus rex denuo a Turca superatur. Anno 1410 eligitur (in) Romanum imperatorem. Duas seditiones rusticanas diversis temporibus per Ungariam sopivit. Obiit anno 1437. aetatis anno 71. Sedit ad regni gubernacula in Hungaria simul cum coniuge annos quinquaginta et unum.

XXXI. rex

Albertus archidux Austriae uxorem duxit Elisabetham, unicam Sigismundi imperatoris filiam, quam ex comitissa Ciliae sustulerat, ex quo matrimonio regnum simul Bohemiae et Hungariae obtinuit, atque Romanorum imperator insuper eligitur. Duas sibi filias progenit: Elisabetham, quam Casimiro regi Poloniae cessit; et Annam, quam Wilhelmo duci Saxoniae nupsit anno 1438. Amurathes Turcarum imperator in Ungariam impressionem fecit, cui obviam procedens Albertus castra metatus est ultra Danubium supra Pestham. Imperator diarrhaea in castris correptus Budamque petens, festino gradu Viennam contendit. Sed in itinere in pago quodam non procul a Posonia Nesimel vitam finiit anno 1439. Ptolem quidem masculam nullam, coniugem tamen Elisabetham gravidam ex se reliquit. Quae cum volens Vladislao fratri regis Poloniae et duci tum Litvaniae desponsata esset, interea peperit Ladislaum filium et naturalem Hungariae haeredem. Quare ubi filium regem peperisset, iam non ulterius Vladislai matrimonium desiderabat. Unde magna dissidia orta et Hungariae regnum misere conquassatum fuit. Regina filium suum menses quatuor natum cum summa solennitate in regem Hungariae coronari curabat.

XXXII. rex

Vladislaus nihilominus Ungariam ingressus a quibusdam rex salutatur. Obsidet Strigonium ducto aggere ad montem S(ancti) Thomae. Urbem deditione capit. Regina assumpto filio suo confugit in Austriam ad tutorem eius Fridericum imperatorem, auferens simul sacram regni coronam, quae regibus legitime electis imponi debet, et annis 23 post precio dato per Matthiam regem recuperata fuit. Vladislaus interim cum reliquiis, de S(ancti) Stephani regis capite demptis coronatur. Hisce dissidiis gliscentibus Turca ansam regnum invadendi arripuit, siquidem Amurathes Rasciam interea occupat. Quadriennio elapso Vladislaus rex plane

72 marg. Obiit Maria anno 1392; 20 000 Christiani a Turcis caesi

73 marg. 1401; 1409; 1410

74 marg. Obiit 1439 / Pestham V Perstham

75 marg. Vladislaus dux Litvaniae; Dissidia in Hungaria / Vladislaus dux V Vladislaus dux

76 marg. S. corona abducta in Austriam

77 marg. Vladislaus occumbit anno 1444 caesis 30 000 Christianis

adverso Marte ingens praelium cum Amurathe commisit. Rex enim ipse in praelio occubuit, caesis simul principibus et praelatis quam plurimis, cum triginta millibus Christianorum.

78

XXXIII. rex

Ladislaus rex, Alberti regis filius, tantum quinque annos natus erat, cum Ladislaus occumberet. Erat autem tum Viennae, Ioannes ergo Hunniades sive Corvinus praeficitur vice-rex, quam praefecturam summa cum dexteritate obibat, unde et propter animi fortitudinem ab Vladislao in vaivodam Iazygum deputatus est, siquidem secundo Marte contra Amurathem bella gessit. Inde ubi Ladislaus rex aetatis annum 12 attigisset, in Ungariam se contulit, et Corvinum ob fidelem administrationem et servitia praestita comitem Bistriae constituit.

79

Anno 1455 Corvinus denuo Mahometem in fugam vertens, magna tormenta bellica centum illi eripuit. Obiit anno sequenti videlicet 1456. Ladislao ergo iam regnante proceres regni acerbissimis odiis inter se dissidere. Comes Ciliae Ulricus occiditur a Ladislao et Matthia, duobus filiis defuncti Hunniadis, ob quod factum Ladislaus capite truncatus. Matthias vero, qui et ipse postea rex fuit, Pragae in carcerem adductus est.

80

Anno 1457 Ladislaus rex feliciter pugnavit contra sultanum, aliquot millia Turcarum prosternens. Ladislaus postmodum nuptias celebravit Pragae cum Magdalena, Caroli regis Galliae filia, anno aetatis suae 19, et in ipsa solennitate nuptiali mortuus est.

81

XXXIV. rex

Matthias Corvinus, filius Ioannis Hunniadis, Pragae carceri inclusus, redemptus fuit per episcopum Waradiensem quadraginta vel secundum alios sexaginta millibus scutorum, simulque in regem Ungariae eligitur. Fridericus III. imperator regnum sibi arrogabat, praetendens se proximum ex virili stemmate haeredem defuncto regi succedere. Matthias autem natus tantummodo 17 praevertit eum, ea lege, ut si absque sobole decederet, domus Austriaca ex testato sibi regnum illud haereditarium haberet. Primum matrimonium cum filia regis Bohemiae contraxit. Rex ipse bella satis feliciter administravit, quae anno 1462 et 1463 contra Turcam gessit. Postquam anno 1464 sacram regni coronam sexaginta millibus scutorum a domo Austriaca redemisset, coronatur Albae regali cum summa solennitate et congratulatione suorum. Matthias rex dum contra Turcam arma moveret, Bohemi interea Tyrnaviam urbem in finibus Moraviae obsident, sed re infecta anno 1466 obsidionem solverunt.

82

Anno 1467 convocatis proceribus regni sui consultavit contra Turcam et Bohemos. Discedens inde Posoniam petiit, totamque fere Moraviam cum Silesia devicit, atque adeo anno 1469 Olmutii rex Bohemiae coronatur. Anno 1471

78 marg. Corvinus vaivoda; Corvinus comes Bistriae

79 marg. Turca caesus 1455; Corvinus obiit 1456

80 marg. Obiit anno 1458

81 marg. Matthias ex carcere in regem eligitur

82 marg. 1462; 1463; 1494; S. corona redimitur; Tyrnavia a Bohemis obsidetur 1466

83 marg. 1467; 1471; Nitria obsessa / Olmutii V Olmutiz

81 redemptus fuit — v. Bonf. III, 9,16

Casimirus, filius Casimiri regis Poloniae, a quibusdam praelatis ad regnum Ungariae accersitur. Verum is Nitriam usque delatus a Matthia cingitur, noctis autem beneficio Casimirus evadens Poloniam repetivit.

⁸⁴ Anno 1472 magnam multitudinem in fines Poloniae traduci curavit ad oras illas incolendas.

⁸⁵ Matthias rex I. Komaram, quod castrum erat alias obscurum et ruinosum in frontispicio insulae Scuttae versus orientem, egregie instauravit. Est autem Scutta insula locus amoenissimus, ubi sunt viridaria et horti regii cultissimi, arcae aucupii stratae, piscinae salubres, et quicquid ad voluptatem spectare possit. Anno 1473 bellum gessit cum Casimiro Poloniae et Vladislao Bohemiae regibus, res tamen pacificatione tandem composita fuit.

⁸⁶ Anno 1475 obiit doctissimus mathematic(us) Ioannes Regiomontanus, quem Matthias rex summo honore prosecutus octingentis scutatis cohonestavit pro sola Dedicatione Ephemeridum in annos triginta supputatarum.

⁸⁷ Anno 1476 coronata fuit in reginam Beatrix, filia regis Siciliae, coronatio Albae regali facta, nuptiae Budae celebratae, quae dum fierent, Turca Dalmatiam devincit, in Ungariam ad castrum usque ferreum Stiriae penetrat, et ultra triginta millia

⁸⁸ hominum captivos abducit, Daciam ferro et igne devastat. Matthias, quod secundum quorundam opinionem Kunegundam filiam Friderici imperatoris non obtinisset, nuptiis finitis Austriam bello petit, capit castrum munitissimum Trutzmansdorff, Petersdorff et alia.

⁸⁹ Anno 1481 caesariani in castris et urbem Haymburgum improvise a Matthia obruti caeduntur. Anno sequenti rex Matthias urbem illam obsidione cingit, quae in confinio Ungariae et Austriae sita decem millia passuum supra Posonium, cis Danubium, ad praecaltum montem condita est, in cuius fastigio arx, quae nulli facile accessum praebet, supra eminet, post eam autem ad 20 stadia Prucka civitas est. Rex Matthias satis sibi perspectum habebat se nihil magnopere in Austria consecuturum, nisi Haymburgum prius occupasset, quam ob causam obsidet eam

⁹⁰ arctius prae caeteris. Fridericus imperator tria millia equitum in occursum ei praemittit, qui praelio non ita magno ad Pruckam superiores fuerunt. Stephanus Bathori unus ex Matthiae ducibus in eo praelio capit, et additis duobus a latere custodibus, dum caeteri Ungaros persequerentur, Pruckam abducitur, is in itinere capta occasione gladium alteri custodum, qui a laeva erat, e vagina deripiens utrumque eodem confodit, quo facinore perpetrato, iam liberatus ad suos in castra revertitur.

⁹¹ Matthias inde Haymbergam urbem deditione capit, et arcem a praefecto eius tribus scutatorum millibus numeratis accipit. Hinc exercitum ad Pruckam movet, quae urbs non militibus tantum praesidiariis et muris fossisque praealtis, sed arce insuper munitissima, flumine vivo circumlabente et propugnaculis aliisque defensione paratis optime erat instructa, ipsa in plano condita ad ripas Leythe

84 *marg.* 1472

86 *marg.* Ioannes Regiomontanus obiit 1475

87 *marg.* 1476; Turca in Ungariam impressionem facit

88 *marg.* Matthias Austriam bello petit; Trutzmansdorff

89 *marg.* Bonfinius; Haymburgum obsidetur; Prucka

90 *marg.* Stephani Bathori facinus magnanimum

91 *marg.* Urbs et castrum Haymburgum capiuntur

89 Bonfinius — IV, 6,132

- ⁹² fluvii sita est. Hanc itaque quatuor mensium obsidione cingebat, tormentisque crebro in eam fulminans tandem multa vi eandem expugnat. Sed quod Vienna nullo modo obsideri posset, deliberat secum, qua via adiacentes vicos occuparet. Quare Korneuburgum ultra Danubium obsidione capit, arcem Guntzam, Claudiviciem et Ebersdorfium, quod egregie se hosti opponebat, tandem ipsam etiam Viennam in potestatem suam redigit. Viennam fames eo adegerat, Kal(endis) ut Iunii(s) se ultro dederet, quo die maximus terrae motus erat. Quibus confectis
- ⁹³ septem menses Neustadium obsidet, quam deditione accipit. Rex anno 1490 curis omnib(us) sepositis animum libere explicatus atque in ipso Palmarum festo hilaris admodum mensae accumbens, iubet sibi ficos apponi, qui cum selectiores haberi non possent, in tantum ira intumuit, ut apoplecticus concideret, ac velut ab omni sensu expers iaceret, nec quicquam eloqueretur, sed beluae cuiusdam instar inter horrendos mugitus expiraret. Albam ergo regalem deportatus ibidem sepelitur.

⁹⁴ XXXV. rex

Vladislaus II., qui et ipse rex Bohemiae iam ante erat, matrimonio sibi viduam Matthiae iungit, et rex ita Ungariae salutatur. Circa haec tempora Maximilianus primus Viennam recuperat, Neustadium item et Pruckam simul cum universa fere Austria. Adhaec armata manu Albam regalem recipit, Vesprinum etiam et Sabariam cum arcibus munitissimis quam plurimis. Alba autem, Vesprinum et quaedam alia Vladislao restituta sunt. Mortua priore coniuge ducebat filiam comitis ex Gallia, ex qua Ludovicum et Annam suscepit. Praeterea cum Maximiliano ita conventum est, ut si rex absque liberis decederet, Maximilianus omnesque posterius eius in regnis Ungaria et Bohemia legitime succederent.

- ⁹⁵ Anno 1514 magna seditio per Ungariam coorta est, dum enim cardinalis Strigoniensis crucem ad populum annunciarat, et multa subditorum millia nomina sua profiterentur, Vladislai interim legatio cum Turcarum imperatore Selymo paciscitur. Verum qui nomina sua dederant, nequiquam ob id ab armis desistebant, quin imo capitaneum Georgium Zeck, qui Turcam iam ante aliquoties profligaverat, in regem sibi constituunt, primum per Ungariam tanquam furore conciti castra
- ⁹⁶ non pauca et coenobia perrumpunt. Nobiles quam plurimos cum uxoribus et liberis trucidant, bona eorum diripiunt, virgines constuprant, episcopum Chonadiensem palo ligneo per corpus adacto transfigunt, idemque Strigoniensi archiepiscopo et aliis minitantur. Posteaquam autem novus iste rex Georgius una cum ducibus a comite Ioanne vaivoda caperetur, inaudito et horribili prorsus supplicii genere affectus fuit. Primum rex ipse corona candescente ferrea coronatur; dehinc sanguis ipsi e duabus venis sectis detractus fratri eius Lucae ad bibendum propinatur. Praeterea triginta rusticos per triduum fame maceratos eo immanitatis compellebant, ut dentibus regis sui adhuc viventis viscera dilaniarent deglutirentque.

92 marg. Prucka capta; Korneuburgum, Guntz et Ebersdorfium occupantur; Vienna capta 1485; Terraemotus. Neustatum capitur / fames V fama

93 marg. 1490 obiit rex Matthias

94 marg. Maximilianus I. Viennam recuperat, Albam item Regalem, Vesprinum et Sabariam; Transitio inter Maximilianum et Vladislaum

95 marg. Seditio 1514; Pacificatio inter Vladislaum et Selymum; Georgius Zeck rex; Furor seditiosorum

96 marg. Rex Georgius capitur, horrendum supplicium in Zeckianos

93 beluae instar — v. Bonf. IV, 8,195

94 viduam Matthiae — v. Bonf. V, 1,5—6

⁹⁷ Rex autem ipse miram interim constantiam prae se ferendo ne ingemiscebat quidem, nec expavescebat ullum tormenti genus; hoc unum obtestans, ut fratri suo Lucae parceretur, siquidem a se ad bellum istud compulsus fuisset. Tandem ubi iam omnia ferme membra discerpta essent, exenterarunt eum, et corpus frustulatim concisum partim verubus tostum, partim lebetes decoctum militibus eius manducandum apposuerunt. Quos ita pastos pariter cum Luca Zechet varie excarnificatos supplicio sustulerunt. Vladislaus rex Budae obiit anno 1516, et Albae Regali sepelitur.

⁹⁸

XXXVI. rex

Ludovicus II., regis Ladislai filius, successit patri in regnis Ungariae et Bohemiae. Anno 1521 Selymannus Turcarum imperator Ungariam cum exercitu ingressus omnia rabiose devastavit. Siquidem Collocza archiepiscopatus primus hostium incursionibus patebat, rex ope pontificis Paulum Tomori in archiepiscopum eius loci constituit, eumque tantum non violenter ad id compulit. Bellogrado enim amisso locus hic virum non tam sanctimonia insignem, quam hominem rerum politicarum callidum et prudentem aliquem atque fortem protectorem sibi exigebat.

⁹⁹ Tomori, de quo hic sermo instituitur, ordinem Franciscanorum religionis ergo ingressus fuerat, is vir alias plane strenuus et admodum severus erat, nec semel quid virtus sua in Turcas posset animo praesentissimo expertus fuerat. Rex Ludovicus coniugem habebat Mariam agnatam Maximiliani imp(eratoris), quae postea gubernatrix fuit in Belgio. Soror autem regis Ludovici Anna Ferd(inando) cessit, qui et ipse deinde rex Ungariae factus est.

¹⁰⁰ Anno 1526, ubi rex Ludovicus animadvertisset, Turcam denuo cum maximis copiis Ungariam petere, ipsemet cum exercitu illi obviam processit. Siquidem nobiles quidam renuebant cum solis belli ducibus et solum cum regni proceribus expeditionem illam suscipere, praetendentes privilegia sua, quibus cautum erat, ne militatum ire tenerentur, nisi rex praesens inter ordines foret. Hac de causa rex ipse in armis esse compulsus fuit, et ingenti praelio, sed plane adverso Marte

¹⁰¹ cum hoste decertatum fuit. Ceciderunt enim ad novendecim millia Christianorum, multi insuper principes et praelati, utpote Ladislaus Zalkanus archiepiscop(us) Strigoniensis, Paulus Tomori monachus dictus archiepis(copus) Collocz(iensis) et generalis militiae praefec(tus), epis(copus) 5. eccl(esiensis), Iaur(iensis), Chonad(iensis) et Bosn(iensis). Rex itaque dum iam fugae intentus esset, cum equo, cui insidebat, in locum palustrem et uliginosum delatus misere in eo periit. Corpus exactis mensibus duobus post armis indutum et equus eiusdem reperta, Albam

¹⁰² regalem adducta et ibidem sepulta sunt. Turca supra lacum Balathonem Iaurinum usque progressus, quaecunque obviam habuit, incendiis et latrocinii devastabat. Budam metropolim obsidebat, quae nullo negotio in manus eius veniebat; maxima enim pars, quin et regina ipsa profugerant inde Viennam, sola arx habebat milites praesidiarios Germanos, quam Turca cuniculis expugnare tentabat, quod

⁹⁷ marg. Inaudita immanitas; Vladislaus obiit 1516

⁹⁸ marg. Turca in Ungariam impressionem facit; Collocza archiepiscopatus / eumqueV cumque

¹⁰⁰ marg. 1526

¹⁰¹ marg. 19 000 Christiani caesi; Ludovicus rex periit in lacu uliginoso / in lacu uliginoso V in lacu religinoso / adducta V aducta

¹⁰² marg. Lacus Balathon; Iaurinum; Buda deditione amittitur; Perfidia Turcae

milites animadvertentes convenerunt cum hoste, ut sublatis sarcinis inde salvi discederent; fides autem illis non servata est, et quotquot erant, ad unum omnes cimeteris concisi perierunt. Solus capitaneus incolumis evasit, quod milites eius
103 arcem ipso invito hosti obtulissent. In silvis, quas Verthises vocant, ultra 25 000 Christiani, praeter uxores et liberos latitabant, in quos Turcae magna tormenta displodentes omnes propemodum sustulerunt. Turca superiorem insuper Pannoniam adoritur, igne et ferro quaecunque ultra Danubium obvia devastat, quibus peractis Constantinopolim repetit.

104 XXXVII. rex

Ioannes de Zapolia, vaivoda apud Iazyges, mortuo Ludovico a quibusdam rex eligitur. Tametsi Stephanus Bathori palatinus Ungariae cum praecipuis praelatis in electionem eam non consentiret. Ferdinandus enim, Caroli V. imperatoris frater, ad capessendum regnum iam vocatus erat, qua ratione factum fuit, ut duo reges tum electi essent.

105 Anno 1528 vaivoda a rege Galliae suppetias sibi ferri petivit contra Ferdinandum regem; praeterea Carolo V. imperatori et ordinibus scriptis literis super Ferdinandi regis iniquitate conquestus protestatur, si contingat, ut aliunde sibi auxilium parere necesse haberet, ne id vitio subvertant. Fertur etiam Ferdinando conditionem obtulisse, quod beneficiarius se vasallus esse velit, verum ubi omnis spes auxilii ipsi praecisa esset, non multo post institutum suum, quod diu iam in animo proposuerat (videlicet, si Ferdinandus rex viribus ipsi esset superior, quod Turcae patrocínio uti vellet) in actum deduxit, seque Solymanni fidei atque tutelae credidit.

106 XXXVIII. rex

Ferdinandus archidux Austriae, rex et ipse Bohemiae, eligitur rex Ungariae.

Anno 1527 magnis copiis conflatis Budam usque profectus urbem eam et potissimam regni partem occupat; hinc Albae regali in regem Ungariae coronatur. Generalis belli eius praefectus Casymirus marchio Brandenburgensis Budae obiit in ipsa expeditione, et pompa funebri digna principe ibidem sepelitur.

107 Anno 1527 Solymannus, imperator Turcicus, tacite instigatus a vaivoda Iazygum Ungariam adoritur, urbem Budam et arcem, quam undecies frustra oppugnaverat, vi capit. Ioannes, vaivoda Iazygum, a Turcis Erdelbannus apellatus, magnis muneribus Turcae obviam praecedens manus eiusdem deosculatur, a quo rex Ungariae confirmatus Budam in sedem regiam ab eodem oblatam acceptat, quam deinde ad finem usque vitae suae, in annum videlicet 1540 fixum sibi retinuit incoluitque.

108 His actis Solymannus secus Danubium cum exercitu conscendens, in transitu deditione capit Komaram, Vicegradum, Ovarum etc. Visuntur adhuc Ovarae globi tormentarii ingentes, quos in obsidione illa sparsit intra muros eius.

103 *marg.* Verthises silva

104 *marg.* Vaivoda Iazygum rex

105 *marg.* Duo reges Ungariae 1528; Vaivoda Turcae patrocínio fruitur

106 *marg.* Anno 1527 Buda expugnata; Casimirus Marchio Brandenburgicus obiit

107 *marg.* Solymannus Ungariam ingreditur; Buda amissa anno 1529; Vaivoda Turcam excipit;

Rex Ungariae confirmatur

108 *marg.* Komaram, Vicegradum, Ovarum Turca occupat

- ¹⁰⁹ 26. die Septembris obsidione Viennam Austriae cingebat, bis centena millia Turcarum in exercitu (s)uo numerans. Urbem ipsam dies 20 continuos tormentis conquassabat, saepius eam incursionibus licet frustra adoriens. Ceciderunt tum Turcarum ultra octoginta millia, tandem frigore compulsus obsidionem solvit, et Budam Constantinopolimque repetit.
- ¹¹⁰ Anno vero 1532 cum ingenti manu videlicet ter centum millibus reversus est, advehens secum centum et viginti tormenta bellica magna, quae capitalia seu cartaunen, 12 ex eo genere, quae mortaria, 40 quae serpentinae et centum, quae a falconibus nostris hominibus denominantur.
- ¹¹¹ Obsidet ergo oppidulum et arcem Guntzam, quam dominus Nicolaus Iuritsch natione Ungarus defendebat. Oppidulum ipsum ferme funditus tormentis collabefactatum erat, siquidem ter et decies frustra ab hoste oppugnatum substiterat, Turcis quam plurimis cadentibus. Turca ergo magnanimitatem domini Nicolai videns per nuncium ipsi significat, si se in potestatem eius traderet, honorarii loco arcem cum oppidulo reportaturum, nec ulli civium deinceps id damno fore. Quam
- ¹¹² conditionem Ungarus ille acceptavit, civesque suos ea ratione salvavit. Turca inde castra movit, seque ad Stiriae fines et lacum Balathonem convertit. Supremum bassam suum cum exercitu levis armaturae ad 15 millia hominum praemisit, qui longe lateque populabundi Aredaten usque excurrerunt, damna plurima passim inferentes. Sed dum praeda onusti retro ad suos cogitarent, ita inter montes circumventi sunt per quosdam equites, qui conscripti Viennam tum primum adventarunt, ut vix 200 de 15 millibus evaserint. Imperatoria maiestas brevissimo tempore Viennae exercitum collegerat, ad triginta millia equitum, peditum autem ad bis centena millia. Cuius rei simul ac Turca certior factus, signa illico vellit et ad fines suos retrocedit, neque nostri eum ulterius persequi laborant.
- ¹¹⁴ Anno 1537 rex Ferdinandus denuo exercitum conscripsit, octo videlicet millia equitum et sedecim millia peditum, cuius dux fuit Catzianus. Is pessimae fidei notam sibi inussit, siquidem ad Turcas deficiens exercitum perfide re prorsus infecta prodidit. Nec longe post Catzianus se ad comitem Nicolaum de Serino contulit, cuius alias intimus fuerat, illi persuadere conatur, ut et ipse ad Turcas deficeret; cui comes Nicolaus caput praecidi iussit, quod Ferdinando regi transmisit, et pro eo honorarii loco omnia Catziani bona a Ferdinando sibi collata reportavit.
- ¹¹⁵ Anno 1540 vel secundum alios 1541 Ioannes vaivoda Transsylvaniae Budae obiit. Is filium puerum adhuc reliquit, qui per aetatem regno praeesse non poterat, ob id mater eius interea vices illas adimplebat. Exercitus autem Ferdinandi Budam, in qua erat vidua cum filio, Ioanne Stephano, obsidet, sibi eam dedi postulat. Tutores regis adhuc impuberis neququam in id consentiebant, sed Turcae praesidium contra implorabant, qui primum quendam bassam cum exercitu propere praemittens eundem in propria persona haud multis diebus post subsequebatur.
- ¹¹⁶ Tametsi vero milites Ferdinandi undique tormentis in urbem fulminarent, depulsi tamen sunt, et ceciderunt ex iis ad 20 000. Imperator Turcarum Budam et

109 *marg.* Vienna obsessa

111 *marg.* Guntza obsessa

112 *marg.* Turca ad Lintzam excurrit; Viennae ingens exercitus / circumventi V circumeunti

114 *marg.* Catziani perfidia; Poena Catziani / Catzianus V Catrianus

115 *marg.* 1540 obiit Ioan(es) vaivoda; Buda obsessa; Buda Turcam implorat

116 *marg.* Buda defenditur

- Pestham occupat, sibiue utranque retinet, quarum praefecturam Bellerbego demandat, de vidua autem et filio eius disponit, ut in Transsylvaniam concederent.
- 117 Anno 1542 denuo numerosus exercitus in Ungariam a Ferdinando rege missus est, cuius belli praefectus generalis erat Ioachimus elector Brandeburgicus. Pontifex duce Alexandro Vitellio tria millia equitum illis adiungebat, ea vice Pestha tormentis et incursionibus acriter oppugnata fuit, sed male cessit, siquidem lues horrenda in exercitum adeo saeviit, ut multa eorum millia perimeret, sicuti eodem anno Viennae etiam 18 000 ex pestilenti contagio perierunt.
- 118 Anno 1543 denuo grassans per Ungariam cum exercitu ad 10. Augusti diem urbem et castrum Strigoniense vi multa occupat, quamvis obsessi totis viribus se defenderent. Ad 3. Novembris Albam regalem deditione capit, ea tamen condi-
- 119 tione, ut cives illaesos dimitteret. Solymannus vero victis iniungit, ut in arcem simul conveniant, quo facto armis eos exuit, et quosdam, qui viribus corporis prae reliquis valerent, ex iis seligit. Caeteros cimeteris dissecari mandavit. His peractis Mahometem laoglis gubernatorem totius Ungariae constituit.
- 120 Anno 1547 Anna, regina Ungariae, Ferdinandi regis coniunx, Ioannam parturiendo expiravit.
- 121 Anno 1548 Ferdinandus rex Agriam in potestatem suam redigebat, duce comite a Salm. Urbis autem captae praefecturam Stephano Dobo, Francisco Zay et Nicolao Olaho committebat.
- Anno 1549 comes Salm multa castra in superiore Pannonia expugnabat.
- 122 Anno 1550 Matthias Teuffel, Ferdinandi regis copiarum dux, a Bellerbego Budensi apud Pallatium superatur. Turca etiam capit Dregelt, Gyarmath, Zetschin, Pallatium et oppida quaedam adiacentia. Obsidet insuper Agriam copiis suis omnium in unum collectis, verum qui in urbe erant, unanimiter contra hostem conspirabant, fidemque suam subscriptione e proprio sanguine factam invicem astrinxerant. Tur-
- 123 cicus itaque exercitus pudore confusus obsidionem solvit, duodecies mille globis in urbem per magna tormenta displosis, qui numerus collectis globis istis demonstrari potuit. Ceciderunt autem omnino trecenti ex nostris.
- 124 Agria sedes est episcopalis, quae secundum Bonfinii opinionem primum ab Agrianis Illiryci populis habitata fuit. Sunt, qui a rivulo Agria urbem alluente eam denominatam existimant. Sunt etiam, qui veterum Vinundriam putant, cuius Ptolemaeus in superioris Pannoniae tabula meminit, eique trigesimum octavum
- 125 cum dimidio gradum longitudinis assignant. Temporibus Bonfinii quantum ex Historia eius eligere possumus, civitas ea satis exigua, nec muris adeo munita fuit. Verum sub Ferdinando, a praefecto Erasmo Teufel egregie instaurata est. Arcem vetustate minus conspicuam habet, nec ullis propugnaculis firmam, portis solummodo utcunque clausam. Non multo tempore post dominus Anthonius Vernantius, episcopus Agriensis, et nobilissimus Franciscus Zay, praefectus Cas-

117 *marg.* Pestha obsessa

118 *marg.* 1543; Strigonium et Alba regalis amissa

119 iniungit V inungit

121 *marg.* 1548 capta Agria; 1549 / Dobo V Debo / Zay V Zey

122 *marg.* 1550; Dregelt, Gyarmath, Zetschin, Pallatium amissa, Agria obsessa

124 *marg.* Agria

125 *marg.* 1553; 1554 / eligere V eiicere

124 Agria sedes — v. Bonf. I, 1,55

125 ex Historia eius — V, 1,22

soviensis, Constantinopolim a regia maiestate delegati pacis conditiones tractarunt.

- ¹²⁶ Anno 1556 deficientes Transsylvani a rege suo Ferdinando iungebant se Ioanni Sigismundo, vaivodae filio vaivodae illius, de quo ante sermo fuit.

Anno 1558 Ferdinandus rex Ungariae et Bohemiae eligitur in Romanorum imperatorem.

- ¹²⁷ Anno 1560 Turca Filecam capit, locus is in superiore Pannonia munitissimus est. Nec multo tempore post Ferdinandus imperator et Solymannus foedus inierunt, quod utrique parti tolerabile fuit, et ratum illaesumque perstitit, quoad imperator Ferdinandus in vivis erat.

Anno 1564 ad 25. Iulii diem Ferdinandus imperator Viennae fatis concedens Pragae sepeliebatur.

¹²⁸

XXXIX. rex

Maximilianus II., Ferdinandi imperatoris filius, qui iam ante rex Bohemiae Romanorumque dehinc imperator electus erat, coronabatur anno 1563 una cum Maria coniuge sua in regem Ungariae, superstite adhuc patre suo, Ferdinando imperatore.

- ¹²⁹ Anno 1564 sub finem fere anni Ioannes Sigismundus, voivoda Iazygum, vasallus et subditus Solymanni, male fortunatus, pace violata Zatvarum expugnavit, in quo Maximiliano imperatori plurimum erat situm. Vaivoda Balassi Melchiorem inde expulit, coniugem et liberos illius cum omni supellectile, clenodiis etiam et prompta pecunia abduxit. Verum Maximilianus imperator misso belli duce, Lazaro a Schwendi, cum exercitu Zatvarum recuperavit, simul cum aliis adiacentibus locis non paucis.

- ¹³¹ Anno 1565 vaivoda Solymannum tantopere sollicitavit, ut is de expeditione in Pannoniam suscipienda plane secum constituerat. Quare bassae Budensi mandatur, ut arma paret, et bellum auspicetur, qua ratione vaivoda ille patriam suam in exterminium exitium adduxit. Regem enim se Ungariae dictitabat, et conventu suorum habito in Martio mense proponebat illis, quod ex patronis sui clementissimi, sultani Solymanni sententia et potestate plenaria omnibus Ungariae ordinibus edicto iniunctum, ut sub potestate et sceptro sui vaivodae esse teneantur.
- ¹³² Quod edictum Lazarus a Schwendi constanter et solide refutabat. Nec multo post Solymanno Ungariam ingresso, vaivoda cum muneribus plane regiis obviam processit, spe, licet frustrata, Ungariae regnum ab eo obtinendi. Bassa Budensis Palotam obsidens, erat autem in ea capitaneus Georg(ius) Thurinus, vir equestri virtute conspicuus, per integrum octiduum continue tormentis is illam fulminabat, adeo ut muris conquassatis soloque tantum non aequatis castrum ipsum extreme periclitaretur, praeter spem liberatum fuit per comitem Georgium ab Helfenstein, Turcae conspectis Christianis profugerunt, pulvere tormentario, farina, tormentis et tentoriis omnibus relictis. Muri deruti deinceps reparati sunt.

126 *marg.* 1556; 1558

127 *marg.* 1560; Filecka amissa; 1564 / Filecam V Felicam

129 *marg.* Zatwar(um) amissum

131 *marg.* Zatvarum recuperatum; Vaivodae perfidia / dictitabat V dictabat

132 *marg.* Palota obsessa 1566

- ¹³³ Ad 29. Iunii diem Christiani Vesprium obsidione cingentes postero die occuparunt, caesis omnibus quotquot ex Turcis obvios habuerunt, quinque tantum acceptis. In Iulio comes Salm Thatan arcem, quam nostri Dotin vocant, expugnavit, et praesidiarios ad unum usque extinxit. Turcae, qui Gestes, locum munitum tenebant, ubi de adventu comitis certiores facti essent, inde profugerunt, quorum
- ¹³⁴ exemplum imitati sunt, qui Weitam tenebant. Eodem anno Scythae suadente vaivoda Iazygum et Solymanno eos evocante superiorem Pannoniam adoriebantur, omnia ferro et igne devastantes plurimosque Christianos secum abripiantes. Horum decem millia dominus Lazarus de Schwendi parva suorum iactura partim caecidit, partim ex Hungaria profligavit. His peractis dictus Schwendi castra quaedam, Sabactam videlicet, Crasnahurcam, Pilovicx et alia expugnavit, quae ad Georgium Bebekium, unum ex Hungariae proceribus, pertinebant. Is autem perfide imperatorem deserens vaivodae partes sequebatur. Praeterea Zatvarum deditione capit. Turca ergo inferiorem Pannoniam passim misere depopulante et omnia vi occupante, ita ut de Komara et Iaurino etiam metuendum esset, imperatoria maiestas maximis copiis conflatis ipsemet praesens expeditionem suscepit, et ad Komaram Iaurinumque castra metatus, munitiones eas ad communem Christianorum salutem a Turcarum furore tutas reddidit. In mense Octobri, dum imperator Iaurini commoraretur, incendium ingens ibi exarsit, ex quo fere tota civitas conflagravit, milites dum restinguendo incendio occupati esse debuerant, admodum opimam praedam ex bonis mercatorum istis depositis retulerunt. Imperator postmodum magnam pecuniae summam ad aedificia restauranda incolis deputavit.
- ¹³⁷ Anno 1567 episcopus Agriensis et dominus Christophorus a Teuffenbach, liber baro, Constantinopolim missi sunt, ut de pace tractarent, quae anno 1568 inter imperatorem Maximilianum II. et sultanum Selymum in octennium constituta est, una ex conditionibus illius haec fuit, ut quisque sibi retineret, quae in possessione sua haberet. Quae pacificatio annis posterioribus prolongata est.
- ¹³⁸ Anno 1571 Ioannes Sigismundus, vaivoda Iazygum, obiit absque sobole, nec abfuit suspicio veneni. Illi successit Stephanus Bathori, annexa tamen servitute, qua annuatim tributum sultano penderet. Hic ipse est Bathori ille, qui anno 1575 ex commendatione sultani in regem Poloniae suffectus est.

In paginis 34—35 icones Amurathem ac Rudolphum II. depingentes in aes incisae videntur. Perigraphie iconis Amurathem depingentis:

Sultan Murat Chan

Emblema in summa parte:

- ¹³⁹ Nec tibi debetur victrix, Murate, Vienna:
Nec tibi Sinanis proderit usque furor.

¹³³ marg. Vesprium captum; Thata capta; Gestes a Turcis desertum; Item Weita

¹³⁴ marg. Scythae superiorem Pannoniam invadunt; Sabutca, Crasnahurca, Pilovicx, Zatvarum a Schwendi captum / devastantes V devastantes

¹³⁵ marg. Imperator cum exercitu in Ungariam movet

¹³⁶ marg. Iaurinum noctu totum conflagravit

¹³⁷ marg. 1567; Pax confirmatur an(no) 1568

¹³⁸ marg. 1571 vaivoda obiit; Bathori vaivoda et deinde rex Poloniae

Emblema in ima parte:

- 140 Ante tibi turpes cruciatibus auferet annos,
Qui iusto observat lumine sceptras Deus.

Sub iconem Amurathis sequitur:

- 141 Amurathes
Anno 1574 durante adhuc pace Turca prope lacum Balathonem Ungariam
adortus ultra mille Christianos trucidavit, et opimam admodum praedam avexit.
Circa finem huius anni obiit Selymus Constantinopoli, in cuius locum filius eius,
Amurathes successit.

Annotatio:

- 142 Si amice lector, Amurathis huius acta plenus cognoscere velis, requiras Tur-
carum vitas Ioh<annis> Iacobi Boissardi Vesuntini, ubi fol<iis> 339 omnia exacte
referentur.

Perigraphe iconis Rudolphum II. depingentis:

Rodolph<us> II. D<ei> G<ratia> Rom<anorum> Imp<erator>

Emblema in summa parte:

- 143 Pannoniae qui sceptras tenes tibi fata Rodolphe
Strigonium regnis restituere tuis.

Emblema in ima parte:

- 144 Det Deus ut victis feliciter hostibus omnis
Serviat imperio Pannonis ora tuo.

Post iconem Rudolphi II. sequitur:

- 145 XXXX. rex
Anno 1579 obiit imperator Maximilianus in comitiis Ratisbonae.
146 Rodolphus II., filius imperatoris Maximiliani, qui nunc ad imperii gubernacula
sedet, et ipse iam ante Ungariae et Bohemiae rex eligitur in Romanorum impera-
torem.
147 Anno 1577 in Novembri begus Villacensis urbem Sixo, quae in superiore Pan-
nonia est, dum mercatus annuus celebraretur, improvise obruebat, et inermes illos
cimeterris dissecans bona eorum diripiebat; bis mille ex iis copulatos equorum in-
star secum abducens; dum ad suos retro cederet, nostri eum persecuti sunt, et ope
Ungarorum rusticanorum captivos ipsi eripuerunt; multos etiam primarios Tur-
carum partim occiderunt, partim captivos abduxerunt, domum reversi sunt
148 praeda onusti. Anno 1580 Turcae superiorem Pannoniam Sepsy usque depopula-
bantur, vicos complures diripiebant, et flammis prorsus exurebant, multos etiam
Christianorum secum abripiebant, sed dum retro ad suos verterent, a nostris
149 prope Agriam fusi sunt, et ita captivi et praeda recuperata est. Anno 1582 impera-

141 marg. 1574

145 marg. 1576 obiit imper<ator> Maximil<ianus>

147 marg. 1577 / cimeterris V cimeterris / partim captivos V parim captivos

148 marg. 1580 Sepsy / verterent V vergerent

toria maiestas Posonium se conferens cum Ungariae proceribus consultavit, qua ratione, quod in Ungaria residuum esset, defendi, et castra, quae limites regni essent, rectius communiri possent.

- ¹⁵⁰ Eo anno et pace adhuc vigente sexaginta millia Turcarum coierunt, qui duce sanzaco superiorem Pannoniam incursarunt. Zapoliam devastantes, vicos aliquot flammis absumentes, multos in captivitatem ducentes et ingentem praedam avehentes. Verum in reditu a militibus caesareanis prope Agriam magna ex parte
¹⁵¹ caesi sunt, et bona ab ipsis recuperata. Quae cum Constantinopoli relata essent, Turcam admodum commoverunt. Ast ubi intellexisset, Turcas nulla provocatos iniuria priores petulanter Christianos incursasse, paulatim detumuit, atque ultra expetivit pacis conditiones posthac illibatas continuari. Ea ratione inter Romanorum imperatorem Rodolphum II. et sultanum Amurathem III. pax denuo
¹⁵² constituta fuit in octennium integrum, quae anno 1584 ipsis Kal(endis) Ianuarii(s) caepit.

- ¹⁵³ Anno 1587 Turcae septendecim pagos versus Nemetuos citra ultraque Limpach sitos devastabant, nec paucos Christianos abripiebant. Comes vero Georgius a Serino praedam eam recuperavit, et ultra 2000 illorum caecidit.

Reliqua, res post annum 1585 gestas continentia, omittimus, quae videlicet a Nostro scribi nullo modo potuissent.

6. (Epigramma sermone Germanico scriptum, in quo Stancarum et Calmanchaeum illudit)

- ^{1a} (... „dass sie beide, Stancarus et Claudus mit ihrem Stank in Siebenbürgen... müssen” ...
- ^{1b} ... „dass sie beide, Stancarus und Claudus mit ihrem... stanck in Siebenbürgen sincken müssen” ...
- ^{1c} ... „dass sie beide mit ihrem Stanck in Siebenbürgen hüpfen müsten”)

149 marg. 1582

150 marg. Zapolia devastata

152 marg. 1584. pacis pax prolongatur

153 marg. 1587; Nemetui(varum)

APPENDIX

1. Epigramma ad lectorem

Pannoniae quando faciem deploro ruentis,
Vulnera sunt animi publica damna mei.
Seditio, sectae, feritas, idola, libido,
Praedicunt patrii fata vicemque soli.
5 Est tamen in miseris solamen rebus opimum,
Discere mandati dogmata pura Dei.
Est euangelium divina potentia Christi,
Vivificat vera mortua corda fide.
Hac legit in mundi Deus agmina voce procellis,
10 Vinitor ut raros per loca vasta botros.
Hac sine nil foelix, nihil est durabile voce,
Hac sine sunt pulvis caetera cuncta levis.
Quare iusta pio debentur dona Schesaeo,
Rite secatur summi quod pia verba Patris.
15 Hic docet a falso verum distinguere vatem,
Ostendens quales sint utriusque notae.
Quilibet immensi discat decreta parentis,
His sine lux vitae nulla perennis erit.

Valentinus Crispus

2. Ad lectorem

Ut reliquis praestat stellis splendore corusco
Hesperus et clarum Lucifer ante diem;
Utque paradisos quondam fuit optima tellus,
Quam sol hic potuit luce videre sua:
5 Caetera sic inter, totum celebrata per orbem,
Ungaria eminebat regna nitore suo.
Seu conferre voles heroas paceque et armis
Virtute insignes, prosperitate simul;
Fertile sive solum, seu munimenta locorum
10 Et quaecunque homines magnificare solent.

Illa diu contra validus fuit arma Scytharum
 Europae murus, bella cruenta gerens;
 Dum sese opposuit Thracio concorditer hosti,
 Nec feriit discors ethnica pacta manu.
 15 Sed postquam procerum dominandi caeca cupido
 Invasit mentes ambitione levi:
 Pulsa est sancta fides, regni concordia scissa,
 Impia quaesivit faedera quisque sibi;
 Contemptoque Deo caeperunt fidere vanis
 20 Praesidiis hominum, qualiacunque forent.
 Iusticia spreta subiit, velut aggere rupto,
 Omne nefas pariter rure domique vigens.
 Proh dolor, hinc caepit vastari illa inclita quondam
 Ungara terra armis, proditione, dolis.
 25 Sunt procul a patria ducti (miserabile) cives,
 Oppida consumpsit pleraque flamma vorax.
 Capta hoc Buda docet regalis, Lippa, Temeswar,
 Caetera hoc docto commemorata libro.
 Pannonicas igitur quisquis legis hasce ruinas,
 30 Aut spectas, soli fidere disce Deo.
 Illius ad nutum sanctos componere mores,
 Eius et in duris poscere rebus opem.
 Auxilium praesens is tunc tibi porriget omni
 Tempore, et hoc semper vindice tutus eris.

Laurentius Parvus
 B[r]istriciens(is) Transsilvanus

3. Aliud

Sedibus aethereis vis est concessa Camoenis,
 Iugiter ad numeros ut bona quaeque canant.
 Et vel magna Dei miracula carmina summi
 Magnorum referant clara vel acta ducum.
 5 Hinc sunt felices, quorum pia pectora, Vates,
 Illiciti nunquam prostituere modi.
 Ergo Pannonias cupiens novisse ruinas
 Gestaque Iazigiis bella cruenta locis:
 Huc ades, ut relegas, cecinit quem Musa Schesaei
 10 Dacorum Mediis finibus orta, librum.
 Hinc Mahometigenae cognosces horrida gentis
 Praelia, quam nulla sint stabilita fide.
 Cernis et, ut populos captasque subegerit urbes,
 Attenuans vires, Paeonis ora, tuas.
 15 Haec et maiora his docto pertexta Schesaeo
 Omnia Moeonio conspicias esse pede.
 Id saltem petimus: Veniam dabis, optime Lector,
 Mixta quod Ausoniis barbara verba legis.

20 Causa subest: pauci celebrarunt carmine vates
 Bella Saracenū Pannonicumque ducum.
 Necdum trita via est flectendi nomina Thracū,
 Mollibus ut constent barbara quaeque sonis.
 Inde putes factum, si Musa videbitur osce
 Aut minus exculto forsitan ore loqui.
 25 Quare iusta pio debentur dona Schesaeo,
 Carmine quod digno carmine digna canit.
 At vos, o Momi, procul hinc, procul este, prophani,
 Optima quos rabido carpere dente iuvat.
 Qui sapit, et cuius niveo candore refulget
 30 Pectus, erit scriptis aequior ille bonis.
 Et memor, auctori referet pro carmine grates,
 Quisquis es, historico, Lector amice: vale.

Franciscus Valentini(anus)
 Mediensis Transsylvanus etc.

4. Aliud

Fama fidem fecit, socium fallacis Ulyssis
 Agmen in aequoreis forte ut oberrat aquis,
 Ad cava delatum cohibentis carcere ventos
 5 Regna ducis, fera ubi sulphure fumat humus.
 Atque hic in sortem, placato praeside, regni
 Asscitum, premeret quo vaga flabra Noti.
 Sed male concessis dum turba proterva lupatis
 Utitur, accersit noxia damna sibi:
 10 Quippe suis venti claustris et carcere missi
 Et terras turbant velivolumque mare,
 Dulichiumque ducem, sociam turbamque periclis
 Implicitos patriae visere rura vetant.
 Sic modo, quos orbis penes est suprema potestas,
 Cum satrapis procures militiaeque duces,
 15 Sollicitante fame semper potiora tenendi
 Regnorum amissa est gloria prisca, decus.
 Aspice, in Eoas penetrārit ut impia terras
 Gens, ibi dum procures praelia stulta cient,
 Dum turbant pacem dira ambitione regendi
 20 Inflati, et damni sunt sibi causa novi.
 Illa caput mundi totius Roma, triumphis
 Olim clara, modo, dic mihi, quaeso, quid est?
 Nempe domus scelerum, Romano nomine tantum
 Nota, Acherontaeo facta caverna lupo:
 25 Postquam mitrati Patris se regia turba
 Calcandum pedibus supposuisse studet.

Ipsa tumens Aquilis fera gens victricibus olim
 Languescit, late dum furit ense Getes.
 Scilicet imbelles habet hoc quod tempore reges,
 30 Vel quia nunc proprio vulnere fessa iacet.
 Tu quoque dum Scythici non noras vincla tyranni,
 Formido fueras, Hungara terra, viris.
 Imperiumque tuum Geta dirus et accola Nili,
 Indus, mollis Arabs, extimuere simul.
 35 Nunc postquam forti robur de pectore cessit,
 Effecta es Geticis obvia praeda viris.
 Ipsaque, quod stolide patrii diademata regni
 Odisti, premeris nunc graviore iugo.
 O te felicem, quando contenta paternis
 40 Auxiliis fueras Marte superba fero.
 Sed modo ter miseram, postquam hosti iuncta tremendo
 Es tibimet cladis maxima causa tuae.
 Urbibus excidium turritis aspera Teucrum est
 Gens sata, dum nostris imminet illa focus.
 45 Oppida, templa, domos plebs barbara, nescia recti
 Vastavit, socios et populatur agros.
 In sua Caucaseos fratres gens Hunnica damna
 Excivit rigidis montibus atque locis.
 Fas et iura silent, qua vires cunque locorum
 50 Exerit impietas horrida, foeda suas.
 Innuptas nullo miles prohibente puellas
 Et rapit, et raptas vique doloque premit.
 Qui sacros violant thalamos, ad praemia peccant,
 Est in honore manus tingere coede sciens.
 55 Foeda lues scelerum depascitur omnia, quondam
 Qua flos Europae Pannonis ora fuit.
 Haec mala praecipitem signantia cuncta ruinam
 Hic, ubi Pannoniae nomina sola manent:
 60 Quisquis nosse cupis, solerti lumine mentis
 Excute Moeonio carmina vincta pede.
 Quae tibi deprompsit facundi Musa Schesaei
 Curarum ambiguo pondere pressa nimis.
 Tunc cum sceptrigeri regis sacra dextra Ioannis
 Fulminat, et victo dat pia iura gregi.
 65 Ac quoties numeris releges memorata disertis
 Praelia Paeonio non bene gesta solo:
 Crebrave Bisthoniae dum nosces pacta cohortis
 Rupta statim gentis non prohibente fide.
 70 Exemplis monitus, non quicquam fidere Turcis
 Discito, et auctori carminis usque fave.

Simon Hermannus Medien<sis>
 Trans<silvanus>

5. Ἑγκωμιαστικόν

historiae gentis Pannoniae et Transylvaniae

Παντοίας σοφίας μάλα πουλυμαθέστατος ἀνὴρ,
 δς γ' ἄγαν Αὐσονίην γλώσσαν ἔδειξεν, ἔφη,
 Πατρῴας ὅτι μὴ πάμπαν δεδαημένον εἶναι
 5 ἱστορίας εἶη νήπιον ἔμμεν αἰεί.
 Οὐ γὰρ ἐληλυθότων καιρῶν ἢ νυνὶ ἐόντων
 ποικίλα ἡρώων πράγματα εἶδε καλῶν.
 Οὐ πολυφορτίστων βουλὰς πολυδαίδαλας ἀνδρῶν
 ἦσι πόλεις καὶ ὁμῶς λαὸν ἔσωσαν ὅλον.
 10 Οὔτε τις εἰρήνης τὰ θεόσδοτα ἔργα δέδαρκε,
 ἢ ῥιπυράς πράξεις ὀκρυόεντος Ἄρου,
 ἀλλ' ἡὔτ' ἄνοον καὶ ἄπειρον παιδίον αἰσχυρᾷ
 καὶ ἐνὶ κιμμερίῃ νυκτὶ βίον διάγει,
 τόφρα τι παραξάμενος μήτ' εὖστολος ἔργματος ἀρχή,
 οὐδενὶ συγκομέει χρήσιμος, οὔτε τέλος.
 15 Ἐνθεν ἄρ' ἀθάνατον τοιούτοις ἀνδράσι πάντες
 οἶδαμεν ἐν θυμῷ ἐννοέοντι χάριν,
 τοῖς ἥγουν περὶ πραχθέντων οἱ αἰὲν ἔασι
 ἱστοριῶν κόσμου ἔργα γράφοντες ὅλου.
 20 Τοῦτο ἀειμνήστοις ἄρα βιβλίον αἴρετ' ἔπεσσιν,
 ποιητὴν μέλεσιν δοξολογεῖθ' ἁγίοις,
 αὐτόπτης δς πολλὰ ἰδὼν καὶ πολλὰ ἀκούων
 τὴν ἐς εὐπορίην βίβλον ἔγραψε νέων,
 βίβλον ἀριζήλου κῆρας παρέχοντα μελαίνας
 25 Παννονίας φανεροῖς ἔργμασ' Ἄροιο γέας,
 τῆς τότε ἑμοῖο πάτρας ἐνὶ ὑψηλοῖσι ναίουσῃς
 (ἐντεῦθεν γὰρ ἔχει τούνομ') ὄρεσσιν ὕλων.
 Ὡν ἀπὸ δυστυχιῶν μετὰ τὴν μελιηδέα μοῖραν
 ἀνθρώπων θνητάς, θνητέ, γίνωσκε τύχας.

Laurentius Kerzius
 Coronen(sis) Transylvanus

6. Carmen heroicum

in commendationem poetices et quatuor librorum de
 ruina Pannoniae d(omini) Christiani Schesaei, theologi nec
 non poetae praestantissimi, scriptum a
 Martino Hentio Cibirien(sis)

Commoda quanta vehant docti rerumque poetae
 Artifices culti, non est mihi dicere promptum.
 Nam sacer aetherea delapsus spiritus arce
 Implevit postquam sacrorum pectora vatum,

5 Noctes atque dies arcanis abdita rerum
 Sensibus explorant, mox explorata reponunt
 Carminibus: longum est expandere singula longi
 Circuitus, sed prima sequar fastigia rerum.
 10 Aut praecepta canunt animos polientia nostros,
 Aut ipsum radio vastum cum gentibus orbem
 Describunt, vallesque cavas et iugera monstrant:
 Quae sit terra viris, fulvis quae clara metallis,
 Vel quae militiae, vel quae praecordia tellus
 Dedita Musarum studiis enixa secundo
 15 Progeneret foetu, superasque eructet in auras.
 Post haec astrorum cursus lunaeque meatus
 Scrutantur mira totos indagine menses.
 Ursas cur geminas depellat ab aequore Nereus,
 Alcidem, plastrum, totum ferventia mensem
 20 Signa canis, delphina, capram leporemque polosque
 Atque medusaeos prensantem Persea vultus.
 Impositos humeris tepidos cur ignibus axes
 Lapetionides Atlas gerat, unde tot uni
 Sufficiant vires aut haec in pondera robur,
 25 Denique quae maneant gestantem praemia molem.
 Fortia quin etiam maioris carmina plectri
 Arma ducesque canunt, quatit hic Bellona flagellum
 Effera, cumque suis populis urbesque domosque
 Sternit humi Mavors, hic hic dant classica cantum
 30 Terribilem, hic belli signum dat buccina raucos
 Cum stridore sonos coelum clangore fatiscens.
 Paulatim positis tandem gravioribus armis
 Addunt his comites levioris carmina Musae,
 Retia, tela, plagas, pharetras studiumque Dianae;
 35 Mentibus aut tristes subito pellentia curas:
 Vina, dapes, citharas, campos, convivia, saltus.
 Sic sunt, sic graciles ludunt alterna Camoenae.
 Ac veluti proceres positis ex ordine mensis
 Cum Veneri dapibusque vacant taedaeque iugali:
 40 Iamque lyrae vel nabla sonant, tenet ardor amantes.
 Tum probitate gravem, ac fidum si forte ministrum
 Conspexere, vocant, et parvo murmure voces
 Efflant has animi tacita de sede profectas:
 Fac mea regali niteant convivia luxu.
 45 Ille leves postquam concepit mente susurros,
 Accelerat studio, nunc his, nunc temperat illis
 Deliciis mensas, immiscens dulcia amaris.
 Sic Vates, divum soboles coelique propago,
 Ne pariant animis eadem fastidia nostris,
 50 Luxuriant radio: nunc his, nunc versibus illis
 Demulcent animos miscentes tristia laetis.

Sed nimium forsā poterant haec parva videri
 Intuitu primo, mentes nec tangere pravas.
 Maius opus volvunt: carmen sub pectore maius,
 55 Mens agitat Vatum quid? quis tibi funera saeva
 Mors adimit? quis mortales super aethera tollit?
 Aurea quid Vatum tandem non scripta potestis.
 Esse iterum in vivis, iterum volitare sub auras
 Cogunt humanos vultus, iam morte solutos
 60 Atra squalentesque situ; non omnia quondam
 Congestae rapuere pyrae, sic vivit Achilles,
 Sic ingens Sarpedon et sic inclitus Hector.
 Maximus exanimis iam iam lapsurus ad umbras
 Ennius ille pater, ne quis sua funera fletu
 65 Aut lachrimis decoret, nimium demandat amicis.
 Fatalemque premens thalamum de hinc talia fatur:
 Aeternum laudes, mihi quas peperere, manebunt,
 Carmina, nil stygium metuunt Acheronta Camoenae.
 Quare vitales spirent cum carmina succos,
 70 Nec sit tartareae fas haec succumbere morti:
 Attoniti divum non enarrabile munus
 Miremur saltem, quis enim venerabile donum
 Explicet? aut leviter tantum perstringere possit?
 Non hoc praestarent, Pallas, aeternaque linguae
 75 Robora, non centum totidem cum faucibus ora.
 Ante leves contra properabunt flumina nautae,
 Quam pater eloquii tantas evolvere laudes
 Possit, Atlantiades tantum pia carmina possunt.
 Denique si dignos ingenti laude fatemur
 80 Vates, aethereum genus, ardescitque legendo
 Dedita mens hominum Phoebo sacrisque Camoenis,
 Cur non Schesaei veneramur carmina vatis?
 Quid struis? aut qua spe temnis myrtumque hederamque,
 Transsylvana domus? quos ultra mente poetas
 85 Conspicis? hic patriae rerum primordia nostrae,
 Hic seriem pugnae Musis et divite versu
 Asseret, et superas tandem producet in auras;
 Non pulicum morsus, levium nec inania rerum
 Argumenta crepat, nugaci qualia versu
 90 Ambrosio resonant diffusi nectare Vates.
 Est sacer Aoniis Phoebo mons arduus oris,
 Virgineum cuncti dicunt Helicon poetae,
 Quem neque tempestas, neque saevis flatibus Euri
 Infestant, aliudve malum; quem nulla ferarum,
 95 Nec lupa faedavit, nec curvis unguibus ursa.
 Flos ibi perpetuus violae cum suavis herbis
 Fusus odoratu per colles aëra tingit.
 Nulli fas sacrum scelerato tangere montem.

Delius aeterna servandum lege puellis
 100 Hunc dedit, et iussit procul hinc arcere prophanos.
 Inde per immensum Clio stridentibus alis
 Advolat, ingenium nostri mirata poetae,
 Atque exorsa loqui roseo sic ore profatur:
 Magne novenarum cultor Schesae sororum,
 105 (Nanque tibi Phoebus, divini carminis autor,
 Et cantare dedit nabis, et ludere versu)
 Cruda per Hungaricos concursant agmina campos,
 Undique, sed frustra, vestrum oppugnantia regem:
 Quo nec pace manet quisquam, nec iustior armis.
 110 Exere vim Musae, stragesque evolve futuras,
 Aut cane iam factas, aut insere funera plectro.
 Est tibi materies famam latura perennem
 Ista, nec inceptis audacibus abnuet augur
 Delphicus, ob pharetras semper laudatus et arcum.
 115 Quid memorem, pulchrum est magnis assuescere rebus.
 Desidiam mollesque iocos citharasque lyrasque,
 Pondera frugiferae sectentur inania terrae.
 Haud sator humani generis te maximus ille
 Condiderat talem Christus, qui secula mundi
 120 Aeternis regit imperiis, immobile numen.
 Ergo age Phoebaeis iam nunc assuesce Camoenis.
 Ille Deae monitis tantoque accensus honore,
 Huc quia diva vocas, inquit, quocunque sequemur
 Diva vocas, par est mortalia pectora divum
 125 Iussa sequi, zephyros modo da mihi, diva, secundos.
 Haec sic ille refert, nec deinceps plura loquutus
 Extemplo cogit validas in carmina vires
 Undique certatim, et fatum, miserabile fatum
 Pannoniae cantat: quis demens mente furores
 130 Armorum infandos et lamentabile bellum
 Moverit; unde viris bellorum infringere motus
 Extiterit nostris animus; quibus Hungara tellus
 Militibus saevum iam tum prostraverit hostem.
 Et quamvis immensa ducum molimina surgat
 135 Ingens cura animo procerumque evolvere facta:
 At tamen ante alios profert conamina regis.
 Felix, heu minium felix, cui fata ministrant
 Tales aequa viros, aliis exempla sub aevum
 Venturum memori qui possint mittere versu.
 140 Credo equidem heroum magnorum tersius alter
 Gesta recensebit, bellumque immane loquetur.
 Mens sua cuique tumet, grave et inviolabile carmen
 Quilibet inceptat, sed coeptos texere versus,
 Hoc prudentis opus. Pauci, quos flavus amavit
 145 Cynthus, aut ardens in portum cura locavit,
 Hoc potuere olim, multos deterruit ingens

Semita Musarum, multis miserabile saevae
Paupertatis onus laurum myrtumque negavit.

150 Noster at exegit divina mente poeta,
Auspiciis dextris et dextro numine, plenum
Maiestatis opus, quod nec fera bella, nec ignes,
Nec poterunt tineae, nec turpes perdere blattae.
O ego crescentem qua digner laude poetam?
Quae non ille virum tandem discrimina fando
155 Enumerare valet? vel quos miraberis aetas
Postera maiores, cum tanta volumina discas?
Nec pater imperii, pectus venerabile nostri,
Ullo se iactat tantum: nec Iazyga donis
Accumulare unquam tellus cessabit alumnum.
160 Heu decus, heu patriae lumen sacrataque Musis
Pectora: non illum superarit carmine quisquam
Gente satus nostra, seu cum canit agmina versu,
Seu lepido dulces promit modulamine ludos.
165 Heu venerande caput, si me non omina fallunt,
Vives, perpetuum vives; date myrtea vati
Serta Deae, Phoeboque sacer sit nomine vestro.
Salve, Schesaei nullum moritura per aevum
Musa, iterum salve, nec caeptos desere cursus.

Witebergae mense Aprili
anno MDLXXI.

7. Reverendo et clariss(imo) viro D(omino) M(agistro)
Christianno Schesaeo ecclesiae Mediensis in Transylvania
pastori, domino, amico et fratri suo honorando Nicolaus
Selneccerus pastor Lipsensis

- ¹ Literae tuae mihi, Schesae, vir reverende, gratissimae fuerunt, cum quod memoriam te retinere cognoverim scholasticarum mearum operarum, quibus olim iuventuti studiosae Witebergae inservire conatus fui, tum quod tibi non displicere meos
- ² qualescunque labores (at certe labores) animadverterim. Est, quod scribis, paucos esse commilitones in acie. Non habemus vel Lutheros, vel Philippos. Filius Dei
- ³ reliquias regat et tegat. Omnia degenerant. Consolatur autem me explicatio tua pia et erudita psalmi nonagesimi, pro quo tibi ex animo gratias ago, eamque ecclesiae Christi publice communicandam esse omnino iudico, praesertim cum exempla poenarum, quinque, sex et septem literarum (ut Graeci de fame, peste et bello loquuntur) contineat multa, et omnes et singulos ad poenitentiam hortetur.
- ⁴ Quod tu me mones, ut pergam in meis opellis, id te moneo, carissime Schesae, ut pergas contra Diabolum, antitrinitarios, Epicurarios et similes ex favis tuis, pectore Christiano dignissimis, tam iucundum mel doctrinae et consolationis plenum, quale est hoc ipsum tuum, depromere. Me Aristarchum quod eligis, tribuo

⁵ tuae pietati et erga me benevolentiae. Licet autem remotissimi simus, tamen polliceor tibi meam fidem et animi constantiam. Nondum etiam plane constitui me
⁶ non aliquando te data occasione visurum esse. Quod inclitum principem D(omini-
num) Christophorum Bathoreum, vaivodam Transylvaniae etc. elegisti patronum,
⁷ fecisti rectissime. Filius Dei sub alis huius coronae coronet suam ecclesiam. Bene
et feliciter in Christo vale, et pro me valetudinario ora. Pro monetis cogitabo,
quid compensatione iusta vicissim mittere possim. Iterum vale.

Lipsiae X. Novemb(ris) 1579.
1.2.3.6

8. Epitaphium
in obitum immaturum filii R(everendissimi) et Clarissimi viri
D(omini) Christiani Schesaei, pastoris ecclesiae Mediensis,
Stephani Schesaei, qui decessit aetatis suae anno 13. a
Christo vero nato anno 1578 die 29. Decembris

Hoc marmor Stephanum tegit Schesaeum,
Christianni sobolem piam Schesaei
Vatis, qui in patriam prior Camoenas
E sacra tulit aede Laureatas.

⁵ Ah quantus misero datus parenti
Luctus, cum triplices truci Sorores
Vitae stamina rescidēre ferro,
Et tantae indolis abstulēre natum.

¹⁰ Sic primo perit appetente vere
Blandus floris honos amaenioris,
Quem duro perimit ligone fessor,
Crescenti negat invidusque frugem.

¹⁵ O si luctifica deae minaces
Usae hoc tempore falce non fuissent,
Hic non inferior poeta patre
Maturis fuerat futurus annis.

²⁰ Bis senis vicibus reversa vixdum
Natalis fuerat dies puelli,
Cum sacro pater inclitūm sororum
Afflasset tenerum calore pectus.

Illi iam lyra, carmen atque cordi
Pulchrae delitiae, piae iuventae:
Ut vel scriberet inscius papyro,
Auditum aut recitaret ore carmen.

25

Sed fati simul omen usitato
 Versu praeproperi sibi canebat,
 Si quando solitus stylum recentem
 Tentare et resonos arare versus:

30

Hoc ferele subinde carmen, ante
 Quam corpus socius calor reliquit,
 Ut vitae loca viseret perennis,
 Inscriptis tacitis puer libellis:

35

Eheu, quam tenui putrique filo
 Omnis sors hominum revincta pendet,
 Et quae robore stant suo superba,
 Confestim subitis cadunt ruinis.

40

Sic fatum prope sentiens adesse,
 Qua longo fluit ambitu Cayster,
 Iucunda modulatione cygnus
 Extremum sibi fingit ipse carmen.

45

O vere fragiles et o caducas
 Omnes spes hominum, quibus fovemur.
 Et de te pie spes, pium, puella,
 Concepta augurio patrem fefellit.

50

Te ternae charites, novem et sorores,
 Deflent carminibus suis ademtum,
 Ereptumque sibi gemunt alumnum,
 In spem qui patriae educandus esset.

55

Sed te, chare puer, Redemptor orbis,
 A vitae, Deus, exitu caducae
 Ad vitae melioris et perennis,
 Felix principium, modo evocavit:

60

Illic te iuvat usque contueri
 Caelestem faciem pia cohortis,
 Hic quondam agniculi innocentioris
 A cunctis maculis cruore lotae.

Illic te iuvat usque commorari,
 In parvaque mora docente Christo
 Caelestis sapientiae beatas,
 Quas haec vita negat, parare gazas.

65 Id iam tum, Puer o sagax, videbas,
Cum mortem moriturus expetebas,
Et contra stimulum necis sacratum
Puro pectore spiritum vocabas.

70 Ergo cum puero nihil per atrum
Fumus contigerit mali: o Parentes,
Adversum moderatione luctum,
Ut iusta atque pia decet, feratis.

Christo sunt pueri beatiores
Accepti, inque sinu ipsius foveantur:
75 Felix, qui moritur puer: renasci
Vel saltem potuit puer, beatas
Ut sedes puer intret angelorum.

Franciscus Valent(inianus)
Medi(ensis)

9. Prognosticon

Antonii Torquati Ferrariensis philosophi, medici et astrologi
clarissimi, cuius Turcae adversus se scripti et ab Ungaris
iactati in suis historiarum monumentis ipsimet mentionem
fecisse dicuntur. Eius initium tale est

- ¹ Ad immanissimos Turcas rationem meam convertam, quos longum, latum et magnum imperium, divitiarum magnitudo, frequentia victoriarum et gloria in tantum extollet, eorumque animos et spem sic elevabit, ut sibi putaturi sint nec
- ² coelum resistere posse. Atque idcirco ad totius orbis imperium aspirabunt. Assyrios et Aegyptios maximis praeliis fractos superabunt. Armenios, Parthos et Persas continuus praeliis molestabunt. Pluries adversus eos victores et superiores evadent et quandoque succumbent. Magna strage suorum in Christianos arma
- ³ movebunt. Et parvo intervallo ipse etiam annus, qui Christianos dicitur summo gaudio affecturus, utpote voti compotes facturus, indicatur. Persequar itaque.
- ⁴ Venetis primum multa inferent damna, post eorum amici facti Belgradum in ditionem recipient, Rhodum superabunt. Pannoniam et Ungariam multis cladibus
- ⁵ afficient. Tandem vim comminantes, regnum Ungarorum lacerantes simulque Imperium Romanum Germanumque diutissimis bellis tentantes in eorum manus
- ⁶ cadent. Annus erit Christi 1594 vel 1595. Verum et alia quaedam mala, antequam hoc bonum contingat, ab illis impendere ait. Subiungit enim, sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliae Hispaniaeque littora classe sua, nec non Italiam
- ⁷ molestabunt et affligent. Timorem magnum Christianis immittent. Sed Christus tandem suorum stragem non ferens etc. Plura qui desiderat, autorem ipsum consulere super iisdem poterit.
- ⁸ Finis Prognostici Antonii Torquati Ferrariensis Itali, philosophi, medici et astrologi clarissimi, annis ab hinc centum ante ab ipso publicati.

10. Vaticinium Turcarum,
quod ante annos complures Constantinopoli prope
templum S(anctae) Sophiae turri quadam ruinosa super
cortice arboris scriptum reppererunt.
At nunc Christianis ea, qua sequitur, occasione
communicatum

- ¹ Anno 1595 in Octobri Agrienses vicum infra Budam nobilem, Sagadinum nomine, diripientes aliquot Christianis libertati restituti filium Bavari cuiusdam, qui annis viginti a Turcis captus Constantinopoli commoratus fuerat, inter eos offenderunt. Is vaticinium, a Turcis, ut ipse aiebat, saepius gravissimo animi affectu examinatum, quod sultano hoc Mahomete II. anno 1597 aut ad summum anno Christi 1602 in effectum credunt deductum iri, penes sese habuit, illudque a se ipso in Latinam et Germanicam linguam ex Turcico idiomate conversum nostris hominibus communicavit.

- | | |
|---|---------------------------------|
| ³ Verba ¹ Turcicae prophetiae | Eadem in Latinum conversa |
| Paris sahom | Imperator noster veniet, |
| ghelur | ethnici principis |
| Cliaferum | regnum capiet, |
| memleketi | rubrum quoque pomum |
| alur | capiet, et in suam po- |
| Kurulamai | testatem rediget; |
| alur | quod si in septimum usque |
| Kapzeiler | annum (qui denotat 97 an- |
| icdiy | num) Christianorum |
| Ladech Giaur | gladius non insurrexerit, |
| Keleci eisismsse | usque ad |
| oriki | duodecimum (qui denotat annum |
| ylalech | 12. post 90, estque annus 1602) |
| on larum | eis dominabitur: |
| Begligheder | domos aedificabit; |
| ensiapar | vineas plantabit; |
| Badigker | hortos sepibus munit; |
| Babcsai baghlar | liberos procreabit; |
| Ogludkesi | post duodecimum |
| olur | annum, |
| on Kiyi | ex quo |
| denzora | rubrum pomum in |

¹ Verba Turcica sunt corrupta, recte legendi ratio, adiuvante professore Dr. Hasan Eren, haec:

Padissahoms ghelur, chiaferum memleketi alur, Kuzulamai alur, kabzeiler iedi yladech giaur keleci eisismsse oniki yladech onlarun beglich eder ev iapar bag diker bahcsai baghlar ogludkesi olur oniki ylden szora hiristianon keleci eskaur (?) ol Turcki gheresine puskure.

Histria
non Kelicer
esikaur
ol Turcki
gheresine
Thuskure

illorum potestatem re-
dactum fuerit, appa-
rebit Christianorum gladius,
qui Turcam
quoque versum
in fugam convertet.

11. Symbolum Theodori de Bry Leodien(sis)

Hei quantum a primo miseri mutamur Adamo!
Ver illi aeternum risit et alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos,
Huc ratio, huc omnis vis subit ingenii.
5 Scilicet ut corpusque animamque et caetera serves,
Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parva sed ingentis formica laboris imago
Exemplo haec nobis dat documenta suo.
At mihi quando animae dabitur curare salutem,
10 Non me deficient, quas colit orbis, opes.
Quin ea Christicolae nunc unica cura fatiget,
Qua Scythicum reprimant excutiantque iugum.
